# LUX HERMETICA CLARIFICATA,

SEU

# CIRCULUS QUADRATUS SAPIENTUM,

# Opus Hermeticum

De

Vero, ac Probato

# LAPIDE PHILOSOPHICO

Comite

## FRANCISCO ONUPHRIO

De Marsciano Authore.

SUB GLORIOSIS AUSPICIIS

*ILLUSTRISSIMI, ac EXCELLENTISSIMI*

Domini, Domini

JOANNIS ANTONII CROTTA, PATRITII VENETI

Meritissimi exhibitum.

*Paul. 1. ad Cor.* Oculus non vidit, nec auris audivit similia. *Apocalyps. cap. 10. 9.* Accipe ergo, & comede hunc librum, & erit in ore tuo tanquàm mel dulce; scilicet lege, & pasce te hac dulcissimâ Doctrinâ *Ezech. cap. 3.* Et felicissimus eris in orbe, si verò *Eccl.* documenta *cap. 21.* observaveris *vers. 2.* ubi dicit: Quasi à facie colubri fuge peccatum, & cæt. Quapropter inde quid erit? *1. Reg. cap. 14. vers. 13.* Gustans gustavi paululum mellis: & ecce morior. Unde fac, ùt *Prov. 3. vers. 17. &c.* si felix esse cupias.

K. K. LYCEAL BIBLIOTHEK

Typis Joan. Frid. Kleinmayr, In Typ. 1742.

# CUM SUPERIORUM PERMISSU.

*In Fide* :

FRANCISCUS DREER, PRÆPOSITUS, & ARCHIDIACONUS.

---

Multa ex typographo sunt errata propter suam absentiam, unde primò vide in fine.

03003256

# LUX HERMETICA CLARIFICATA,

Seu

# CIRCULUS QUADRATUS SAPIENTUM.

*DE unica Lapidis Philosophici materia, sive Universali natura à Deo creata, in qua est verum Lignum Vitæ absconditum, hoc est, mirabilis universalis medicina, quæ Lapis Philosophorum vocatur, Theorico-practicè elaborata, & nunc primùm publici Juris exposita, atque in gratiam filiorum artis typis edita pro tyronum eruditione, apertis verbis edocta, atque evidentissimè ex omnibus adeptis Authoribus declarata, atque authenticata per* FRANCISCUM ONUPHRIUM ex Comitibus de Marsciano, *Carnajolæ, montis Jovis, & cæt. Patritium Urbevetanum, atque Fulginatensem, secretioris veræ Chymiæ adeptæ possessorem, discipulum ex Hermetis discipulis indigniorem, ac Fratrem in arte. Seu Circulus Quadratus Sapientum, in quo, ut in* Epistola Sendivog. 23. *videbis in uno triadem Physicam, & in Triade unitatem, in duobus fœcunditatem, in triangulo quadrangulum, centrum in circumferentia, & circumferentiam in centro, quadraturam circuli, & circulum quadratum, & alia id genus emblemata Cabalæ Hermeticæ Hermeticorum, quæ latiùs omnia, lucidiúsque explicabimus & apertè docebimus.*

*Si multos in hoc libro Sacræ Scripturæ passus citatos inveneris, hoc non animo Sacra profanis commiscendi, sed tantùm tota cum veneratione per modum illos appropriandi, ùt alij quoque fecerunt, me confecisse, protestor.*

# Opus novum clarissimum, studiosis utilissimum.

*ILLUSTRISSIMO, ac EXCELLENTISSIMO*

DOMINO, DOMINO

# JOANNI ANTONIO

## Crotta Patritio Veneto Meritissimo dicatum.

DEUS ipse mihi dedit horum, quæ sunt, scientiam veram, ut sciam dispositiones orbis terrarum, ac virtutes Elementorum. *Sap. cap. 7. vers. 17.*

Quam sine fraude didici, & sine invidia communico, ac veritatem, divitiásque ejus non abscondo. *Ibid. vers. 11.*

Unde Ouuenus :

Quis dives? sapiens: quis pauper? stultus, inérsque.

Itaque juxta *Eccl. cap.* 4.28. Non retineam verbum in tempore salutis, neque abscondam scientiam, quam ipse Deus mihi clementissimè dedit, in decore suo.

Quam non per jactantiam, sed ad bonum proximi hìc clarè patefaciam, ut magnalia Dei ubique patescant: quare, non nobis Domine, sed nomini tuo da gloriam. *Psal. 113. 1. 9.*

Deus immensæ misericordiæ, qui nescit fidentem deserere, méque suarum creaturarum indignissimum derelinquere, post enim meum deplorabile infortunium tam benignè misertus est mei, ùt *Psal. 29. 11.* cùm tam indignè proditus fuerim, cujus inde potentiam, bonitatem, ac inexplicabilem misericordiam, quam mihi indigno famulo suo, peccatoríque maximo ostendere dignatus est, describere non valeo. Sufficit, ut mundus, ex gratia tam stupenda mihi à summo Deo clementissimè concessa meam innocentiam sanè comprehendat. Sed ùt *Prov.*

6. 19.

v. 19. Falsus testis non erit impunitus, & qui loquitur mendacia, peribit, quamvis dextera eorum repleta fuerit muneribus, ùt *Psal.* 25. 10. Beati autem, *Matth. cap.* 5. 10. qui persecutionem patiuntur propter Justitiam. Sed per multas tribulationes oportet ad Gloriam pervenire: ùt *Psal.* 70. 20. Unde cum *Prophet. psal.* 70. 13. dicam: Confundantur, & erubescant, qui volunt mihi mala. Et *ps.* 6. 11. Unde *Job. cap.* 7. 1. Hæc est autem militia vitæ hominis super terram (mala amore Dei pati) Custos tamen fuit semper mei Angelus Domini. Præterea illorum, qui nostro honori impiè, ac injustè detraxerunt, jam ferè omnes periisse non nescimus. Quapropter, ùt *Psal.* 19. 9. Ipsi ceciderunt: nos autem surreximus, & erecti sumus, &c. Quoniam, ùt *psal.* 3. 8. Tu percussisti omnes adversantes mihi sine causa. Tantam custodiam à Divina superna clementia semper habuimus: & inde spiritum intelligentiæ, rerúmque naturalium scientiam mihi benignissimè infudit. Hinc *Deuter. cap.* 32. 35. Mea est ultio, dicit Dominus: Cui sit semper laus, honor, & gloria, ac gratiarum actio per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Gaudia post luctus veniunt, post nubila Phœbus.
*Psal.* 29. 12. Convertisti planctum meum in gaudium mihi.

Cùm autem, Amice Lector per meam doctrinam, utì non dubito, Arcanum hoc apprehendas, sileas, ne sis jactator, sed humilis: etenim, ùt ait *Venerab. Thom. à Kemp. Lib.* 3. *cap.* 7. Meliùs est modicum sapere cum humilitate, quàm magni scientiarum Thesauri cum vanitate Quare ego, ne hoc studium, quod verum est chaos, sicuti fuit ab initio tenebrosum, & confusum absque vera ejus, ac sincera explicatione, adhuc tale in æternum remaneat, ad bonum proximi tantùm, non autem per vanam jactantiam, sine ulla invidia, quod alij zelotes facere noluerunt, peregi, ne mecum tantum pereat Arcanum. Ergo

Narrent de te alij, proprio sordescit in ore *Prov. cap.*
Gloria, si taceas, plùs tibi laudis erit. 27.
Est etenim virtus aliquid, nîl gloria: sicut
Est aliquid corpus, corporis umbra, nihil.

Hinc *Isai. cap.* 11. inquit: In silentio, & ipse erit fortitudo, & securitas vestra. Etenim juxta Ouuenum: Quid

Quid ſibi ſecretum vult ? S. T. ſileto, taceto :
S. monet, ut ſileas : T. jubet, ut taceas.
Onde
Auuerti di parlar' ſe tanto apprendi
Ch' il Cielo, il mondo, e la natura offendi.

Etenim 12. invenimus cauſas, per quas Philoſophi legitimè tacuerunt in vita, & inde tam obſcurè eorum ſcripta poſteris tradiderunt, de quibus cauſis vide Theobaldum *Part.* 2. *Vol.* 1. *Theatri Chymic. pag.* 140. Cùm autem ego ſenex ſim propè mortem, quamvis meo nomine proprio Arcanum hoc ſapientibus patefaciam, gloriam non quæro; quia

Sum ſophus occultus ſolus in orbe vagans,

Nec ullus in Italia me amplius videbit, & nemo in vita meum nomen alibi ſciet. Si igitur tyrones hanc ſacram ſcientiam hìc apprehendere cupiant, nè raptim hunc Tractatum legendo pertranſeant, ſicuti faciunt canes è Nilo aquam fugiendo lambentes? ſedulâ verò mente omnia à capite patienter perlegant, & ſint tuti, quòd cùm in Hermetico fonte ſorbiliter bibant, hujus ſcientiæ ſitim procul dubio extinguere poſſint. Nam nullus abſolutè ante me tam planè, lucidè, ac ordinatè myſterium tam occultum detexit, neque impoſterum ullus Philoſophorum illud clariùs deſcribere poterit, niſi ſub Anathemate Adeptorum cœlorum, naturæque ſubjacere velit; cùm de ſumma rerum arcanarum ex Deo provenientium tractetur. Nec parum eſt, quod à ſummo Deo donatum? ùt ait *Thom. à Kemp. Lib.* 2. *cap.* 10. quod mihi indigno pandere dignatus eſt: juxta *pſal.* 34. Depauperatus non collidetur, cùm ceciderit, quia Dominus ſupponit manum ſuam. Unde cum *Tobia cap.* 3. 22. Gratias Deo meo immortales ago ſubmiſſas, & benedictus ſit ſemper, qui poſt tempeſtatem tranquillum facit. Etenim, ùt *pſal.* 22. 4. Virga tua, & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt.

*Sic homo torquetur, quia ſic patiendo probatur,*
*Ut mens purgetur, ſic præmia plura lucratur.*

Itaque nunc verè dicere poſſum cum *Thom. à Kemp. L.* 3. *cap.* 34. Quid

am-

ampliùs volo? & quid felicius desiderare possum? In hoc autem ostendisti, mi bone Deus, inimicis meis, quia tu es, qui liberas ab omni malo. *Sap. cap.* 16,8. Et redemisti me à calumniis hominum. *Psal.* 118. *vers.* 134.

# Draco, seu Avis Hermetis, sive Basiliscus Sophorum.

* * *

* *



*Job cap.* 35. Super volucres cœli erudit nos. Unde

Qui me noscit Avem, quam cernis, defero clavem.

Avem in cœlo habemus signis, stellísque micantibus ornatam, ex qua oritur sulphur nostrum invisibile secretum, ex ea attractum non aliter, quàm apis ex floribus mel sugit, quòd nulla creatura exequi valeat, de quo sit Deo honor, & gloria, &c. *Riplæus ad Regem Eduardum Quartum.*

Tu l' enigma capir' puoi senza fallo
Se leggerai un tal' Autor' ch' è Gallo.

Cum quo lumine suprà indicato, hoc sequens Ænigma ab Helia Artista præcursore in suo Tractatu allatum, facillimè solvere, ac intellige-re poteris; hoc est; Vade ad cæli plagam Septemtrionalem, & conspicias Animal quoddam septem lucidis stellis, ùt suprà, inter alias signatum: Accipe Terrestre, quòd correspondet ei in natura, & in cavernis montium habitat, &c. Et

Et pro rei confirmatione, atque combinatione, vide *Riplæum cap.* 3. de Lapide Animali, ac ſedulo ſpiritu, cùm inueneris, verba ſua benè examinando cum prædictis collationare ſcias. Deinde vide *Ginecæum Chemicum pag.* 675. & 696. Atque Jatrochemiam *M. Georg. Phedronis pag.* 118. 187. 188. ac ſapienter combina ; & cùm non ſis duriſſimæ cervicis, materias lapidis intelliges. Unde

Accipe theſaurum, qui gemmas vincit, & aurum,
Hanc cape virtutem, ſi vis retinere ſalutem.

Omnes enim


Denique ſi ſcirent, quantùm mea dicta valerent,
Nunquam dormirent, ſed nocte, diúque ſtuderent.

Quapropter inquit *Eccl. cap.* 38. Scientia veræ medicinæ exaltabit caput poſſidentis, & coram Principib⁹ in admiratione erit, &c.

Tu qui cælum extra omnia vides: Cælum in omnibus abſconditum intelligas, & hoc abſconditum cælum fac, ut pateat. Unde cum *Job cap.* 32. *Lib. Sapient. cap.* 7. atque *Eccl. cap.* 1. dicam: Audi igitur me, & oſtendam tibi ſapientiam meam, quam mihi Deus benigniſſimè tribuit.

*Hermes Trismegiſt.*

Quod eſt inferiùs, eſt ſicut id, quod eſt ſuperiùs, & quod eſt ſuperiùs, eſt ſicut id, quod eſt inferiùs ad perpetranda mirabilia uniuſ rei.




*Herm. & Sendivog.* Probavit illud ventr⁹ in ventre ſuo; Pater ejus eſt Sol, Mater verò Luna; virtus ejus in



Triangli centro latet. Sal Alkali in centro centri videlicèt, Aër congelatus melior, quàm univerſ. Terra. Sulphur incombuſtile Sophorum.

EPI-

# EPISTOLA DEDICATORIA.



I audeo ſublimi merito Illuſtriſſimæ, atque Excellentiſſimæ Dominationis Suæ hunc de Lapide Philoſophico Tractatum conſecrare, dignetur, ùt humaniſſimè rogo, opus hoc non aſpernari, ùt infœcundum partum mihi concrediti talenti, ſed gratum habere utì lumen miraculoſum à cæleſtibus Benedictionibus mihi de rore cæli, & pinguedine terræ gratìs clementiſſimè donatum. Nam ait *Div. Auguſt. in Tractat. 24. in Joan.* Omne admirabile rarum eſt. Etenim verè hæc tam quæſita, ac ignota *Lux* per tot ſæcula tam abſtrusè ab Hermeticis occultata, nunc à me prodigaliter *Clarificata*, nil aliud eſt, quàm Lux ignea, rubra, fixa, congelata, incomprehenſibilis à nobis Divino Lumine illuſtratis maximo cum ingenio ex centro centri terræ cujusdam Adamicæ, virgineæ, pinguis, unctuoſæ, ſalinæ, eruta, ubi ſepulta fæculentiis obumbrata latet. Quæ terra virginea ſalina ex rore quôdam non vulgari, cæleſtis originis, in Chaotica maſſa confuſa, corporificato, diverſis involuto excrementis, ubique repertibili, ſapienter extracta: nil aliud eſt, quàm Aër in formam ſalis congelatus ex Hyle Aëréque immediatè proveniens, hâc Luce igneâ, fixâ, intrinſecè animatus, atque decoratus, quâ de causâ metaphoricè à Philoſophis materia pri-



ma

ma vocatur, cùm sit sal universale naturæ inspecificatum, ac sperma mundi, & aër congelatus; quamvis propriè materia prima dicatur, quapropter est primum in omnibus creatis sub Lunari globo existentibus naturæ constitutivum. Etenim cùm omnia creata in cinerem comburantur, in salem ultimò vertuntur, quia ex sale primò omnia generata fuêre: Unde Philosophi non de Hyle, prima invisibili materia intelligunt, sed de hoc sale primo naturæ constitutivo, ac prima Lapidis Philosophici materia. Sicuti Lapis quoque nuncupatur, cùm in parvi Lapidis formam in ejus extractione appareat, ùt *Arnoldus, & cæt.* testantur. Hinc in allegoria super turbam *Distinction. 12.* dicitur: Ideóque Calx viva Philosophorum est Corpus eorum (nempe Sal) quod Corpus Philosophi Lapidi comparârunt. Quæ est unica prima, proximáque sophorum materia: quæ sicut in principio una fuit, quæ nec Terra, nec Aqua, nec Aër, nec Ignis, neque tenebræ, neque Lux erat, sed horum omnium confusum Chaos: ità quoque hæc prima Lapidis nostri materia chaoticè confusa, non est nisi una sola res ex pluribus rebus composita, scilicet Aquâ, & Terrâ in manifesto, aëre & igne in occulto, secundùm autem Divinam ordinationem, non verò hominum manufacturam, ùt legitur in *Tractat. Gloria mundi.* Et hoc est chaos nostrum. Est enim ignis non habens ignis speciem: est aër non habens aëris formam: est aqua, cui alia aqua non est æqualis: est terra, quæ terræ nullam speciem habet. In qua terra est lux, quæ non lucet, nisi clarificetur. Est

ignis,

ignis, qui non urit, nisi comburatur: est aër, qui non avolat, nisi volatilizetur: est aqua, quæ non madefacit, nisi solvatur: est terra, quæ non apparet, nisi separetur.

Et si modò ex caligine tenebrosioris ignorantiæ hæc occulta fixa lux congelata in lucem prodit, est novum Altissimi Omnipotentiæ portentum, ferè sicuti de primæva luce, quam spiritus Domini, qui super aquas ferebatur, à tenebris exprimordiali chaote separavit; éstque radius benignus Divinæ Lucis, cum quô Author Lucis cæcam mentem indignissimi sub luce Solis viventis illuminare dignatus est.

Unde quamvis hæc nova *Lux* ex tenebris ignorantiæ noviter *eluceat*, gratum habeat benignitas Excellentiæ Vestræ hoc novum mei rudis calami Opusculum, ac tenue animi mei sinceri devotissimum tributum, ut hæc *Hermetica Lux* sub glorioſis radiis Patrocinij Sui magìs refulgeat: Nec attribuat hanc meam præsumptionem ad aliud, quàm ad veram venerationem, quam meum inalterabile obsequium Excellentiæ Vestræ profitetur, ex qua denique verè me fateri audeo

Illustrissimæ, atque Excellentissimæ
DOMINATIONIS VESTRÆ

*Devotissimum servum obsequentissimum.*
FRANCISCUM ONUPHRIUM COMITEM
de Marsciano.

# Ad Benignum Lectorem.

# PROGRAMMA.

*Psal.* 70. 17. Tu Deus docuisti me à juventute mea, & usque nunc pronunciabo mirabilia tua.

*UT videas magni Mysteria maxima mundi,*
*Hunc cautus Librum Lector amande lege.*
*Chymiæ en campus, non est opulentior alter*
*Floribus, aut fructu: mira secreta latent.*
*Quòd si detrectes nimium sufferre laborem*
*Multa legens: paginas has lege: doctus eris.*
*Quæ benè si capias, naturæ noscito Regem,*
*Omnia produxit providus ipse Deus.*
*Hic latet auvifici venerandus seminis ortus,*
*Hîc Lapidis Physici, singula pando tibi.*
*Felices homines! ô térque, quatérque beata*
*Pectora! quæ tali munere fata beant:*
*Felices animæ! quibus hâc, quâ major in orbe*
*Non est, dant superi, sorte perennè frui.*
*Omnia cùm pereant, est virtus sola perennis,*
*Hæc immortales reddere sola potest.*
*Si fueris sapiens, Cræsi superaveris aurum,*
*Nam sapiens nullo tempore vivit inops.*

INterim hujus libri Lectores rogatos volo, nè tam simplici, rudique hoc scribendi stylo offendantur: quia non ex Doctorum viro-

virorum numero ſum, quamvis per Divinam miſericordiam ad hanc tam ſublimem ſcientiam pervenerim, ſed ignarum me eſſe fateor: Unde ut me excuſatum benignè habeant, humaniſſimè rogo, ac grato animo tantummodò ex hoc Hermetico viridario roſas recipiant, ſpinásque, tribulósque rejiciant, ac ſinceritatem meam nè deſpiciant. Cùm enim tenuis ſim Minervæ diſcipulus, doctæ orationis ſtylo benè ſonantis uti non poſſum, ùt ex mea præſenti compoſitione bene noſces, quamvis autem ſim tamen ignarus, ùt verè fateor, nihilominùs ex eadem quoque ſanè concipies, quòd ego Diviná favente gratiâ hanc ſacram ſcientiam benè intellexerim. Itáque ſedulá fronte ſequentia ſodes perlegas, & ne ignorantis ſcripturæ, atque operis prolixitatis te tædeat, quapropter ubi minùs certè cogitas, ibi arcanum, materiámque reperies. Etenim

*Haurit aquas cribro, qui diſcere vult ſine libro.*
*Nobilitat Virtus hominem, virtute remota,*
*Migrat in exilium nobilitatis honor.*

Vera autem ſapientia eſt, ùt legitur in *Deuter. cap.* 32. *vers.* 29. Utinam ſaperent, & intelligerent, ac noviſſima prævíderent, ac nunc providerent. Delectare autem in Domino Deo tuo, & dabit tibi petitionem cordis tui, ùt ita in *Pſal.* 36. Ergo Deum time, & mandata ejus obſerva; hoc eſt enim omnis homo. *Eccl. cap.* 12. *vers.* 13. Memorare ergo Noviſſima tua, & in æternum non peccabis. *Eccl. cap.* 7. *vers.* 40. Habeas ergo timorem Domini: Hæc eſt enim vera ſapientia, ùt *Pſal.* 110. 10. Et ſapientia Divina Sanctorum, quæ ducit ad cælum, ùt *Sap. cap.* 10. 10. Aliàs ſemper eris infelix, ùt *Ibid. cap.* 3. 11. Et nil unquam boni conficies. Quare ait *Job. cap.* 38. Aufertur ab impiis Lux divina. Sine qua luce, ſequentia ritè comprehendere ne ſperes.

Vis bonus eſſe, velis tantùm, fiésque volendo:
Ipſe tibi poſſe dabit, qui tibi velle dedit.

Unde *Prov.* Et tunc intelliges timorem Domini, & Scientiam Dei invenies, *cap.* 11. 5. *Pſal.* 13. Inclina Domine aurem tuam mihi, & exaudi preces meas. *Matth. ca.* 6. 33. Primùm quærite Regnum Dei, & hæc omnia adjicientur vobis.

# *Unde fiat ergo Primum.*

## Oratio ad Fontem Sapientiæ Christum DEUM Ter Optim. Maximum.

# ELEGIA.

*Psal.* 85. 16. Fac mecum signum in bonum, ut videant inimici, qui oderunt me, & confundantur, quoniam tu Domine consolatus es me.

*Eccl. cap. 1. vers. 5. Fons Sapientiæ Verbum DEI.*

*Psal. 24. Dominus illuminatio mea, & Salus mea, non timebo. Psal. 3. Soli Deo est salus.*

*Joan. cap. 1. vers. 4. 9. Ipse est vera Lux hominum.*

*Psal. 17. 31. Deus meus illumina tenebras meas.*

*Psal. 31. 7. Tu es refugium meum.*

*Job. cap. 32. 8. Inspiratio Omnipotentis dat intelligentiam.*

*Pet. Epist. 1. cap. 2. vers. 9. Et de tenebris vocavit nos in admirabile Lumen.*

*Psal. 24. 7. Sed delicta juventutis nostræ, ne memineris Domine.*

*Isai: cap. 35. 5. Ipse enim vulneratus est propter iniquitates nostras. Matth. cap. 26. 26. Sanguis ejus effundetur in remissionem peccatorum vestrorum: Apoc. cap. 1. Christus lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo.*

FAC CHRISTE, ut sapiam, quia tu
Sapientia Patris
Solus es, & tecum, qui sapit, ille sapit:
Te sine nil video, sapio nil, tu meus es
Sol,
Solus tu meus es Sal, mea sola Salus.
Quis dabit in tanta mihi nunc caligine
Lucem,
Ut capiam verè dulce salutis iter?

Ad te confugio, qui es Lux mortalibus
ipsa,
Per quam senserunt cuncta creata
diem:
Da mihi naturæ lumen, tenebrásque
repelle,
Spiritus illustret pectora nostra tuus.

Non equidem fateor, tantô sum dignus honore,
Sum miser, & multo crimine CHRISTE reus.
Sed tamen effuso, confido, sanguine,
cujus
Purgábit sordes, guttula parva, meas.

Isaï

*Isai: cap. 65. 13. Ecce servi mei comedent, & bibent, & gaudebunt in exultatione cordis. Matth. cap. 7. 7. Petite, & dabitur vobis.*

*Joann. cap. 16. 23. Quodcunque petieritis à Patre meo in Nomine meo, dabitur vobis.*

Si mihi das vitam! cur non quoque commoda vitæ?
Cuncta tuâ nobis pro bonitate dares.
A Patre quin etiam quæcunque rogabimus, inquis
Nos accepturos Nomine CHRISTE tuo.

*Psal. 113. 9. Non nobis Domine, sed Nomini tuo da Gloriam.*

Non mihi quæro lucrum, vanam non arrogo laudem,
Nam Laus & lucrum tu mihi solus eris.

*Prov. cap. 30. 9. Mendicitatem, & divitias ne dederis mihi, sed tribue tantùm victui meo necessaria.*

Sed neque divitias dederis, quas cæcus Avarus.
Colligit, & firmas non habet orbis opes.

*Idem ibidem cap. 28. 22. Vir, qui festinat ditari, ignorat, quòd egestas superveniet ei.*

*Sap. cap. 7. 7. Invocavi, & venit in me spiritus sapientiæ. Eccl. cap. 1. 26. & dedit mihi Deus scientiam, & lætitiam. Idem Eccl. 43. 37. Piè autem agentibus dat Dominus sapientiam.*

Inspira cæptis, mentem cælestibus imple
Ignibus, ac umbras aufer ab arte graves;

*Isai. cap. 42. 16. Et ducam vos in viam, quam nescitis, Prov. cap. 4. viam sapientiæ monstrabo tibi, & ducam te per semitas rectas.*

Nil erit obscurum, facilè in penetralia ducar
Naturæ, monstres si mihi CHRISTE, viam.

*Gratias agamus Domino Deo nostro. Et ab exemplo Æschinis, qui cæteris Socrati discipulis minervalia varia deferentibus, dixit: Maximas tibi Domine refero gratias, quas à te benignissimè accepi, & quia nil aliud te dignum invenio, dono me ipsum.*

Ipse feram magnas laudum tibi præmia grates.
Nil homo majus enim, quod tibi reddat, habet.

E qui tralascio i versi miei, nojosi
Sieguo l' orme d' Hermète, e Clio riposi.

Aliàs dices cum *Amos cap.* 5. Auser à me tumultum Carminum tuorum, & Cantica Lyræ tuæ non audiam.

PRÆ-

# PRÆLOQUIUM.

## In quo omnia Artis hujus Mysteria apertè dilucidantur, & ita de tenebris, & caligine oculi cæcorum videbunt: *Isai. cap.* 29.19.

Vos itáque exemptam tenebris hanc cernite lucem.
Tam paucis notam, quam chaos intus habet.

*Juxta Sendivogii sententiam: Quòd innumeri quidem libri de Lapide Philosophico pertractantes hactenùs typis editi inveniantur; at non omnes, qui de hac sacra scientia scripserint, veri Hermetis filij fuêre: Cùm reverâ in tam immensa librorum sylva de hac arte pertractantium, quos omnes ego tam diu perlegeram, plures audaces, vanósque jactantes de re sibi ignota scribentes invenerim, quàm veridicos atque fideles, quos à falsis secernere absque genuina praxi, vel diuturnissimo studio valdè difficilè, ne dicam, impossibilè pro tyronibus esset. Cùm veri quoque Philosophi, ut hanc Divinam scientiam indignos celarent, ubique ænigmaticô stylô, figuratóque ultima primis confusè, primáque mediis parabolicè taliter miscuerint, adeò ut labyrinthus scripta eorum appareant, ut Thesei filo opus habeat: quo ex inextricabilibus spinis educi queat: etiámque cùm falsa veris, ac sophistica sinceris studiô intermixta sint, ùt* Bernhardus Com. Tarvisanus *testatur, aditus ad hanc mirabilem Theosophiam tam piis sapientibus; quàm improbis ignaris occlusus est, ùt* Geber cap. ultimo *suæ summæ apertè fatetur, cùm dicat: Nos non tradimus scientiam sermonis continuatione, sed eam in diversis Capitulis hinc inde sparsimus, quia nobis solis, verisque artis filiis scientiam per nos solos investigatam tradimus, & non aliis, cùm sit donum Dei, qui, cui vult largitur, & subtrahit, & ubi vult inspirat, & cæt.*

*Itáque ùt* Bernhardus Trevisanus in Epist. ad Thom Bonon. *docet: Oportet, inquiens, intelligere, quòd Geber, & cæteri summâ cum prudentia, mirôque artificio veritatem sub ænigmatum velamine occultârunt, multas obscuritates, falsitatésque intermiscentes, quas inscij primâ fronte veritatem esse, juxta sonum verborum litteraliter sumptorum existimant, & sunt decepti* ( *de quibus aliísque difficultatibus, vide* Theobaldum Part. 2. Vol. 1. Theatr. Chymic. pag. 139. ) *Illi tamen Philosophicè, doctéque pro intelligentibus veritatem sub aliis nominibus occultatam dixerunt, & cæt.*

Hinc

*Hinc inextricabiles errores rerum, confusiones, temporisque jacturæ profluunt, quod quidem verè maximè dolendum est. Quâ de causâ tam pauci adepti inveniuntur in orbe, & isti pauciſſimi numero ùt plurimùm oretenùs arcanum habuerunt, ſaltèm praxim, ubi multa ſunt absque perito magiſtro docente intellectu imperceptibilia, ut mihi evenit, etenim quamvis poſt diuturniſſimum ſtudium Theoreticè multa percepiſſem, niſi per Divinam miſericordiam verum inveniſſem Adeptum, nihil unquam boni feciſſem: itáque non tantùm prælongo ſtudio continuato, ſed etiam hoc ſecretum ſecretiſſimum auxiliô ſophorum Adeptorum indiget, ut ænigmata eorum intelligere valeamus, aliàs nihil, ut inferiùs apertè videbis, & ex meis lucidiſſimis explicationibus ſanè comperies. Unde* Divus Thomas cap. de eſſe, & Metallorum transmutatione, *inquit: Multi ſeductores fuerunt, & ſunt, & hoc adeò ut Reges de veritate hujus artis deſperando eam non perquirant, nec ſcire appetant: Tot enim libri erronei, tótque fatuitates, tótque operationum diverſitates ab ignorantibus, deceptoribúsque ſcriptæ fuêre, & à ſapientibus tam confusè, parabolicè, ænigmaticè, obſcuréque veritatem adeò velatam invenies, ut cùm omnia tua operando per ipſa expenderis, de vera ſcientia, verâque viâ deſperando, effectum minimè conſequeris.*

*Hinc* Joannes de Laſnioro Tractat. 2. *addit: Si aliquis autem in debita materia, ideſt in maſculo, & fœmella, ſcilicèt corpore fixo, & ſpiritu volatili, ſeu ſulphure, & mercuriô, Sole, & Luna noſtris, & non vulgi, operatus fuerit, ſine dubio ad hoc Divinum opus, practicè operando, perveniet; ſed cùm pauciſſimi veram noſcant materiam, pauci quoque nunc veri artis noſtræ poſſeſſores reperiuntur in orbe: Multi enim facti ſunt Philoſophi, & de jure capitis operantur, quod neſciunt, & ſcribunt, quod non intelligunt, & cùm inexperti veros à falſis ſeligere neſciant, itáque in metallis, mineralibúsque fruſtrà laborantes, pauci hôc Divinô magiſteriô ſunt decorati, & iſti pauci pro intelligentibus veritatem ſcripſerunt, ſed malè interpretantur, & à pauciſſimis quoque intelliguntur. Propterea homines libentiùs Pſeudo-Philoſophos, quamvis impoſtores, perlegunt, quia apertis verbis Chymiaſtricas docent operationes, eásque nugas confirmant, licèt omnia falſa ſemper, & ubique inveniant, quàm genuinos Authores, quia ipſos non intelligunt, & temerè, quia cum eorum falſitatibus non conveniunt, quòd non fuerint Adepti, jactantur. Heu! dementia!*

*Ideòque per novos Philoſophaſtros mundus ubique decipitur, qui ſolent ſcribere Recipe, Recipe, quod nîl aliud eſt, quàm Decipe, Decipe. De quibus innumeris deceptoribus: vide* Vol. 5. Theatr. Chymic. Tractat. de Auro medico, ſive Dialog. ſcholaſtico pag. 895. *quid ibi dicat Theodorus. Hinc, ut* Paul. ad Rom. 1. 22. *Iſti dicentes ſe eſſe ſapientes, jam ſtulti facti ſunt. Etenim,*

Doctus ait, ſe ſcire nihil, ſe plurima narrat
Scire ſed indoctus: ſcit prior, iſte nihil.

*Ego autem veritatis amator, cùm Tractatum hunc de Philoſophorum myſtica Luce conſcribere mihi in animum duxi, ſicuti per Divinam Clementiam, nunc mediante perito benigniſſimo meo magiſtro Adepto defuncto, in hac arte expertus, ſincero corde id planè, diſtinctè, ac ordinatè absque Ænigmatibus, metaphoris, tropisque ſophorum (quæ potiùs confundere foret, quàm lectorum mentem illuminare) peragere decrevi, & ſub Chriſtiano juramento veritatem absque ulla zelotypia ſcribere promitto, & quamvis verè arcanum hoc apertis verbis deſcribere non liceat, tamen ad bonum proximi, ac ad Gloriam Dei omnia piis ſtudioſis ſincerè enucleabo, adeò ut hujus artis inquirentes, Phyſica myſteria penetrare, rectámque viam incedere, ac ad optatam metam pertingere valeant, & poſteri tyrones animæ meæ in eorum precibus piiſſimè memorent. Nam*

Condita decreſcit, vulgata ſcientia creſcit:
Diſcere ſi quæris, doceas, ſic ipſe doceris.

*Unde cùm in hoc meo Tractatu arcanum minimè apprehendas, depone manum ab aratro, claude libros, relinque ſtudia, quia nullibi ſimilia tam clarè explicata reperies, utì videbis. Sed*

Heu mihi! cur adeò res eſt operoſa tacere,
Nec liceat linguæ ponere fræna ſuæ?

*Sis verò prudens, & legendo attentus, atque aſtutus, ne decipiaris, ſi aliquando metaphoricè loquar, ac omnia pluriès ſedulò perlegas, omniáque ſubtiliter examina, & utere Salomonis documento, dicentis* Prov. cap. 13. vers. 16. *Aſtutus omnia agit cum conſilio: Etenim quamvis nimìs clarè hic omnia deſcripta ſint, tamen, ſicuti*

*Gutta cavat lapidem, non vi, ſed ſæpè cadendo,*
*Sic homo fit doctus non vî, ſed ſæpè legendo.*

*Quare ſi te fata vocant, ut hanc medicinam per meam doctrinam perficere valeas;*

gra-

*gratiâ Divina mediante : Per me multiplicabuntur dies tui , & addentur tibi anni vitæ :* Prov. cap. 9. *Et renovabitur ùt aquilæ juventus tua :* Psal. 102. 5. *cùm autem me benè intelligas.*

*Quamvis verè , nè tantæ dignitatis , ac utilitatis scientia hæc nimis foret communis , me prudentiores ejusdem possessores ità eam confusè describere annixi sunt , ut paucis , ad evitanda scandala , innotesceret : At sicuti scio , quòd in hac ultima mundi ætate arcanum hoc multis patefactum esse debeat , ita cùm non procul sit finis orbis , hìc illud studiosis lucidè propalare decrevi , nè post meum obitum tam nobilis scientia mecum remaneat sepulta.*

*Unde scias , quòd unica tantùm detur sub sole materia ad Lapidem Philosophicum conficiendum idonea , quamvis multi stolidi pertinaciter plures esse materias falsissimè jactent : quâ de causâ nè mireris , si duo inferiùs capita de hac materiæ unitate , ex omnibus classicis authoribus comprobata , composuerim , quapropter ut isti talcs ignari sileant , obmutescant , nè imposterùm talia proferant absurda , hoc feci. Itáque nullis aliis scriptis , fumivendulorúmque receptis , de metallis , mineralibus , urinis , stercoribus , aquis pluvialibus , rorella , seu stellarum spermate , marcasitis , antimonio , regulo martiali , cinnabari minerali , vitriolo , nitro , gur , bysemutho , & similibus , credas , nam qui tibi aliud , quàm de corpore fixo , seu sale sapientiæ sapientum , ac spiritu volatili Philosophico simul conjungendis , dicturus esset , te fallet , quæ duæ res ex unica re sapientèr extractæ* Rebis *dicuntur , ideſt bina res , corpus nempe & spiritus. Et cùm corpus hoc animam ruberrimam igneam in se contineat occultam , dicitur indè , quòd Lapis noster ex tribus rebus constet , scilicet ex corpore , animâ , & spiritu , sicut homo. Aliàs primum subjectum sophorum remotum , quod dicitur chaos , ex quò unicè pradicta extrahuntur , unicum est sub cælo , nec aliud , ut inferiùs evidentissimè videbis. Hinc* Basilius Valentinus in suis Rythmis de prima Lapidis materia , in duodecima sua Clavi , *inquit : Corpus , Anima , & spiritus , in duobus existit , ex quibus tota res procedit : Procedit ex uno , & est res una , volatile & fixum simul colligata , & cæt. scilicèt ex spiritu vini nostri volatili , ac ejus sale tartari fixo simul conjuncta. Unicum ergo est chaos nostrum , sive Primum artis remotum subjectum , unica tantùm materia , quam inferiùs nominabo , ubi minùs publicè sit exposita , nè omnibus patescat ,*

*ùm autem sis astutus in legendo, ac meô utaris consiliò, ùt suprà ex* Salomone Prov. cap. 13. *monita sua perlegisti : ex qua unica materia prædicta duo extrahuntur, ac primò extremè purificantur, subindè verò itcrum inseperabilitèr reconjunguntur, quæ simul inde conjuncta, tunc est materia proxima metallorum, atque Philosophorum, quam in Phiala lento calore decoquendo, album, rubrumque lapidem perficies.*

*Corpus fixum prædictum est sal quoddam Alkalicum sapore amarum, quod à Gebro, & cæteris, argentum vivum, arsenicum, vitriolum Romanum, plumbum, sal tartari, aurum, Luna fixa, Mars, terra, calx viva, & cæt. vocatur. Spiritus autem volatilis, aqua-vitæ, aqua ardens, ros majalis, urina, fimus equinus, Mercurius, fumus albus, aqua alba, & cæt. nuncupatur. Verùm enim verò sciendum est, quòd duæ sint aquæ nostræ diversæ, quamvis ex eadem prædicta unica re proveniant, ac sint sorores, & Gemellæ: Una est acidula, alia dulcis, de quibus funditus suo loco tractabimus, quæ aqua acidula, aqua fortis, succus raphani, acetum, mercurius rubeus, aqua rubra, aqua solaris, & cæt. appellatur, quæ nominum variatio multos errare fecit inexpertos.*

*Quod unicum sal nostrum prædictum ex chaote nostro sapientèr extractum, vel ex fæcibus, seu tartari vini nostri erutum, unicum argentum vivum sapientum tot nominibus decoratum, ab Hermete sic in*



*indicatum, ubi post dictum triangulum in centro punctatum, inquit : Accipe igitur argentum vivum, quod fit à natura in intimis thalamis trianguli nostri, in quo coagulatum est, & cæt. quod à* Michaële Sendivogio, *aër congelatus melior, quàm universa terra vocatur. Quod in* Tractatu Aureo de Lapide Philosophico Vol. 4. Theatr. Chymic. pag. 609. *ità lucidiùs explicatur, ubi legitur : Hoc est sal centrale naturæ, & sapientum, quod sal metallorum nuncupatur, scilicèt spiritus universalis in salem à natura congelatus prima rerum omnium sublunarium materia, adhuc paucissimis nota, quamvis tantô studiô, tantáque cum anxietate quæsita, & cæt. Ecce ergo materia prima, quam multi quamvis sapientissimi nunquam noverunt, neque cogitârunt, ùt ait* Sendivogius. *Hoc est, non jam Hyle imperceptibile, sed primum rerum omnium constitutivum.*

*Unica ergo est materia, unum vas, unus ignis, unum regimen, unus lapis, unum opus, unica via linearis, unica decoctio, tam ad album, quàm ad rubrum*

*brum ſucceſſivè peragenda; niſi quod in prima chaotis, ſive remoti ſubjecti noſtri ſeparatione pro vino noſtro conficiendo, ac ex ipſo vino ad ſpiritum inde ardentem, ſpiritúmque aceti extrahendum, atque ex fæcibus, ſeu tartaro ſuo nigro ſal eruendum, fornacibus, ignibus, vaſis, regiminibúsque diverſis, indigemus, ùt* Theobaldus Vol. 1. Theatri Chymic. Part. 3. pag. 179. *declarat. Poſt autem, addit* Geber, *unicô vaſe, unico igne leviſſimo, ac ſemper æquali, unico furno, & non pluribus utimur, ùt in Roſario, atque Annotationibus* Nicolai Flammelli Vol. 1. Theatri, pag. 767. teſtatur. *Temporis verò ſucceſſu ad ampliorem ſcientiæ, ac experientiæ perfectionem ſapientes profecti, etiam poſt prædictam primam primariam materiæ remotæ diviſionem, in prima ſcilicèt tædioſiſſima diuturna materiæ proximæ præparatione, nunc hanc, nunc aliam adinvenerunt in opere ſuo methodum breviorem. fornaces, ignes, vaſa, regimináque diverſa aliqui invenerunt, ſed pauci; quà de causâ in libris ſuis meræ confuſiones, atque apparentes contradictiones inveniuntur ubique, quamvis unum omnes unanimitèr ſentiant: De quibus prædictis rationibus, vide* Iſaacc. Holland. in ſuo Opere mineral. lib. 2. cap. 31. ac lib. 1. cap. 16. *Materiâ verò ſubinde paratâ, omnes in unico vaſe, unico furno, unico igne ſemper ſcilicèt æquale, unicáque continuata leviſſima decoctione opus abſolverunt, ùt* Philoletha in ſuo Introitu Aperto *hisce verbis teſtatur, dicens: Opus Philoſophorum eſt unum tantùm, & via una linearis, diverſimodè in prima præparatione quandoque variata, at in fine ſemper eſt idem & unum. Quod ſal autem noſtrum prædictum, ſicùt in triangulo noſtro remoto in modica inveniatur quantitate in centro ſepultum, itaque, ùt ſuprà, punctum in centro delineavit Hermes. Unde quia tam parùm ex noſtra prima chaotica materia invenitur, cùm ſit ſicuti punctum in*  *Triangulo, maximo cum ingenio eſt expiſcandum. Hinc dicitur à* Minonymo Gallo in ſua Inſtructione de Arbore Solari Vol. 6. Theatri Chemic. pag 172. *quòd ſit ille piſciculus Echenis in profundo vaſti maris noſtri valde exiguus expiſcandus, difficilis inventionis, & cæt.*

*At dices! quomodo ergo, & in quo mari hic piſciculus invenitur? Reſpondeo: Vide poſt* Apocalypſim ex aliis Esdræ libris *ibi adjunctis* lib. 4. cap. 8. *& locum invenies, ſi cum* Eccl. *banc doctrinam combinare ſciveris: Inquit enim*

*enim* Esdra: *quomodo autem examinabis terram, & dicet tibi, quoniam dabit terram multam, parùm autem pulveris in se continentem unde Aurum fit.*

*Scilicèt multam terram, seu tartarum nigrum vinum nostrum tibi dabit, quam terram nigram benè examinabis ad pulverem auriferum in ejus centro in modica quantitate latentem, inveniendum, nempe Sal terræ nostræ.* Quapropter *ex una tartari, vel terræ nigræ libra vix dimidiam auri seminis drachmam, pulverisve Hermetici in centro latentis invenies, in cujus profundo locum habet occultum, ex vasto mari nostro, ùt suprà audivisti, hanc Terram primò expiscandam, in qua postmodùm Terra locus est Auro nostro â natura assignatus. Hinc addit* Job cap. 28. *Habet argentum suarum venarum principia, ferrum de terra tollitur, & auro locus est, in quo etiam conflatur. Hunc ergo locum inquiras, & Aurum nostrum invenies.*

*Unde ex triangulo vinum conficias, ex vino spiritum dulcem, & acetosum, extrahas, ex tartaro punctum sumas: Punctum aceto solvas, solutum spiritu jungas, & inde per biennium lenitèr coquas, coctum iterum resolvas, solutum auro conjungas, & nîl aliud inquiras. De quo vino vide* Lullium, Parisinum, Rupe-scissam, Weidenfeld *quamvis non Adeptum*, Quercetanum, *& cæt. De qua subinde salis tartari nostri necessaria solutione radicalitèr peragenda, vide* Schediasm. de Tinctura Universali Gabrielis Clauderij pag. 16. 19. *ubi ex* Junckero, & cæt. *De Sale tartari communis fixi volatilizatione tractatur, quòd licèt ipsi non fuerint Adepti, tamen multa intellexerunt in arte practica, scilicet quomodo salia fixa volatilizari queant. Et eadem methodô ad salem tartari nostri fixum volatilizandum, vel ferè, uti poteris, sed cum aceto nostro.* Quapropter *hoc Sal est aurum nostrum, aquâ sui generis tantùm, ùt jubent Philosophi, resolvendum. Unde de hoc puncto vide* Isaac. Holland. in suo Opere Mineral. lib. 1. cap. 26. & cap. 104. & cæt.

*Si tu ergo ex ligno vitæ, sive arbore nostra apertis verbis hic pluribus in capitibus pro astutis, ùt* Prov. locô suprà citat. *ac subtili ingenio decoratis, proprio nomine declaratâ, medullam puram, ac succum clarum extrahere sciveris, beatus eris. Unde* Prov. cap. 3. *Lignum vitæ est his, qui apprehenderint, & qui tenuerit, beatus.* Quod *toto corde tibi apprecor, ùt spero: etenim in hoc libro termini obscurissimi explicantur, Ænigmata omnia solvuntur, æqui-*

*voca delucidantur, cautiones contra impostores demonstrantur, materia vera docetur, praxis integra distinctè declaratur, omniáque ordinatè describuntur. Et ut verè verum fatear, cum* Albert. Fabr. in Weidenfeld *repetere possum,*

*Quod nemo est ausus citior, quod nemo Sophorum*
*Præstitit, id, calamo claret in orbe meo.*

*Hinc* Luc. cap. 8. 18. *Non est occultum, quod non manifestetur, & in palàm veniat. Ideoque cum* Joan. cap. 7. 46. *de hac re verè dicere poteris, ùt spero, quòd nunquam sic locutus sit homo. At cum Greverio in principio sui Tractatus dicam: Sat scio neminem hæc denique usurpare posse, quamvis apertissimè descripta, nisi eum, cui Deus ipse contulerit, qui solus obscuritatem, horúmque mysteriorum profunditatem, illuminat, vel claritatem offuscat, ut neque planissima quis intelligat, nisi ab ipso illuminatus fuerit.*

*Unde attende, & vide opera Domini, & quæ prodigia posuit super terram,* Psal. 45. 9. *Etenim, ùt ait Zaccarias, meritò Opus hoc, Divinum Opus vocatur, cùm in eo rationes humanæ deficiant, quomodo hoc fieri possit. Itáque est reverâ maximum supernaturale secretum secretorum, verúmque Omnipotentis donum. Zoroaster hinc, Plato, ac Heraclitus veritatem dixêre, naturam illam secundam universalem, primæ naturæ, sive primæ causæ causarum ministram, spiritum esse universi congelatum (vel cum vocabulis Sendivogianis aërem congelatum meliorem, quàm universa terra) sive lucis in principio creatæ, & in corpus salinum contractæ, virtutem vivificam, secretáque fœcunditate dotatam, arcanorúmque naturæ arcana peritus non inficiabitur, ac spiritum illum igneum, ignem, lucémve invisibilem, & animam mundi esse dixêre. Quæ est* LUX HERMETICA CLARIFICATA, *de qua hic noster principalis erit sermo, itáque hunc titulum hujus operis thema sumpsimus.*

*Nemo autem, ùt ait Alphidius, hanc sacram scientiam habere potest, quousque mentem suam Deo purificet, & sciat Deus illum mentem habere contritam. Tria autem potissimum sunt artis hujus scientiam inquirenti necessaria: Studium continuatum videlicèt, experientia, & Benedictio Divina: Liber námque librum aperit, & sermo sermonem explicat; non enim potest practicè benè assuescere, cuius mens in Theoria primò desudare renuit. In neutra tamen actione felices tibi pollicearis progressus, nisi priùs quoque tibi Benedictionem Divi-*

*nam*

*nam conciliaveris: quapropter in humanis rebus omnibus peragendis, primas occupat voluntas, Deique decretum, sicut scriptum est* Rom. 9. *Non est currentis, neque volentis, sed miserentis Dei. Prædicta ergo benè memoriæ tuæ commenda: stude, ora, labora. Vale.*

Sequentia igitur sanè concipias, & memento, quòd

*Nulla nisi in terris generatio fit, vel in undis,*
*Uniat ergo sagax hæc elementa sophus.*

*Et de hac rei veritate ne dubites, etenim ùt ait Aristoteles:* Quod omnes unanimiter affirmant, veritate carere non potest; *Utì hunc perlegendo librum prædicta ex omnibus congruentibus confirmata reperies.*

# Lux Hermetica Clarificata, seu Circulus Quadratus Sapientum:

*Ex Francisco Onuphrio, natione Italo, Comite de Marsciano, Patritio Urbevetano, atque Fulgitanense Authore.*

*Psal.* 77. 2. *Matth. cap.* 13. 35. Aperiam os meum in parabolis, & eloquar abscondita arcana à constitutione mundi.

*Isai. cap.* 28. Et ecce ponam fundamentalem Lapidem, probatum Lapidem, pretiosum Lapidem, & qui illum habet, non confundetur.

## *De Universali Natura à Deo Creata.*

## Caput Primum.

ANtequàm aliquid de opere Philosophico tantâ decorato mirabilitate dicamus, primùm de hac primæva natura à Deo creata sermonem meum instituam, ut omnia scitu necessaria ab initio funditus intelligas, deinde postea plano stylo, figurísque remotis omnia lucidiùs in sequentibus capitibus explicabo. Hìc autem primò breviter creationem mundi perstringere opus est.

DE-

DEUS enim, ùt ex ſacris habemus litteris, in principio materiam hujus mundi viſibilis de nihilo fecit, id eſt creavit, quia facere materiam ex nulla alia præjacente, eſt reipſa creare. Quæ materia fuit informis, & vacua, Hebraicè *Thohu* & *Bohù* nominata, quæ Chaos, ſive materia ſecunda, vel remota nuncupatur, Hermeticè Prima Lapidis materia, quia primum rerum omnium ſublunarium conſtitutivum, appellata, cùm nil aliud verè ſit, niſi Aër congelatus ex Hyle materia verè prima procedens, ex qua primitus ſubtiliores partes à craſſis ſegregatæ, & ad ſupremos Abyſſi limites evectæ, ut ex Moyſe concipimus, immenſum illum orbem, ſive primum cælum conſtituunt, quod vetuſtiſſimi ſapientes *Ardens* appellabant; ipsúmque Græci Æthera vocârunt. Sic dictum ab Ardendo, ſeu illuminando, prout notat Cicero; eo etiam mandato, quo Deus Lucem, ignem quoque fieri juſſit: quia lux aliud non eſt, quam ignis effluxio, nec ignis aliud eſt, quàm lux concentrata, ac incitatiùs mota, & ignis non illuminaret, niſi eſſet lux, & ſic ubicunque nitet ignis, ibi lux ſimiliter ſplendet. Moſes ergò ſapienter utrúmque eodem vocabulo denotat, nam vox Hebræa ſcilicet *ur*, vel *our*, tam lucem, quàm ignem ſignificat.

Cohù

Hic igitur ignis unâ cum ſua luce internâ in intimis Thalamis Chaotis quoque noſtri mirabiliter ſepultus, fixus, conglutinatus, multísque ſcoriis involutus, & ligatus in modica quantitate invenitur, ſicuti verè punctum in  Triangulo ſtudio ab Hermete ad noſtram eruditionem delineatum. Et quamvìs ubique in omnibus creatis, tàm in regno animali, ac vegetabili, quàm in minerali & metallico ſub luce ſolis exiſtentibus ſit diffuſus, ex alio corpore, quàm noſtro Philoſophico prædicto extrahi nequit, ut ſcilicet operi noſtro inſervire valeat: Primò quia ante ejus extractionem & debitam depurationem inquirenti vita deficeret, ut Lullius, & Sendivogius teſtantur. Secundò quia in metallis exſiccatus virtute generativa caret, & ibi ad ultimum finem à natura redactus, jam extinctus reſurgere nequit. Itaque ex auro, argento, mediíſque

que mineralibus tam primis, quàm mediis, tam perfectis, quàm imperfectis, ſpecificatus, ac ad tertiam deductus ſubſtantiam, ſicuti frumentum in pane, ullá arte ſeparari poteſt. Ac ex aliis rebus non eſſet auro homogeneus, quamvìs extrahi poſſit, nec naturæ auri propinquior, imò contrarius. Unde non ex ſemine alieno, ſed proprio, unaquæque res generatur, non ex corporibus mortuis ſemine carentibus, ſed ex vivis ſemine vegetativo decoratis omnia procreantur, & multiplicantur, canis ex ſemine vivo canis, homo, & cæt. generantur, non autem ex alieno, neque ex corporibus procreantur, & multò minus ex corporibus mortuis, corpora enim ex corporibus non gignuntur, ſed ex ſemine, & ſemine vivo perficiuntur. Metalla omnia ſunt mortua, mineralia quæcunque ſunt contraria, ergo; quamvis omnia ab hoc univerſali ſemine procedant, cùm juxta genus ſuum illud ibi natura adaptaverit. Qua de cauſa ſapientes omnes dixêre unicam tantùm eſſe ſub cælo materiam verè vivam ad Lapidem eorum conficiendum idoneam, ut inferiùs evidentiſſimè ex omnibus artis hujus magiſtris demonſtrabimus, & eademmet ſit illa, teſtantur, quâ natura ad metalla generanda in viſceribus terræ & non alia utitur, ùt naturaliter comprehendere debemus. Hinc antiquiſſimus Author *Roris Aurifici cap. 1. ait.* In auro vivo noſtro unicè tantùm ſemina ſunt auri, ſicut in frumento vivum frumenti ſemen intrinſecus latet, in homine vivo ſperma, & cæt. ſolummodò viget : unde verum ſemen aurificum vegetativum ex alio extraneo quocunque ſubjecto haberi nequit, niſi ab hoc unico noſtro aureo vivo Chaote, quare nemo dat, quod non habet. Itaque cùm audias Philoſophos, quòd ex auro fiat aurum, dicentes, & quòd auri ſemen ſit in auro tantùm aſſerentes, nè ſumas verba eorum ad litteram, quapropter ipſi ſemper, & ubique de auro noſtro vivo ſpermatico intellexerunt, quamvis & cæt. & hucusque Author prædictus.

Nunc ergo intelliges, quid ſignificent illa Augurelli Poëtæ verba in ſua Chryſopæja, dicentis: In auro ſemina ſunt auri, quamvis obſtrusè recedant longiùs, & cæt. Et ſi Philoſophi aliquoties dixerint,

rint, quòd in omni re materia prima universaliter resideat, & ex omni re extrahi possit, ut etiam quòd in te, in me, omnibúsque creatis, ut dixit Morienus Regi Kalid, veritatem dixerunt, quapropter omnis res creata cùm comburatur, ad suum reducitur principium, scilicèt in sal, quia sal est primum constitutivum, ex quo omnia generata sunt, itaque metaphoricè à Philosophis materia prima vocatur, quæ est in te, in me, omnibúsque sublunaribus & cæt. Unde cùm quoquè quandoque dicant, quod ex omni re, fiat Lapis: Istæ sunt sophorum cabalæ ad simplices decipiendos: quapropter omnia salia Lapides dicuntur, cùm in forma parvi lapidis appareant, quo ad visum videlicet, itaque sal nostrum Lapis vocatur, ut clarè patet ex sequentibus Philosophi verbis in Allegoria super Turbam *Vol.* 5. *Theatr. Chymic. pag.* 76. *Distinction.* 12. ubi legitur: hoc corpus, seu sal Philosophorum Lapidi sapientes comparârunt, & est calx viva eorum, & cæt. ut ita quoquè Lullius, Geber, Arnoldus, & cæt. conteștantur. Ergò omnia salia sunt verè Lapis, sed non omnis sal, seu Lapis, addit Lullius, est Lapis Philosophorum.

Sed ad Morienum redeamus: Ipse ergo Regi Kalid veritatem dixit: quia materia Lapidis prima Philosophorum, ùt supra probavimus, nil aliud est, quàm sal centrale omnium rerum, non autem ex omni re ad hoc aptum extrahi potest, quamvis ex eâdem radice universali proveniant omnia. Nam procul dubio si hoc sal in nobis non esset, vitam non haberemus, nec ulla res sub cælo subsistere posset? sed non jam, quòd ille spiritus in Lapide salino congelatus, sive Mercurius universalis in nobis, cæterísque rebus auro contrariis, diversísque alienis existens, ad aurum quoque producendũ sit aptus: itaque dixerunt sapientes, quòd in omni re latitet, non autem quòd ex omni re pro Lapide nostro habere possit, nequè quòd ad auri generationẽ sit idoneus: nam quamvis in sua prima natura sit unicus, in generatione rerum tamen est diversus, cùm innumera, ac diversa sibi suscipiat habitacula, ubi diversam quoquè ad rerum diversitatem in orbe multiplicandam, atque producendam sumit naturam, juxta naturam ab illo

individuo ſumptam. Et hîc multi ſunt decepti, qua de cauſa duo de hac unitate materiæ capita inferiùs compoſui, ſciens multos hactenus eſſe pertinaces, multas eſſe materias ad Lapidem Philoſophicum conficiendum falsè, ſtolidéque aſſerentes. Materia enim noſtra nulla res eſt animalis, nulla vegetabilis, nulláque mineralis, quamvis metaphoricè ita vocetur, ut inferiùs explicabimus.

At dices: cùm ergo neque ex animali, neque ex vegetabili, nec ex minerali, nec ex metallico Regno hanc primam Lapidis materiam habere poſſimus; in qua igitur re inquirenda eſt? Reſpondes cum Philatetha, & cæt. quære ipſam in re media, ſcilicèt inter miſtorum corpora, quæ res, ut ajunt Fratres Roſeæ Crucis, non eſt animalis, non eſt vegetabilis, nec mineralis, ſed tamen ex iſtis tribus mediatè aliquô modô nobis notô procedit. Hinc Ariſtoteles, Lullius, Pariſinus, & cæt. absque contradictione dicunt, quòd hæc res ſit animalis, vegetabilis, & mineralis, quia has retinet proprietates, & ex hoc Trino Regno mediatè tantùm provenit. Et ecce, quòd quamvis æquivocè ſemper Philoſophi loquantur, tamen in unum pro intelligentibus conveniunt, ſcilicet quòd ſit, & non ſit animalis, vegetabilis, & mineralis, ut ait *M. Eugen. Bonaccina in ſuo Compendiolo de auro potabili cap.* 2.

Fundamentum autem principale, ut Sophorum æquivoca, Cabalas, Ænigmata, tropos, figuras, parabolásque intelligere valeamus, & hanc inviſibilem, occultámque lucem comprehendere poſſimus, ac tangibilem, ac manifeſtam reſtringere, aptámque reddere, atque ipſam palpabilem habere queamus, eſt firmiter credere, totis viribus confiteri, totóque corde ſupremam Triunicam Lucem venerari, lucis hujus inferioris inviſibilis Authorem; Non enim mentiti ſunt Salomon, & S. Joannes dicentes: Deum eſſe veram Lucem, cujus ſplendor inextinguibilis eſt. Hoc autem Triplex, ſeu Triforme Increatum ſupremum Lumen, fulgidúmque Ens immortale tamen unum eſt ſubſtantiâ: Itaque ut Sacroſanctam Triadem credamus, & aliquô modô comprehendamus, Deus Triunicus Omnipotens non tantùm animam noſtram triuni-

triunicam ad ſui imaginem creavit, ſcilicèt memoriâ, voluntate, ac intellectu decoratam, ſed & hanc mirabilem materiam, quæ ſimiliter triunica eſt, habens in ſe corpus, animam, & ſpiritum. Si quis igitur hoc Lumen de Lumine in univerſa natura ſplendere videat, ac in creaturis omnibus, neque vel minimâ exceptâ, in firmamento, & ſtellis, in aëre, terra, montibus, vallibus, vegetabilibus, & aquis, in profundo maris, in metallis, & mineralibus, corporibus mixtis, creaturísque omnibus viſibilibus, & inviſibilibus, in quibus omnibus hoc Lumen eſt: In hac Luce cerni quoque poſſunt Omnipotentia, conſilium, voluntas, ſapientia, ordo, ac mirabile Creatoris Regimen, ubi quoque & viventium, omniúmque rerum ortus & exitus, hominísque reſurrectio, animæ immortalitas, & cæt. ſanè comprehenduntur, cùm hæc Hermetica Lux ſit rerum omnium naturalium cognitionis ſcaturigo, quæ omnia à ſummo Divino Opifice Ter Optimo Maximo Sapientiſſimo Omnipotenti Creatore noſtro Benigniſſimo creata, ac ordinata fuêre, nam ab ipſo Triunico Deo virtutes in cælum emanant, & à virtutibus cæli in inferiorem naturam virtutes, virésque profluunt, quæ rerum virtutes, cælorum vires vocantur, & omnes à Triunica ſuperna Luce miſericorditèr proveniunt. Unde *S. Apoſt. Jacob.* ait: Omne datum optimum, & omne donum perfectum à Patre Luminum deſcendit, quorum unum ex ſuo Divino ærario procedens, Lapidis hujus donum videlicet, mihi indigniſſimo famulo ſuo gratis benigniſſimè tribuit.

Cùm ergo omnia bona à Divino ſupremo Lumine proveniant, fidelitèr, humilíque corde ipſi inſervias, & ſic hanc triunicam inferiorem lucem à ſuprema Triunica Luce increata creatam felicitèr invenies. Etenim ait Dominus ( ùt *Venerab. Thom. à Kemp. lib. 3. cap. 43.* ſcribit ) Ego ſum, qui humilem in puncto elevo mentem, ut plures veritatis capiat rationes, quàm ſi quis decem annis ſtuduiſſet in ſcholis.

Hermes itáque Triſmegiſtus; Id, quod eſt inferiùs, ſimile eſſe ei, quod ſit ſuperiùs, in ſua Tabula Smaragdina confirmat: quapropter enim hinc elementa inferiora ſympatiam naturalem cum ſuperioribus

habent, quia ex uno, eodèmque chaote ſupernâ Luce informato ortum duxerunt, quamvis à ſuperioribus gubernantur, & ſic conſequentèr in hoc orbe ſublunari perennis magnetiſmus provenit, ùt *Pat. Athanas. Kircher. in ſuo de arte Magnetica Tractatu* funditùs declarat, & probat.

Deus igitur primùm lucem, ſeu quintam ſubſtantiam creavit, ex qua poſtmodùm cælum, ſtellas, planetásque formavit, ex materia verò minùs pura craſſiori elementa eduxit, ex quibus mundus, cæteráque ſublunaria conſtant. Lux autem primò creata, eſt ſemen naturæ univerſale, ſpiritus totius orbis vivificus, qui in hoc unico naturæ ſale congelatus repertibilis ineſt, melior quàm univerſa terra, à Sendivogio tali nomine decoratus, & meritò. Ex quo ſpiritu vivifico univerſali omnium rerum ſublunarium ſemina proveniunt. Hinc elucet, quòd lux iſta ſit natura ipſa rerum omnium operatrix à Deo primò creata, & potiſſima Lapidis Philoſophici eſſentia in profundo



Trianguli noſtri inſpecificata in primo ſuo ſtatu incluſa exiſtens, quam unicè pro Lapide noſtro tantùm idoneam eſſe Philoſophi Patres ſapientèr excogitaverunt, ſtatuerunt, ac talem ipſam invenerunt, itáque unicè quoque ſumendam eſſe juſſerunt, cùm ipſa tantummodò Lunæ, Solísque ſemina viva in ſe contineat, ut ait Paracelſus.

Cùm igitur natura in creatis ſit prima Dei creatura, ſcilicèt hæc Lux, & nullibi ad hoc aptam ipſam invenire liceat, niſi in triangulo noſtro, non eſt mirum, quòd ab Hermeticis materia prima metaphoricè dicatur: cujus ſubjecti mirabilitatem ut ſanè intelligamus, facilè quisquis mecum, ex Sacra Scriptura, quæ ſola verè vera Philoſophia Divina, & Catholica dici meretur, hanc veritatem noſcere poterit; etenim ſi quis cum pietate, & attentione ambo Teſtamenta perlegat, Scripturam Sanctam non tantùm prædicta docere, verùm quoque ſæpè ſæpiùs hoc mirabile ſubjectum multùm exaltare videbit, ex quo tantùm hæc Lux univerſalis unica Lapidis eſſentia, erui poteſt; Hinc *Kipleus in lib. Terra Terræ* ſcripſit, quòd de hac re fiat mentio in Sacra Scriptura pluribus in locis, & legatur à Sacerdotibus in altari. Et hæc eſt ve-

vera, & unica Philoſophorum materia, & de praxi in *Job. cap.* 28. & *cap.* 41. multa huic operi approprianda leguntur, taliáque in ſumma, ibi nobis manifeſtantur myſteria, quæ apud ullum Philoſophum nunquam invenire licet, ut naturam ejusdem ſubjecti intrinſecam in eo occultam, ſcilicèt lucem hanc primævam in ſale ſuo igneo incluſam, ac ejus virtutem, mirabilitatem, originémque noſcamus; ideóque tot vicibus, mirísque modis in ſacris litteris illud exaltatur, ut ipſum Philoſophicè examinando, ac anatomizando profundè comprehendamus. Nihilominùs pauciſſimi hoc intellexerunt antiqui, & multò minùs moderni, quamvis vulgò Philoſophi dicantur; & cauſa eſt, quia ſcripturæ ſanctæ pauci ſtudent, & ſi quandoque ipſam legendo percurrant, faciunt ſicut pueri, qui cùm librum præ manibus figuratum habeant, illum tantummodò propter figuras, ſeu imagines obſervandas, revolvunt. Et illi, qui verè ipſam funditùs ſtuduerunt, de hac re non curantes, ſuper hoc nullam fecerunt reflexionem, quia non omnibus datum eſt hanc gratiam habere, & ita pauci ſunt electi, &c.

## Caput Secundum.

### *De primo Philoſophorum remoto Subjecto, & cæt. ac de modo, vel praxi ipſum tractandi, ſeu dividendi neceſſitate.*

MAteria primordialis ex omnium Philoſophorum ſententia, inquit Beat. Ægidius de Vadis, fuit quoddam chaos ex aqua, & terra, aëre, & igne confuſum, quod Lactantius ſic definit: chaos, inquiens, eſt rudis, indigeſtáque materia, & confuſa elementorum congeries, & cæt. Alij maſſam confusè commixtam ab initio hiantem, appellant: Alij materiam cæli, terræque informem, quæ primùm ex nihilo facta fuit: Hinc à nonnullis dicitur Hyle, quamvis impropriè tanquàm primordiale rerum omnium principium. At Hyle, & chaos quò ad noſtram notionem valde differunt, quia Hyle potiùs materia remotiſſima imperceptibilis, ac incomprehenſibilis vocāri poteſt, ut ita propriè conſideratur, & verè materia prima vocatur. Chaos autem materia remota, ſive media, vel ſecunda nuncupatur. Etenim

de

de Hyle materia prima nobis ignota Divus Anguſtinus loquendo, ita explicat : cùm aliquid, inquiens, informe concipiam, priùs nihil intelligo, qnàm intelligebam: quia ſicuti nihil videndo tenebræ videntur, nihil ſimilitèr audiendo, auditur ſilentium. Sequitur ergo, quòd Hyle ſit illud incomprehenſibile principium à ſummo Opifice Divino creatum, quod inter aliquid, & nihil percipitur, aliquod tamen in ſua prima natura jam à Deo creatum procul dubio ab initio fuiſſe, credendum eſt, aliàs juxta illud :

*Ex nihilo nihil, in nihilum nil poſſe reverti.*

Alia verò materia ex Hyle proveniens nobis cognita, quæ non eſt adeò remota, dicitur chaos, ſive materia ſecunda, ſeu media, atque remota vocatur. Quæ pro opere noſtro primùm inquirenda eſt, de qua apertis verbis Scriptura Sacra loquitur. Hinc Sendivogius in ſuo *Novo Lumine Chemico Tractat 4.* dicit : Non prima, ſed ſecunda tantùm quæratur materia, & cæt. & non ùt ſimplices faciunt, qui ex aëre ſpiritum univerſalem, ſeu nitrum aëreum ab ipſis inſipientiùs nuncupatum, attrahere præſumunt. Ac idem Sendivogius ibidem in fine 6. tract. addit. prima enim rerum materia non videtur, occulta eſt in natura, vel in elementis; ſecunda verò interdum filiis doctrinæ apparet. &c.

Et hæc materia ſecunda remota ( in profundo cujus, materia proxima, primáque occulta eſt ) eſt illa indigeſta moles, in qua ſicuti erant, ſunt omnia confuſa, & commixta, quæ ad actum reducantur, ſpiritum ejus, ac lucem à tenebris dividere, ſeu ſeparare opus eſt, ſpiritum nempe ex aqua, & ignem ex terra eruere, ùt Philoſophi jubent. Etenim, ùt ait Avicena, formavit Deus creaturam ex tenebris diviſam, quam lucem appellari decrevit : volente poſtmodùm Deo myſteria Idearum totius mundi in abſtruſiſſimo Divinitatis receſſu latentium hominibus manifeſtare, vivas imagines, viva ſimulacra, exemplariáque Architecti Idearum ſimilitudinem referentia, formavit: eáque poſtea, ceu ſigilla ceræ per ſpiritum ſuum ( *Geneſ. cap. 1.* Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas ) materiæ mundi primordiali altiſſimè impreſſit; ſícque chaos illud mortuum animavit, & vivificavit, vacuum

um implevit, confuſum diſtinxit, tenebroſum illuminavit, crudum calore ſuo maturavit, incompoſitum ordinavit, impolitum ornavit, impurum mundavit, ſubtile à groſſo ſeparavit, ac diviſum reconjunxit, cunctísque formam impertitus eſt, ut inde pro radiorum diverſitate, illiúsque lucis ſcintillarum, alia ſubinde rerum omnium genera, ſpecies, & individua omnia juxta genus ſuum fierent, exiſterent, & multiplicarentur. Ita ergo eôdem modô per quantùm poſſumus chaos noſtrum tractare debemus; Etenim corpus, anima, & ſpiritus in ipſo chaote noſtro unâ ſimul chaoticè incluſa ſunt, & cùm arte noſtrâ ſpiritus, & corpus ex eo ſint extracta, anima in corpore latet occulta, ex quo corpore primò aceto noſtro mediante illam ſeparamus, & inde mediante ſpiritu ſimul iterum reconjungimus, cùm ſpiritus ſit amborum copula, introductor, & medium illa duo reconjungendi, ac matrimonificandi, qui quidem ſpiritus ſubtiliſſimus in eodem ſpiritu latens non videtur, etenim quamvis poſt ejus extractionem ſpiritus ſit volatilis, & aqua ardens, tamen poſt corporis imbibitionem cum ipſo ſpiritu peractam, in evaporatione pars ſpiritualior ſubtiliſſima in corpore ipſo figitur, & pars aquoſa, ſicut aqua fontis in igne cinerum, vel evaporando evaneſcit, vel diſtillando projicitur, cùm nullius ſit valoris. Hinc multi diſtillare jubent, alii verò lenitèr evaporare, quod eſt perinde.

Et per ipſum ſpiritum, corpus fixum, ſeu mortuum vivificatur, maturatur, clarificatur, reſolvitur, & volatilizatur, & ſpiritus imprægnatur, acuitur, & per ipſum corpus figitur, atque ita corpus, anima, & ſpiritus ſimul inſeparabilitèr conjunguntur, & in aquam lacteam permanentem in unum congregantur, & tunc corporis ſoluti ſpiritus ſuper aquam innatat. De quo artificio, vide *Annotationes Nicolai Flammelli Vol. 1. Theatri Chymic. pag. 759. ex Villanovano. 767. ex Clangore Buccinæ, ac pag. 757. ex Roſario, & Cæt.* Hinc Philoſophi opus hoc operi creationis aſſimilârunt.

De quo remoto chaote, materiâ ſcilicèt ſecundâ, ac etiam de materia proxima ex illo extrahenda ad lapidem noſtrum conficiendum, omniáque profundè explicata, vide *Enchyridion, ſeu Phyſicam reſtitutam*

*Canon.* 49. 66. 69. *&c.* Quæ uſque modò brevitèr diximus, in primo capite Geneſeos manifeſta habentur, ubi ſic legitur: In principio creavit Deus cælum & terram, terra autem erat inanis, & vacua, & tenebræ erant ſuper faciem abyſſi, & ſpiritus Domini ferebarur ſuper aquas: Dixítque Deus: Fiat Lux, & facta fuit, & cùm vidiſſet Deus lucem eſſe bonam, diviſit lucem à tenebris. & cæt.

Hoc opus ergo, hic labor eſt, lucem à tenebris dividere, & puriſſimam reddere, atque inanem terram per ſpiritum fertilem facere, & ſpiritum ejus fixum per ſpiritum volatilem ſublimare, adeò ùt ſuper aquas ex abyſſi tenebris evulſum, alatum, & natantem, ſeu aſcendentem, fulgidúmque conſpicere valeas. Etenim niſi terram fixam aquâ mediante volatili, volatilem quoque reddas, donec infra aquam terram natare reſpicias, nihil efficies; lux enim in ipſa terra latens occulta opus eſt, ut pateſcat; hoc eſt, media tantùm puriſſima, ac lucidiſſima terræ noſtræ ſubſtantia per aquam noſtram ſpiritualis effecta, unâ cum aqua ipſa aſcendat in altum.

Meminiſti ergo eorum, quæ ſuprà diximus, quòd hæc lux in profundo chaotis noſtri occulta, atque ſepulta lateat? propterea Hermetica Philoſophia clarè deducit, quòd prima Dei formalis creatura ex præjacente chaote educta, fuerit ipſa lux, cùm ultima in ſeparatione, ſeu ex tenebris diviſione, appareat. Sic igitur ſapientes ſcientes, quòd lux concentrata, in profundo chaotis noſtri congelata ſepulta, ſicut ignis in calcedonia, marcaſita, lapidibus, & cæt. ſit ipſa natura prima Dei creatura, omniúmque rerum univerſale principium, ex quo omnia ſublunaria generantur, conſervantur, multiplicantur, ac ex tenebris chaotis diviſa mirabilia producere poſſit; Hoc inde chaos itáque, materiam ſcilicet ſecundam, ſeu remotam chaoticè confuſam ex cælo provenientem in ſacra Scriptura tam exaltatam, ſcrutati ſunt, ac ſapientèr anatomizârunt, & hanc lucem Hermeticam in profundo ipſius chaotis ſepultam. in ſalem mirabilem congelatam, invenerunt, & ita à tenebris diviſerunt, perfectéque depurârunt, ſpiritu acidulo diſſolverunt, aquâ nempe ſui generis ex eodem chaote provenientc; poſt-

mo-

modùm cum ſpiritu volatili reconjunxerunt, maturârunt, & perfeceſunt, & cæt. Et hæc eſt ars noſtra, quam non immeritò operi creationis aſſimilârunt ſapientes.

Hæc itáque *Lux Hermetica*, è tenebris chaotis Philoſophici emerſa, & arte noſtra *Clarificata*, ſumméque purificata, ac ab iis terreis fæculentiis, inquinamentísque poſt Adæ lapſum maledictionis divinæ causâ contractis, à culpa originali per ignem, & aquam mundata, ac ſeparata, eſt illud vnicum argentum vivum univerſale ſapientum, quod quintum, ſeu quinta eſſentia in elementis, ſive elementaribus rebus, prima ſubſtantia, ac vera, unicáque prima à Philoſophis nuncupata materia ferè omnibus adhuc ignota, ac indefinita, tantâ mirabilitate decorata, ac eſt ſulphur inſpecificatum naturæ, ſeu ſanguis ejus, ignis vivificus, anima mundi, ſpermáque orbis univerſale, ſpiritúsve univerſalis congelatus, melior, quàm univerſa terra, ut ait Sendivogius, unicus Sophorum mercurius, unica proxima lapidis noſtri, metallorúmque materia, ſeu prima mineralium ſubſtantia, & cæt. ùt ita à ſecretioris veræ Chymiæ Profeſſoribus nuncupata fuerit, & quòd verè ſit Spiritûs ſancti opus, ſuæque omnipotentiæ manufactura concipitur.

Hæc Catholica lux ergo prima Dei creatura eſt potiſſima pars lapidis noſtri principalis, quæ vitam, motúmque perennitèr creaturis aliis largitur omnibus, ac impertit, & eſt principale fundamentum in hac arte, omnísque ſapientiæ, ac potentiæ naturalis aliarum ſecretiſſimarum artium unica Baſis, ſecretiſſimum arcanorum arcanum à quamplurimis inveſtigatum, à pauciſſimis inventum, ac eſt unicus ſcopus ad quem totum magiſterium hoc ſapientum refertur.

Hæc quoque univerſalis congelata elementorum quinta eſſentia in ſe numerum X. denarium complectitur perfectum, qui numerando ſemper reiteratur, lux enim in centro ſemper unitatem obtinet, quia eſt ſimplicis eſſentiæ, ac uniusmodi naturæ, ideóque ignis ſummè vivificus, cætera verò elementa non ſunt adeo ſimplicia, itáque corruptibilia, lux autem ſemper incorruptibilis eſt, & immortalis, ſicuti habemus in 2. *Petri cap.* 3. *1.* 12. Elementa, dicentis, ab

 æſtu

æstu solventur, & ab igne comburentur. Propterea lapis noster, sicut & aurum nunquam corrumpuntur, quia ex hac luce generati, itáque sunt ignis ex igne, quapropter elementa invicem sine discrepantia ibi sunt indivisibiliter colligata, quæ per rotam Physicam inde in ignem fixum vertuntur, ac in *Circulum Quadratum* perfectum æternitatis typum inexterminabilem commutantur.

Concludo igitur, quòd hæc lux, sive quinta essentia mundi sit anima elementorum, totiusque universi creati inexterminabilis, ita ut in hac una eorum omnium consistat virtus, & energia, & ita est in ipsis elementis primum & quintum. Et hic est cinis ille Phœnicis nostræ ab antiquis sub tali fabula velatus, qui in se sal illud immortale vivificum continet, quod per ignem ex cineribus inde resurgit. Et hæc est Salamandra, quæ vivit, & gaudet in igne, à Philosophis ita paraboliсè indicata; quia incombustibilis est. Hæc autem ignota, ac tam quæsita lux concentrata, seu quinta essentia universalis in profundo chaotis nostri ligata, ac in corpore salis Philosophici congelata, & occulta, in cælo veluti in Patria sua liberrimum, & diffusum servat motum deorsum semper tendentem. In terra verò innumera sibi suscipit habitacula; in centro autem salis nostri ex prædicto extracti chaote coagulata, & fixa tantùm de natura auri reperitur, quia est reverâ vivum, unicúmque auri semen, sulphúrque fixum naturæ & artis occultum; quod remotum chaos, sive subjectum, sicut & proximum artis prædictum omnia elementa in se continentia, ex terra scilicet, & aqua in manifesto, aëre & igne in occulto, composita (nam Aër in Aqua, & Ignis in terra latent, ùt ita in *Rythmis Germanicis Vol. 6. Theatri Chymici pag.* 512. 513. atque in *Tractatu Gloria Mundi* ulteriùs ibidem *pag.* 516. testatur) Habent in se tria primordialia naturæ, & artis principia, sal, nempe, sulphur, & mercurium, non sal commune, sed sapientiæ. Non sulphur vulgare, sed naturæ, non mercurium Chemicolarum, sed Sophorum. Tres diversissimæ sunt res, scilicet corpus. anima, & spiritus, ejusdem tamen generis ac substantiæ. Inter se sunt distinctæ, quamvis ex una re provenientes, ejusdem tamen virtutis ac potentiæ:

unáque ab alia procedit, & tamen ſimul ortum duxerunt ; unde eſt una res in trinitate, ac trina res in unitate conjuncta, atque etiam in Trinitate diſtincta. ( Hinc, qui ſupremam triunicam increatam lucem non intelligunt, ſedulò prædicta reflectent ) mercurius eſt dulcis albus, ſpiritualis, volatilis, & olens. Sal eſt fixum, de natura metallica, amarum, corporale, incombuſtibile fœtens. Sulphur in corpore, ſeu ſale occultum eſt aurificum vivum, ponderoſum, rubrum, atque fixiſſimum. Sal eſt album, & à chaote procedit, & eſt terreum, ſed ſuſile. Sulphur à Sole provenit, & eſt igneum, primúmque creatum, & una cum Sale ortum habet. Mercurius à chaote & ſale animato procedit, ſicuti de ſale, & ſulphure in ſua natura participat ; & tamen ſimul triunicam originem noſcunt. Et ex iſtis tribus deinde fit unum in ſubſtantia, quæ poſtmodùm ſubſtantia eſt immortalis, & incorruptibilis, atque ſpiritualis, quæ tunc eſt materia proxima jam parata metallorum, Philoſophorúmque perfecta, ex qua lenitèr per biennium circitèr decoctâ fit vera Tinctura univerſalis, ſive Lapis Sapientum.

Illud ergo ſulphur igneum prædictum naturæ mirabile eſt illa *Lux Hermetica* in centro ſalis noſtri concentrata, ſive ignis fixus in illo corpore ſalino incluſus, quamvis primo aſpectu inviſibilis, ſicut ignis in ſilicibus, qui per artificem in tenebris diviſus *clarificatur*, nempe à ſcoriis ſeparatur, & purificatur, & quod erat occultum, ita fit manifeſtum, ùt jubent Philoſophi, cum quo natura ipſa illud in viſceribus terræ attrahendo, ac unâ cum ſuo corpore ſalino, mercurióque intimè miſcendo, decoquendo, digerendo, ac maturando, denique ſecundùm terræ recipientis qualitatem, ac materiæ depurationem, & cæt. ubi aurum, ubi argentum, & cæt. generat, cæteráque metalla producit, juxta ſulphuris proportionem albi, vel rubri, ac eorum depurationém, locíque munditiem, & cæt. cùm ſulphur album ſit ſal, & ſulphur rubrum ſit ejus anima ignea, ſeu lux prædicta concentrata, mercurius verò introductor, ac medium tincturas conjungendi, & cæt. Itáque Philoſophi dixêre, quòd hoc corpus ſalinum exteriùs ſit ſemen

Lunæ, interiùs verò ſemen Solis, & corpus ſolare, ac lunare duplex Androgynum eſſe ſcripſerunt.

Unde materia hæc, ſcilicet lux illa inviſibilis concentrata, à Philoſophis materia prima ſine forma, & forma illa nîl aliud ſit, quàm aër luce intrinſeca congelatus, ùt ait Sendivogius, & aër, ſive lux ſit materia prima, ergo metaphoricè ſal illud materiæ quoque primæ nomen meretur, quamvis ſit verè materia ſecunda. Etenim ſi aër non eſſet ita à natura in corpore chaotis noſtri congelatus, & ligatus, tunc primò eſſet Hyle, quod quò ad noſtram notionem imperceptibile, & ferè nihil, ità & conſequentèr nîl quoque fieret ex ipſo. Quapropter;

*Ex nihilo veluti nîl fit, nihil inde videtur,*
*Ex igitur nihilo pariter nihil inde ſequetur.*

De hoc itáque aëreo univerſali vapore, dixit Pater Hermes. Portavit illum ventus in ventre ſuo, & hoc, quia ex aëre, ùt diximus, provenit, quòd inde in formam ſalis in corpore magneſiæ noſtræ ſimilitèr ex aëre provenientis, congelatur; & hic aër congelatus eſt noſter mercurius univerſalis, qui metaphoricè materia prima vocatur, à Michaële Sendivogio ita deſcriptus, dicente: Eſt in aëre occultus vitæ cibus, cujus ſpiritus congelatus melior eſt; quàm univerſa terra: aër generat magnetem (& ecce, ùt dictum eſt, quòd etiam magnes, ſcilicet chaos noſtrum, ſubjectúmve remotum ſimilitèr ex aëre provenit) magnes facit apparere aërem noſtrum: aër enim eſt veterum Philoſophorum materia, & cæt. ſcilicet, quòd ex ipſa magneſia chaotica arte noſtrâ apparere facimus vulcano mediante, intrinſecum ſuum aërem congelatum, quod eſt ſal animatum prædictum, unâ cum ſua *Luce Hermetica* interna, videlicet, conjunctum, ut clariùs explicatur in *Vol.* 3. *Theatr. prædict. in Tractat. Antiquiſſimi Philoſophi Galli de ſecretiſſimo Sophorum arcano pag.* 776.

Quid autem ſit iſtud magneticum chaos in ſequentibus capitibus, ubi minùs ſit expoſitum, docebo. Hoc interim ſcias, quòd ventus, ignis, lux, aër, ſulphur, argentum vivum, terra. vitriolum, nitrum, omniúmque metallorum nomina, lapidum, mineralium, cæteráque ſoli-

ſolida, ſeu corporea quæcunque, hoc unicum ſemper ſal centrale ſapientum, ubicunque in Philoſophorum ſcriptis prædicta perlegas, tantummodò ſignificant, ut ita egregiè explicatur in *Lib. de Magni Lapidis, ſive de Alchemia Part. 1. Vol. 3. Theatri prædicti cap. 16. pag. 18.* atque *in Novo Lumine Chemico Michaël. Sendivogij Tractat. 12.* & cæt. ùt ita ſimiliter Albertus Magnus, & cæt. cæt. conteſtantur, ac inferiùs ſuo loco lucidiſſimè probabimus, & cæt.

# Caput Tertium.

## *Quòd Lux Hermetica, ſive quinta eſſentia univerſalis habeat pro domicilio Ignem, tam in cælo, quàm in terra, & quomodo acquiri poſſit.*

QUando Creator ſapientiſſimus Lucem, ſive Primævam Naturam creare voluit, cùm de natura ſubtiliſſimæ Lucis eſſet in ſublime attolli, congruum illi ſubjectum ſtatuere decrevit, quapropter dedit ei domicilium conveniens, nempe ignem, & ſanè ſine hoc nobiliſſimo elemento impoſſibile nobis eſſet Lucem detinere, cùm Lux ſit per ſe omninò ſpiritualis, oculísque corporeis inviſibilis, quæ ab Hebræis dicitur: Lux ſub ſolio Gloriæ, quam Deus inhabitat, nemo mortalium unquam vidit, neque videre poteſt. Ignis verò in ſe unus, in mixtis multiplex, ac in diverſis diversâ notâ diſtributus ad diverſas rerum ſpecies, ac individua juxta genus ſuum multiplicanda, ac à natura adaptatus, itáque paſſim, & ubique in omnibus cæleſtibus, terreſtribus, ac elementaribus prout ipſa lux reperitur: Nam Lux in nullum aliud corpus faciliùs, quàm in ſubſtantiam Ignis ingreditur, nec Ignis forma ſine ipſa Luce ad actum deduci poteſt. Etenim ſi Lux in raro ſubjecto nimis coarctetur, parit ignem, ùt in concentratione radiorum ſolis per concavum ſpeculum clarè patet, qui dum à ſpeculo concavo coadunati reflectuntur, combuſtilia urunt. Hinc Oleum, Cera, Pix, cunctáque pinguia, cùm comburantur, præbent ignem, quia Lux in ipſis concentrata, cùm reſolvantur, parit ignem: unde Lux, quæ de die à ſole procedit aërem irradiando, & Lux, quæ ab igne candelæ de nocte egreditur nos in tenebris illuminando, aliud corpus utraque non

agno-

agnoſcit, quàm corpus Ignis, hac tamen cum differentia, quòd Ignis cæleſtis, qui longè alius eſt, & ab Igne terreſtri diverſus, ſit rerum conſervativus, Ignis verò terreſtris earumdem ſit deſtructivus propter impuritates admixtas: & cæt.

Hinc de iſta univerſali Luce, legitur in Phyſica reſtituta *Canon.* 34. ( quæ tamen ex unica tantùm magneſia chaotica noſtra ad hoc apta extrahi poſſit, ibidem in antecedenti Canone declaratur apertè ) ex ſitu ac efficaci ſolis virtute licet inferre, eum cordis vice in univerſo fungi, ab eo enim vita in omnes defluit partes. Lux quippe vitæ vehiculum, imò fons, & cauſa proxima; ac viventium animæ radij Lucis ſunt cæleſtis, qui vitam rebus inſpirant, ſolâ hominis animâ exceptâ, quæ Lucis ſupernaturalis, & cæleſtis radius eſt. Ignis autem naturæ, qui in orbe ſolari ſuum habet domicilium, ab Igne noſtro longè alius eſt, quamvis noſter Ignis tanquàm rivulus ab illo procedat, & cæt. Et ulteriùs ibidem de hac mirabili Luce vivifica univerſali in intimis thalamis chaotis noſtri congelata, & occulta, profundè in Canone 177. & 178. tractatur.

Iſta tamen Lux igne commixta in omnibus rebus creatis ſublunaribus ſub quovis regno animali, vegetabili, minerali, ac metallico exiſtentibus reſidet, ac ubi plus, ubi minùs abundat, & ſplendet, non autem ex omnibus rebus ad hoc apta, ùt ſuprà dictum eſt, extrahi poteſt, propter naturæ diverſitatem jam ſumptæ, cùm in unoquoque individuo juxta ſuam ſpeciem à Deo ſapientiſſimè ordinatè diſpoſita fuerit, adeò ut hæc Lux in ſperma te animali, ac vegetabili, naturam tantùm animalem, & vegetabilem habeat. & facultatem; non autem metallicam. Ac in metallis jam mortuis, & ad ultimum eorum finem perductis, cùm hoc ſperma ſit ibi exſiccatum, ac Lux ſpecificata, & extincta, ex ipſis eſt impoſſibilis extractionis. Ita & in mineralibus omnibus cùm ad aliam generationem ſit conſtituta, diversúmque conſequentèr ſemen habeant auro contrarium, eſt impoſſibilis adaptationis. Exempl. grat. ex vitriolo communi extrahi poteſt, ſed tantùm ad cuprum generandum eſſet aptum. Ex minera Saturni poteſt, ſed tantùm.

tummodò ad plumbum procreandum eſſet efficax. Ex Cinnabari minerali, poteſt; ſed ſolummodò ad Argentum vivum commune efficiendum eſſet capax. Ex ſoda haberi poteſt; ſed unicè ad vitrum conficiendum valeret. Ex nitro vulgari, erui poteſt; ſed nil aliud, quàm aquam corroſivam efficies. Ex ſale terræ cõmunis, poteſt; ſed nil aliud quàm nitrum haberes. Et ſic de cæteris. Etenim nemo dat, quod non habet, ùt dictum eſt.

Hinc fratres aureæ crucis; Geber; M. Eugen. Bonaccina, Rogerius Bacco, Riplæus, & cæt. concludunt, quòd ex metallis omnibus, mineralibus, ſalibúsque vulgo notis, & cæt. ubi hæc lux vel exſiccata, atque extincta in metallis, vel ſpecificata in mineralibus, vel infecta in ſalibus vulgaribus, vel aliâ inductâ naturâ in aliis rebus auro contrariis, pro opere noſtro adhibita, nullius ſit valoris, & omnino fruſtranea, ac inutilis cenſeatur.

At dices: quomodò ergo Lullius, Pariſinus, Divus Thomas, Rupe-Sciſſa, Sendivogius, & cæt. nil aliud in ſuis ſcriptis magìs doceant, quàm vegetabilia & animalia, & quòd de rebus vegetabilibus, & animalibus tantummodò Lapis conficiatur?

Reſpondeo; quòd certè non tantùm ipſi, ſed ferè omnes ita ſcripſerunt, ac veritatem pro intelligentibus innuerunt: ſed audiviſti etiam ab aliis, quòd Lapis noſter ex mineralibus, per mineralia, & cum mineralibus tantùm producatur? ergò iſti fortè tibi contradictores eſſe videbuntur? quamvis revera tales non ſint, & unum ſentiant, ùt inferiùs ſuô locô lucidè explicabimus.

Perlegiſti etiam pluribus in locis, quòd Lapis ſapientum ex ulla re vegetabili, ex ulla re animali, ex ulla re minerali proveniat, neque ex ulla re ab ipſis procedente fieri poſſit, ſed ex rebus incombuſtibilibus, at fuſibilibus tantummodò confici queat, & cæt.

Itaque ſcire debes, quòd cùm Philoſophi dicant materiam noſtram eſſe animalem, & vegetabilem, vel ex ipſis provenientem, veritatem quoque ſcripſerunt; ſed quomodò hoc intelligatur, non omnibus datum eſt comprehendere, quare, niſi nobis, & illis, qui materiam

nôrunt. Sicuti quoque quare alibi dicant, quòd ex metallis, ſeu mineralibus tantummodò Lapis fiat, etenim ex metallis, & cum metallis metalla generantur. Cabalæ reverâ ac ænigmata ſunt nimis ardua inſipientibus intellectu: ſed hoc intelligitur, quòd cum ſpermate, & ex ſpermate vivo metallorum, metalla gignuntur, non autem ex corporibus metallicis, ùt ſupra dictum eſt, nam ex corporibus, corpora non generantur, nec ipſa natura hoc facere poteſt.

Hæc unica chaotica materia remota ex cælo immediatè provenit, & eſt omnino ſubſtantia aërea cæleſtis, ſi Authores de origine & natura rerum, ac de ipſa tractantes, quamvis non Adeptos, bene perlegeris, ſicuti inter alios Patr. Athanaſium Kircherum, Petrum Joannem Fabrum, Morophium, & cæt. unde nec eſt poſitivè animalis, neque vegetabilis, quamvis talis appareat, nec ex ipſis conſtat, neque ex ipſis ullo modo immediatè provenit, licèt vulgo ignoranti talis eſſe videatur, ſed tantùm mediatè aliquo modo nobis noto, quia mediantibus animali, & vegetabili obtinetur; & de hoc puncto vide *Ginecæum Chemicum pag. 675. 696.* & ita metaphoricè meritò dicitur materia animalis & vegetabilis, quamvis abſolutè non ſit. Et vocatur quoque mineralis tribus de cauſis: prima ratio eſt, quia ex minera cæleſti immediatè provenit, ùt Lullius, Sendivogius, Hermes, Philaletha, & cæt. teſtantur. Secunda cauſa eſt, quia eſt minera noſtra, ùt idem Lullius, Rogerius Bacco, Ros Aurificus, & cæt. declarant. Tertia, quia ſal illud centrale ſuum, eſt de natura metallica, ſemen auri & argenti incremabile, fuſile, fixum, & ſalia omnia etiam mineralia dicuntur. Oportet igitur eſſe ſubtiliſſimo ingenio, ac perſpicaciſſimo intellectu dotatum ad cabalas Philoſophorum ritè intelligendas, aliàs ſi hoc Philoſophi aſtuti non feciſſent, hæc ſacra ſcientia omnibus jam eſſet communis; & pueri opus noſtrum deriderent, ùt legitur in fine Turbæ.

Unde ad aurum conficiendum ſuper terram ad ejus primordialia ſemina, principiáque naturæ propria prout natura ſub terra peragit, ac Hermes docet, recurrere debemus, ac opus à capite, & non à calce ſive cauda incipere? quod primum verum auri ſemen ex unica re tantùm

tùm ſub cælo haberi poteſt, ex minera cæleſti proveniente, ac ex animalibus ſubinde, vegetabilibúsque ſuper terram mediatè procedente, ùt omnes Philoſophi, ſicuti experti, generaliter congruentes concludunt, ex qua unicè hanc Lucem Hermeticam de natura ſolis & lunæ coagulatam pro ſemine incremabili metallico multiplicabili præparando ad Lapidem Philoſophicum tantummodò conficiendum, eruere poſſumus. Quapropter in ipſa tantùm hæc lux fixa ignea incombuſtibilis conglutinata ſolifica & lunifica invenitur. Ex aliis verò rebus omnibus propter naturæ ſuæ diverſitatem auro contrariæ extracta (quamvis ante ejus extractionem artificis vita deficeret, ùt ſuprà ex Lullio, Sendivogio, & cæt. demonſtravimus) in hac arte fruſtranea foret, & omnino inutilis. Quare quamvis eſſet poſſibile, quod non eſt; ex regulo Martiali, Antimonio, Cupro, & cæt. iſtud primum extrahere ſperma, ùt multi fatui putant, niſi ferrum, cuprum, & antimonium generare, ſeu multiplicare poſſent? quia nemo dat, quod non habet. Sicuti ex chaote noſtro, niſi ſperma de natura auri & argenti eruere valemus, cùm nil aliud in ſe proximè contineat. Quòd ſi Baſilius Valentinus aliquod particulare ex antimonio confecerit, hoc fuit, quia primò antimonium aliquid de auro ut plurimum in ſe continet, & quod habet, dat: ſecundò, quia Baſilius hoc ſperma univerſale primum agens in hac arte, ſicut alii Philoſophi poſſederunt, ipſe habuit, ùt ipſemet in fine concludit, & fatetur, cum quo agente univerſali multa particularia fieri poſſunt, & ſine quò nihil, ùt ipſe Baſilius, & Sendivogius teſtantur, & cæt. ùt ſuo loco ex ipſomet Baſilio ita concludente probabimus.

Item cùm ipſe Baſilius in duodecima ſua clavi, unâ cum Philoſophis omnibus dicat, quòd ſpiritus & corpus ambo ex una tantùm radice proveniant, & quòd magnâ ſpiritûs copiâ in opere noſtro tam in prima diuturna præparatione peragenda, quàm in ultima multiplicatione perficienda, indigeamus, & hæc omnia cum ſuomet ſpiritu ſemper ſint facienda? ut inter alios apertis verbis *Iſaaceus Hollandus in ſuo opere minerali lib. 1. cap. 30.* & alibi declarat. Quomodò ergo hanc ſpiritûs copiam ex antimonio, regulo, cupro, cæterísque metallis tam perfectis

quàm imperfectis chemicolæ extrahere præsumunt? & ne igitur ista præsumptio insania maxima, vel non?

Itaque sapientes chaos illud valdè spermaticum spiritu vivo plenum, saléque fixo metallico decoratum ad hoc tantùm idoneum sapienter sumendum esse judicârunt, in quo juxta aliorum corporum omnium proportionem satis, quamvis modica, hæc lux concentrata, sive ignis fixus congelatus, seménque vivum solificum & lunificum visibile & palpabile latet, ac unicè ad Lapidem conficiendum jam aptum, ac spiritu aliis subjectis quibuscúnque copiosiùs abundat.

Quod chaos ergo, sive remotum artis subjectum est principalis, unicáque hujus divinæ scientiæ clavis, ac prima necessaria in hac arte cognitio, sine qua clavi arcem Hermetis penetrare non licet; nam habitâ clavis hujus cognitione, omnia ænigmata, controversiæ apparentes, æquivoca, parabolæ, contradictiones illusoriæ, & cæt. intelliguntur: quare hoc subjectum animale & vegetabile dicatur, quare etiam quòd non sit ulla res animalis, ulla vegetabilis, ulla mineralis, nec ex ipsis ullo modo immediatè procedat, sed tantummodò mediatè, & quomodò, quòd omnibus sit nota, ac ubique repertibilis, vili pretio venalis, quomodò sub sterquiliniis inveniatur, qua re plus habeant paupe-res, quàm divites, & cætera omnia clarissimè percipies, omniáque ænigmata intelliges, & cæt. sine qua verò clavi nihil, & nemo. Quâ de causâ hæc mirabilis Theosophia est tam occulta, difficilis, & rara, etenim hac primâ clavi ignoratâ, omnia sunt inexpertis inextricabilia, ad cujus itaque inquisitionem multi sunt vocati, pauci verò electi, ut cum *Matth. cap. 20. 16.* hìc dici possit: quia paucissimi dantur, qui veram hanc materiam comprehendere valeant, ac genuinã noscant originem, & materia ipsa est clavis artis primaria, ac sine hac clavi Authores magìs leguntur, minùs intelliguntur. Quapropter nemo verã ignorans materiam aliquid ex ipsis intelligere gloriari potest, & si gloriantur, sunt vaniloqui, audaces, & deceptores, & nil aliud ipsis Authores perlegendo prodest, quàm propter materiæ nominũ multitudinẽ, ut hallucinentur, confundantur, ac plures esse materias credant, & vias, operationes, artificiáque mul-

multa putent, ac expenſas, ſtudia, tempúsque terant, & vitam abbrevient. Etenim per Deum ſemper laudatum & non juratum, juro, in tot itineribus, & colloquiis per medium ferè orbem in circuitu, unum tantùm me inveniſſe veræ materiæ intelligentem, in praxi verò ignorantem. Aliàs neminem, niſi ſophiſtas, & prima principia ignorantes.

Ne igitur erubeſcant moderni Philoſophi, ſeu Chymiſtæ vulgares hujus ſacræ ſcientiæ cultores, hanc verò artem ignorantes, & fruſtra absque magiſtro inveſtigantes, quamvis in cæteris ſapientiſſimi, à me ignariſſimo Hermeticas ſumere doctrinas? cùm non omnes ſciant omnia. Paulus fuit doctiſſimus, à Deo ſumma virtute decoratus? & tamen jussu divino ab Anania inſtructionem accepit, quamvis Ananias unus ex minoribus Chriſti fuerat Diſcipulus. *Act. Apoſt. cap.* 9.

Moſes fuit à Deo ſublimi ſapientia dotatus; & tamen à Deo ad Jetrum ſimplicem ſacerdotem, ut in cauſis populi fuiſſet edoctus, miſſus fuit. *Exod. cap.* 18. David erat ſapientiſſimus? & tamen pro templi ædificatione per Prophetam Nathan inſtructus fuit? 2. *Reg. & cæt.* Etenim

*Non omnes diſcunt, dicunt qui ſe eſſe ſcholares.*

Magiſtrum verò quoque docentem habere, non ſufficit, ſed piè agentibus dat Dominus ſapientiam, ùt *Eccl. cap.* 43. 37. præſertim in hac arte, ubi multa niſi ocularitèr videantur, quæ in praxi ſunt imperceptibilia, ùt inferiùs, verè concipies. Cùm praxis ſit prædictâ clavi longè difficilior. Unde nec credere, nec cogitare poteris Chariſſime Lector, quantas expenſas, & probas, quot itinera & colloquia, quæ ſtudia, vigiliásque fecerim, antequam veram inveniſſem praxim, quamvis indubitatam, plenariámque veræ materiæ notitiam habuiſſem, quàm, ut verè verum fatear, niſi per divinam miſericordiam accidentaliter in circuitu verum inveniſſem Adeptum, nunquam in vita mea opus hoc perfeciſſem, quápropter nunquam credidiſſem duas eſſe Philoſophicas aquas ex eodem chaote provenientes neceſſarias, ùt inferiùs ſuo loco apertè demonſtrabimus. Itaque ſemper in errore meo manſiſſem, & nunquam prima corporis aquâ ſui generis ſolutionem perfeciſſem.

Unde bene dicit Alphidius in ſua clavi Philoſophorum: qui ignorat, ne probet, cùm qui non probat, non erret, qui enim non errat, laboris viam non invenit, & qui non laborat, non pervenit ad ſublimia. Hinc cum *Deuter. cap. 32. 10.* dicere poſſum: Deus circumduxit me, & docuit. Etenim, niſi per tot annos in orbe in circuitu vagatus fuiſſem, praxim non inveniſſem.

Deinde verò ſummè gaviſus, totísque viribus in hoc opere immerſus, nutu altiſſimi, cùm artis complementum obtinuiſſem, & cùm hanc veram poſtmodùm praxim à magiſtro mihi benigniſſimè detectam, apertis verbis in opere minerali Iſaacci Hollandi congruentis inveniſſem, denique opus integrum ex ipſo Authore excerptum, probatum, & Deo ſint laudes, perfectum, hunc tractatum pro tua eruditione, poſterísque lumine ordinatè ſine ulla Zelotypia componere decrevi, ac in fine operis hujus in epilogo clarè deſcribam. Nam cognitâ materiâ tam remotâ, quàm proximâ, quam te ulteriùs docebo, ibi in prædicto opere minerali ſupracitati Iſaacc. Hollandi, tu quoque procul dubio omnia intelligere poteris.

Multi autem de hac unica re, ex qua omnia operi noſtro neceſſaria extrahuntur, ùt Geber, & cæt. teſtantur, penitùs ignari varia imaginantur, certáque fiducia obſtinati, ſe genuinam Authorum mentem intelligere jactant, & in falſa opinione pertinaces, ſtoliditate fortes, uti Bufones inſaniâ oppreſſi, potiùs intermoriuntur, quàm ut à falſis imaginationibus ſuis ſemel pro veris ſibi impreſſis recedere velint, & quod eſt pejus, cæteros perſuadere conantur ſe alios docere poſſe, quod ipſi hactenus neſciunt, & tamen temere Philoſophi vocari præſumunt; ideóque potiùs in decipiendo perſiſtere, quàm ab infirmitatis, culpæque ſuæ conſcientia deſiſtere putant. Et hæc eſt cauſa primaria, quòd multi ubique ſint decepti, quia ſtudere nolunt, & cùm nullam de hac ſcientia cognitionem habeant, fumivendulis tantùm, ignarísque ſophiſtis fidem præſtant, qui ex metallis, mineralibus, ſalibúsque communibus, & cæt. ſtercoribus, urinis, gummis, ſimilibúsque rebus fruſtraneis illuſoriis ab iſtis ignorantibus, deceptoribúsque pro vera materia

de-

decantatis Lapidem facere præſumunt,& omnia bona dilapidant,quorum hujusmodi ſtultorum infinitus eſt numerus, ùt *Eccl. cap. 1.* à quibus nebulonibus primam impreſſionem tam firmiter acceperunt, quod nîſi aliud audire volunt. Sunt etiam alii, qui ex uno tantùm Authore vel falſo,vel vero hanc ſcientiam addiſcere putant. Et ego per triginta annorum temporis ſtudium omnes perlegendo Authores deſudavi,antequam aliquid ſciviſſem, & tamen niſi ſubinde magiſtrum inveniſſem, nihil unquam in mea vita perfeciſſem. Nunc verò immortales Deo meo gratias humili corde genuflexus agere teneor, qui tam benignè in mea ſenectute poſt tot diſcrimina rerum miſertus eſt mei. Nam D. Auguſtinus *de ſerm. Domin.* ait: cùm Deus tardiùs dat, bona commendat, ſed minimè negat. Diu ergo deſiderata dulciora, citò data vileſcunt. Hinc *Iſai. cap.* 40. 29. ſubjungit: Deus eſt, qui dat laſſo virtutem.

Unde cùm ego absque ulla invidia tam occultum arcanum tibi ſincero animo apertè detexerim, memento mei in tuis precibus, nam ſimile tam clarum ſcriptum, ne ſperes ampliùs in tua vita videre; & ne credas ultra receptis extraneis, chemicolis imperitis, fumivendulis deceptoribus, vagantibúsque impoſtorbus. Lege, ſtude, & cum hoc meo ſincero tractatu ſapienter veros Authores, Adeptósque combina,& veritatem invenies; fuge ergo ſophiſtas, aliàs à falſis principiis ſemel pro veris jam ſumptis, difficilè recedes. Hinc legitur in Tractatu Hermeticæ Philoſophiæ Arcan. Canon. 8. Caveat accuratè ſcientiæ hujus ſtudioſus à Pſeudo-Philoſophorum lectione, & conſortio, nihil enim quamlibet ſcientiam addiſcendi periculoſius eſt,quàm imperiti, aut doloſi ingenii commercium, à quo falſa pro veris principia inculcantur, nam inde à falſis principiis ſemel pro veris ſibi impreſſis difficillimè recedit. Ut reverâ multos ego ſimiles inveni. Nunc autem lucidiſſimè, atque evidentiſſimè videbis,quanta ſit differentia inter veram Adeptorum chymiam, & falſam chemicolarum metallurgiam, ne impoſterum ſis ampliùs à Pſeudo-Chymicis deceptus, & ſi fortè malè jam ſis edoctus, hunc legendo librum facilè à falſis principiis recedere queas. Et interroga iſtos male ſuaſos chemiſtas, quid ſit ignis Philoſophicus,quid

ſimus

fimus equinus, quid mercurius albus & rubeus, quid calx viva ſapientum (ùt inferiùs omnia declarabo) & cùm veritatem explicare, ac reſolvere neſciant, Nebulones eſſe concludas: quapropter unusquisque verus Philoſophus indiſpenſabiliter in hac arte omnia prædicta ſcire debet, cùm opus ſit unicum Lapis unus, materia una, via linearis una, regimen unum, ùt Geber, & cæt. omnes teſtantur, ſi attentè ipſos perlegas, ac ſæpè illos revolvendo bene intelligas. Studeas ergo, ſi ſophus eſſe cupias; neminem enim diligit Deus, niſi eum, cui ſapientia inhabitat, ùt *Sap. cap.* 7. 28.

Quòd ſi petas, qualis ſit ergo ignis ille, quem Philoſophi ad Lapidis confectionẽ expetant, cùm duplex ſit ergo ignis noſter, ſuo loco fundiùs tractabimus. Ac de igne fixo prædicto, qui alius eſt ſuperiùs indicato, in ſequenti capite explicabitur ille, nempe lux in ſale noſtro concentrata reſplendens. Pro nunc tantùm addo, quòd proxima Lapidis Philoſophici eſſentia, ſeu prima metallorum ſubſtantia nîl aliud ſit, quàm purus ignis, & non diſtinguitur Lapis noſter ab igne, niſi quatenus Lapis Philoſophorum eſt ignis fixus, & è contra ignis materialis ſive elementaris eſt volatilis, quâ de cauſa Lapis noſter lucet in tenebris.

Unde pro concluſione dico, quòd ſi lux nullibi viſibilis ſine ſubſtantia ignis appareat? ſequitur ergo, quòd domicilium lucis tam in cælo, quàm in terra ſit ſolus ignis: ignis verò cæleſtis purior eſt, & valde diſtat à terreſtri, & eſt primum agens univerſale, à quò ignis terreſtris procedit, ac eſt ignis naturæ, qui in orbe ſolari ſedem habens, per ſuos radios in univerſum naturæ imperium ignem diffundit, cujus acceſſu & receſſu omnes naturæ operationes per calorem ſuum reguntur, quô remotô, ceſſat omnis motus & vitæ facultas. Secundum verò agens univerſale in mundo, eſt ipſa lux concentrata, quæ in omnibus ſeminibus inviſibilis adeſt occulta in me, in te, omnibúsque rebus creatis. In intimis autem Thalamis noſtri prædicti  Trianguli, ſive remoti ſubjecti, fixa, viſibilis, & palpabilis repe- ritur, in centro tamen videlicet ſalis noſtri metallici occulta. Unde ſal naturæ nexus elementorum, & ſpiritus univerſi in hoc ſale congelatus, materia prima

ma ab occultæ Philoſophiæ magiſtris nuncupari meruit, ex quo corpora quoque metallica per longam in viſceribus terræ decoctionem procreantur, & indurantur. Et de hoc ſale in formam parvi Lapidis apparente, dixit *Arnoldus in Epiſt. ad Reg. Neapolitan. cap.* 4. Eſt Lapis in ſimilitudine, & tactu, non autem in natura.

Ex ſale fiunt vitra, ex ſale Lapides pretioſi generantur, & ex ſale quoque fiunt metalla, ſal autem metallorum, & gemmarum non eſt ſal vitri, nec ſal nitri: verùm lux illa concentrata fixa in ſalem coagulata prædicta eſt ſal metallorum, gemmarum, & Philoſophorum, & ſalium omnium ens, & eſt illa materia prima metaphoricè nuncupata, adhuc à Philoſophis modernis indeciſa, quia ignota, ex aëre proveniens, itaque congelatus à coſmopolita vocatur, & melior, quàm univerſa terra, ita ab ipſo quoque meritò decoratus: Unde

*Sit corpus quamvis, oculo non cernitur aër:*
*Lux corpus non eſt, cernitur illa tamen.*

At iſta tam quæſita lux tantummodò juſtis oritur, & hoc gaudium illam videre ſinceris corde, ùt *Pſal.* 97. ſecus verò addit *Job. cap.* 38. Auferetur ab impiis lux divina. Sine quà luce divina, nemo hanc lucem habere præſumat. Hinc *D. Auguſt. Tractat.* 14. *10.* ait: Aliud eſt lumen quod illuminat, & aliud lumen quod illuminatur: Nam & oculi noſtri lumina dicuntur, & tamen hanc lucem non vident, niſi vera ſuperna lux nos illuminet. Unde *Joann. cap.* 1. docet, quòd Chriſtus ſit vera lux hominum, qui mentem illuminat. Ergò

*Si lucem hanc quæras, tu Chriſti dilige lucem;*
*Luſtrabit te luce ſuâ, paritérque beabit.*

# Caput Quartum.

## *Quòd Ignis habitaculum ſit ſola pinguedo, & qualis.*

SIcuti ſine igne impoſſibile nobis eſſet lucem, ùt diximus, detinere, ita quoque ignis absque pinguedine difficilè conſervatur; quapropter ſi ignem unâ cum ſua luce ſervare velimus, neceſſe eſt, ut oleo, cera, vel pinguedine utamur, conſumptâ pinguedine, lux & ignis evaneſcunt.

ſcunt. Itaque in pinguedine fixa terræ noſtræ unctuoſæ permanente, quæ nunquam ab igne conſumitur, & conſequenter nunquam lux evaneſcit ab igne, ſapientes hunc perpetuum ignem unà cum ſua luce intrinſeca occulta ſummô ſtudiô inquiſieruut, nec alibi niſi in unico ſubjecto noſtro prædicto invenerunt. Et ſi ipſorum volumina attentè te perlegere non tædeat, clarè videbis, quòd materia prima eorum ad Lapidem Philoſophicum conficiendum, nîl aliud ſit, quàm corpus fixum gummoſum, pingue, oleaginoſum, quod facilè in oleum incombuſtibile revertitur, & gummi, ſeu pix Philoſophorum nuncupatur. At quare incombuſtibile ? quia eſt corpus igneum, interna luce informatum, & de natura ignis, ideò gaudet in igne, ſub Salamandræ fabula ab antiquis indicatum, & pinguedo terræ vocatur. Spiritus verò, ſeu aqua ſui generis prædicta, ros cæli nuncupatur. Quòd ſi hoc non eſſet, ſcilicet quòd corpus hoc permanens non eſſet in igne: quomodò aurum conficeres ? quod ignem non timet ? quæ fixa incremabilis hujus Adamicæ Virgineæ terræ pinguedo, ſuo rore cæleſti volatili intimè inſeparabiliter conjuncta, menſtruum cælificatum ex rore cæli & pinguedine terræ compoſitum ſimul conſtituunt, quod mercurius duplicatus, ſive mercurius cum calce ſua ſublimatus, lac nempè virgineum, vel gummi quoque Philoſophorum appellatur, qui ſpiritus, ſive ros noſter ex remoto ſimiliter chaote, ùt corpus ipſum, primò ſapienter extrahitur, itaque aqua ſui generis nuncupatur. Quod chaos ſive remotum artis ſubjectum itidem in formam roris inviſibilis ex cælo quoque deffluit in vere, quòd ita *à Philaletha in ſuo Fonte Chemico Tractat. 3.* deſcribitur : Pro mercurio noſtro, inquiens, intellige illum, quem ſol rediens in vere diffundit per omnia locorum. Et *Lullius in ſuo Teſtam. cap. 47.* ſubjungit: & nota, quòd materia hæc influentiâ caloris deſcendit è ſtellis in æſtate. Itaque non immeritò ros cæli vocatur, & in ſuo ventre pinguedinem terræ prædictæ fixæ continet. Itaque dixit Pater Hermes ; Portavit illud ventus in ventre ſuo, ſcilicet in ventre roris, ſeu aëris congelati, & hoc eſt, quod alii dicunt : Portavit illud in ventre venti, & cæt.

Unde nemo gloriari poterit ſine pinguedine prædicta hanc unicam

cam Hermeticam Lucem obtinere, retinere, & conſervare, cùm hæc intima occulta lux in ſuomet pingui, igneóque corpore incluſa lateat. Quâ de causâ Benedictio, quam ſanctus Patriarcha Filio ſuo Iſaac impertivit, fuit de rore cæli & de pinguedine terræ, *ùt Geneſ. cap.* 27. *verſ.* 28. Etenim ros cæli (quamvis in eo certè ſpiritus vitæ incluſus ſit) ad aliquid tamen producendum inutilis eſſet, niſi pinguedo quoque terræ, in qua reciperetur, & à qua attraheretur, adeſſet: Et ita ſimiliter ſola pinguedo terræ inutilis eſſet, niſi rore ſuo irrigaretur, quamvis lux vivifica in ipſa pinguedine incluſa quoque inhabitet: ſciebat namque ſophus Patriarcha pinguedinem terræ rore cæli colligatam eſſe baſin, rerúmque omnium ſublunarium fundamentum, & quòd in ipſa irrorata pinguedine omnia elementa conjuncta, omnia rerum ſublunarium principia contineantur, omniáque bona terrena ab ipſa pendeant. Etenim duplici alimento viventia, atque creata omnia nutriuntur; corporeo nempè, & ſpirituali, quod eſt idem dicere, rore & pinguedine; ſine hoc enim parum vel nihil unum ſine alio ad vitam confert. Vegetabilia quoque manifeſtè incrementi ſui, nutritionísque beneficium, non minùs rori, pluviæ, aëri, cælóque, quàm pinguedini & terræ attribuere poſſunt, imò & ipſa terra, niſi æthereo lacte potaretur, ejus ubera flacceſcerent. Itaque ùt fuſiùs in hoc tractatu demonſtrabimus, juxta naturæ methodum, quæ natura ipſa ex rore cæli & pinguedine terræ, ſcilicet ex ſpiritu rorido volatili, & corpore pingui fixo, in quibus etiam aër & ignis inhabitat, metalla generat, ita & nos naturam ipſam imitando eâdem utimur methodo, & ex aqua & terra, ſcilicet ex ſpiritu & corpore prædictis, prout ipſa nos docet, aurum conficimus, verùm tamen non aquâ alienâ, ſed aquâ ſui generis corpus illud, ſeu terram noſtram irroramus. Hinc *Philaletha in ſuo Introitu Aperto cap.* 6. inquit; ſi tu hanc terram aquâ ſui generis, ſeu rore ſuo irrigare ſciveris, beatus eris. Nunc ergo intelliges, quarè dicat *Ariſtoteles in* 3. *&* 4. *Metheor.* quòd metalla omnia fuſibilia ex terra & aqua originem habeant. Non autem ex terra & aqua communi intelligitur, ex eorum puriſſima quinta eſſentia univerſali prædicta perficiuntur.

Hæc autem pinguedo in tribus naturæ regnis diverſum nomen aſſumit: In animali dicitur Adeps, & hujus pinguedinis minera eſt ipſummet animal. In vegetabili vocatur gummi, therebintina, pix, & oleum, & hujus pinguedinis minera ſunt arbores & plantæ. In minerali appellatur ſulphur, ſeu ſal pingue fuſile, ac hujus pinguedinis minera ſunt omnia metalla. Pinguedo itaque noſtra propriè nominatur ſal, & dicitur ſulphur, ſeu argentum vivum. Tartarus nuncupatur, & dicitur terra Adamica virginea. Et combuſtum nominatur, & vocatur cinis Hermetis. Aër congelatus appellatur, & dicitur Gluten. Lux Hermetica nuncupatur, & dicitur ignis naturæ fixus. Vitriolum appellatur, & dicitur nitrum. Quæ omnia unum ſignificant, & eſt eadem metallorum pinguedo. Hinc autem notandum, quòd ad noſtram pinguedinem completè componendã duo ſemper extrema concurrunt, unum fixum terreſtre, hoc eſt pinguedo terræ, aliud volatile cæleſte, ſcilicet ros cæli, unum alteri contrarium, quamvis fratres ambo gemelli ex unico chaote noſtro ortum agnoſcant. Si tu ergo hanc inimicitiam inter Jacob & Eſau componere, id eſt, ſi illa duo extrema conciliare, & in unum indiviſibiliter colligare in veram perpetuámque ſciveris concordiam, tum beatus eris, & nemo tibi, niſi Deus, officere poterit ad ſanitatem, divitiásque perpetuas obtinendas; ſi verè cum Authore Clangoris Buccinæ dicere poteris: ecce in unam naturam inimici fratres convenerunt. Hinc ergo ſtude, nam in hoc totum noſtrum pendet magiſterium. At quid, & qualis ſit hæc Philoſophica pinguedo, in ſequenti capite dicetur. Hoc interim ut omnia benè percipere poſſis, & ad hanc diſcordiam componendam à natura ipſa vera magiſtra addiſcas, hanc methodum obſerva, ac eodem tempore materiæ remotæ noſtræ originem pro tua integra eruditione deſcribam, ut ipſam comprehendere queas. Attende ergo.

Juxta antiquorum Philoſophorum ſententiam, ſpiritus vitæ è primo mobili procedens, ſpiritus nempè univerſalis, ſeu ſemen orbis, ſpermáque naturæ, quod è mundo viſibili continuò ad ipſius conſervationem, rerúmque omnium ſublunarium multiplicationem producitur,

poſt-

postquàm virtutibus Firmamenti ornatus & repletus est, de Planeta in Planetam usque ad Lunæ Globum descendit, ubi ultimam, absolutámque perfectionem adipiscitur cæleſtem ; & tunc spiritus cæleſtis vocatur. Exinde in aërem descendit, ex aëre in aquam, & ex aqua in terram, in cujus centro coagulatur, ac ultimam elementorum perfectionem acquirit ; & tunc spiritus cæleſtis coagulatus, seu corporificatus nuncupatur. A natura autem cælo, omnibúsque elementis talis spiritus congelatus, cæleſtíque luce intrinsecus decoratus, in centro terræ depoſitus, ut ibi percoquatur & figatur: & per calorem mundi centralem maturetur, qui quasi sol alter terrenus est, ab aliquibus Demogorgon dictus, in medio mundi, seu in centro terræ exiſtens. Et tunc est portio materiæ primæ habitatæ, & pars illa incrassata, quæ ex sublimatione seu exaltatione in centro inferiùs remansit, ac in ea persistit veluti crassior pars primæ lucis creatæ igne seu calore nativo imbutæ ( & hæc est unica universalis magnesia, seu spiritus aëreus in ventre magnesiæ congelatus melior, quàm universa terra à Michaële Sendivogio descriptus, & pro vera, unicáque veterum Philosophorum materia declaratus : De quo ita quoque alloquitur Hermes, dicens: portavit illud ventus in ventre suo: ) beneficio cujus terra attrahit & retinet partes illas volatiles è superioribus deorsum perenniter deffluentes, ùt eodem calore suo centrali figantur, & coagulentur in aliquod mixtum juxta recipientis naturam. Postquam ergo hic spiritus vitæ è cælo usque ad centrum descendit, sol centralis vapores suos sursum emittit, qui vapores è centro terræ, aquâ mediante, in aërem usque ad cælum ascendunt, ubique in medio aëris circulant, & rotantur, in quâ rotatione & circulatione radiis solis, lunæque humiditate unà cum vaporibus elementórum copulati & uniti ( hinc Hermes ait: Pater ejus est sol, luna verò mater ) corporificantur, & in quandam viscidam, glutinosámque viscosam humiditatem inspissatur, ac vigente potissimùm caniculâ simul concrescunt, in qua peculiari constellatione totus aër exardescit, & humidum illud pingue elementorum ignitum ubique diffusum, calore solis exardescente semen mundi maturatur & excoquitur.

( Aër enim omnis ſeminis eſt receptaculum ) Ac ſubinde tepido noctis fotu, ac frigida humidáque lunæ influentia, aurora ſurgente & ſole oriente, ſubſtantia illa chaotica pinguis congelata fit ita ponderoſa, ut tandem ſuper terram in formam roris ſubtiliſſimi nobis omnium virtutum cæleſtium, terreſtrium, & elementalium imprægnata, ex aqua viſcida ſeu ſpermate cæleſti, una cum pinguedine ſeu ſulphure terreſtri commixta decidat, quod ſputum lunæ & ſudor ſolis quoque Hermeticè vocatur. Quæ ſubinde ita à natura circulata & corporificata abundantibus excrementis induta, quia ſine excrementis nîl corporificatur, in antris, ſylvis, in planitie, cavernis, montibúsque reperitur ubique, & ſub Draconum cuſtodia conſervatur, *ùt M. Gregorius Phædro in ſua Jatrochemia pag. 187.* confirmat. Itaque metaphoricè quòd ex animalibus inde ac vegetabilibus procedat, ſapientes, ſi me intelligas, ſcripſerunt.

Eâdem ergo methodo, ùt ſuprà te docui, utere Lector; ſcilicet hac materiâ primo ſumptâ, & à ſuperfluitatibus terreis, combuſtibilibúsque optimè purgatâ (nempè de proxima intelligas) Philoſophicè ſubinde poſt extremam mundationem ſuo ſpiritu reconjunctâ, circulatâ, ſublimatâ, decoctâ & cæt. ita ex ipſa Lapidem ſapientum obtinebis. Inqua verò ſubſtantia hæc ſulphurea Philoſophica pinguedo inveniatur, ulteriùs videbis.

# Caput Quintum.

## *In qua ſubſtantia inquirenda ſit hæc ſulphurea terra virginea, ſeu Philoſophica pinguedo, ut quoque ex qua materia acquirenda.*

OMnes Philoſophi generaliter congruentes ubique clamant, Lapides eorum non ex metallis mortuis, non ex mineralibus, neque ex ſalibus vulgo notis, nec ex tot diverſis ſomniatis chemicolarum ſubjectis componi, ſed ex unico ſale noſtræ lunariæ nobis tantummodò noto; Hermaphrodito, duplici, ſolari nempè & lunari, albo in manifeſto, rubro in occulto, de natura metallica, fixo, fuſili, unctuoſo, animato, auro & argento noſtro, plumbo & cupro noſtro, vitriolo ac nitro ſapien-

pientum pretioſiſſimo, confectum eſſe debere, quod eſt ſal terræ noſtræ ſua luce fixa interna decoratum valdè admirabile, ac unicum ad hoc idoneum, quod non reperitur nec ſub terra, neque ſuper terram, ſed à nobis formatum non creando, ſed ex chaote remoto prædicto illud ſapienter extrahendo, itaque eſt filius noſter, de quo vide *Philaletham in ſuo Introitu Aperto cap. 1.* atque in ſuo Fonte Chemico ultra medium. Vel *Annotationes Nicol. Flammelli vol. 1. Theatr. Chimic. ex Avicenna, pag. 767. ſive Iſaacc. Holland. in ſuo Oper. Mineral. lib. 1. cap. 64. ſeu Bernhard. Penot. in eodem vol. 1. Theatr. in fine ſui Tractat. poſt varias ſalium deſcriptiones, pag. 681. &c.* ubi omnes omnia quæcunque ſalia vulgo nota excepto hoc unico terræ noſtræ penitus excludunt. Hinc JEſus Diſcipulis ſuis dixit: Vos eſtis ſal terræ, nec dixit: vos eſtis aurum, gemmæque terræ. ut intelligeremus, quòd pretioſiùs in orbe ſit hoc ſal naturæ, ſeu mundi univerſale ſuâ luce fixâ occultâ animatum, ſine qua enim fixa luce Lapis noſter non exiſteret, niſi ſcilicet hæc occulta lux in manifeſtum arte noſtra poneretur, ac per extremam depurgationem clarificaretur. Et hæc eſt LUX HERMETICA per artificem CLARIFICATA, & à me ante ſtudioſorum oculos expoſita, ex chaotis tenebris diviſa, ac emerſa, & in claritate demonſtrata, ſciente quòd undique ſe torqueant miſeri Alchymiſtæ ad ipſam inquirendam, & qualis ſit hæc terra, undè, & quomodò acquirenda, non intelligant. Sciant ergo hujus terræ inquiſitores, quòd illa terra virginea ſalina ex terra nigra ſeu tartaro vini noſtri extracta, ex quà Lapis Philoſophorum componitur, nulla alia ſit, niſi illamet ex qua, noſter primus Parens Adam à ſummo opifice Divino formatus fuit, quâ de causâ terra Adamica nuncupatur. Et hæc pro certo eadem̃et eſt, ex qua mundus ſimiliter conſtat, & creatus eſt, ùt ſuprà ex ſacra Geneſi probavimus (*De qua terra Adamica virginea vide Inſtructionem de Arbore ſolari vol. 6. Theatr. Chemic. cap. 3. pag. 171. 172.*) quam ſi iterum apertis verbis tibi dicerem, certè non crederes, ac deriſioni me exponerem, ſicuti quoque Lullio, Pariſino, Sendivogio, Henrico Kunrath, Joann. Tackio, & cæt. non credit, qui proprio nomine declarant. Mater eſt enim quædam multarum filiarum, quarum una,

ſcili-

ſcilicet ſextò genita, ſi eam avus ſuus in uxorem ducat, eámque ad dex. teram ſuam collocet, pariet filium rore cæli & pinguedine terræ ditiſſimum. Recipe ergo viſcera meliora chaotis noſtri prædicti, & hanc terram habebis, ac videbis ſine veſte Dianam. Hic ergo ſtude. Vera autem materiæ noſtræ chaoticæ origo eſt cæleſtis, ùt dictum eſt, at in terra variis induitur excrementis, & ſub Draconum cuſtodiâ conſervatur, ùt ita *M. Georg. Phædro in ſua Jatrohemìa pag. 187.* teſtatur, inquiens: natura autem Dracones vigiles ad cuſtodiendum introitum Horti deſtinavit, ubi pretioſam arborem aurea poma ferentem plantavit & cæt. *Hinc legitur in Epiſt. 1. reſponſoria Fratr. Roſeæ Crucis ad quosdam clientes de acquiſitione materiæ Lapidis, vol. 6. dicti Theatr. pag.* 394. in centro terræ ſeu maris noſtri ſitus eſt parvulus mons ſalinus, ſive ſcopulus, mollis & durus, & cuilibet proximus eſt, ut ex conſilio divino ſit inviſibilis, in quo maximi Theſauri abſconditi latent: mons iſte (ſalinus videlicet) in profundo mundi (ſcilicet microcoſmi noſtri) inviſibilis abſconditus ex diaboli invidia, qui gloriam DEI, hominísque proſperitatem indeſinenter impedire conatur, pluribus crudelibus animalibus, avibúsque prædatoriis, atque Draconibus eſt obſeſſus, quæ viam difficilem reddunt, nihilominus à dignis proprio tamen labore ſuo ac diligentia, invenitur, & cæt. ùt ſimilia quoque in Epiſtola Heymonis Philoſophi leguntur; & ego aliqua ſynonima verba ad paſſum clariorem reddendum addidi, ut bene ſophorum intentionem intelligas. Quæ autem prædicta ignaris nugæ eſſe videntur, ſeu illuſoria verba, inutilia, & ita pro falſitatibus ab inexpertis ſimilia ſumuntur. Philoſophi verò non ſine cauſa prædicta ſcripſerunt, ſicut etiam quòd ex vegetabilibus illa materia proveniat, quamvis reverâ ex cælo deſcendat. Certiſſimè tamen veritatem dixerunt, ſed hoc ænigma, niſi qui materiam nôrunt, intelligere poſſunt: nam Philoſophi non ſunt ſtulti, neque nugas ſcripſerunt, ùt chemicolæ verè ſtolidi putanr; qui credunt etiam, cùm de terra ſophi loquantur Adamica, Deum, primum hominem ex hac terra corruptibili, quam pedibus calcamus, creaſſe: quod eſt falſiſſimum. Deus enim cum illa prædicta ſalina terra puriſſima virginea incorrupti-

bili

bili Adamum creavit? quæ eſt quinta eſſentia terræ lucida, incremabilis, inexterminabilis, exteriùs alba, interiùs rubra, fixáque, ignea, quæ cùm ſit depurata, terra foliata à Philoſophis nuncupatur.

Cùm argo monticulum hunc, ſive lapidem ſalinum, ſeu ſcopulum in mari noſtro ſepultum invenire cupias, pelagum antea exſiccare opus eſt, veſtibúsque ſuis totam denudare Dianam, ut oculis tuis albiſſima induſio quoque carens, nudáque appareat. Et ſcias, quòd in hoc verbo *Lapis* omnia Sophorum ænigmata de hac materia includuntut, ac origo ſua, & ubi invenienda indicatur. Cùm hic Lapis ſit columna Herculea ante portam noſtræ Domûs poſita, in qua ſcriptum eſt: *Non plus ultra.* Deme ergo columnam, occide dracones, & ſic tranſibis, in qua ſola domo veram unicam Lapidis noſtri materiam abundantèr invenies: Sed ſis cautus, quia in omni Philoſophorum luco multi ex prædictis draconibus, militibúsque lanceis armatis in cuſtodiam illius vigiles fidelitèr adſunt: Hinc *M. Georgius Phædro in ſua præcitata Jatrochemia pag. 118.* inquit: Domus eſt aliqua, ubi hæc materia cuſtoditur, in qua milites acutis lanceis armati contra raptores elevantur, & cæt. ac idem ibidem *pag.* 187. ſubjungit: Et dracones vigiles ejus introitum benè fidelitérque cuſtodiunt, & cæt. Unde

Materiam Lapidis dixi claréque, ſatísque;
Sufficit hoc verbum: dum Lapis, ecce Lapis.
Purpureas præbete Roſas, florésque draconi,
Ut vobis fructum præbeat ille ſuum.

Si adhuc ergo me non intelligas, dicam cum Riplæo in præfatione 12. portarum, ab hoc opere abſtine: Nam Philoſophi ſtultos deludunt, blandísque verbis decipiunt; ſi verò me intellexiſti, te ſincerè illud docui.

Eſt quoque notandum, teſte *Zaccario in parte 2. ſui Opuſculi*, quòd quotquot de hac arte antiquiſſimi olìm ſcripſerint authores, ſive Græci, ſive Arabes, Ægyptij, Galli, Latini, Germani, Itali, Hiſpani, Bohemi, & cæt. omnes cum modernis omnibus inter ſe congruentes in hac unica re, unicóque regimine conſentiant, ut nunc edoctus ubi-



cun-

cunque perleges, hanc concordantiam ſedula mente obſervare poteris, ſcilicet : Primò, quòd materia remota ſit unica ſub cælo res vilis, ubique repertibilis, omnibus nota, & cæt. quam omnes quoque generalitèr unanimi voce concordes tam ſub diverſis ænigmatibus, emblematibus, figuris, titulísque librorum obumbratam, quamvis ſatis expreſſam & indicatam. quàm apertis verbis proprio nomine, vel ſatìs, vel nimìs, & quandoque excedentes ipſam nominatam demonſtrârunt, quamvis ſemper aliquod aliud fictitium ſimul addiderint, & inde ulteriùs proſequentes ad humanam mentem devagandam, ſub nominibus variis metallorum, mineraliúmque, lapidúmque, & cæt. ſal ejus obſervaverunt, ac nitrum, ſal tartari, vitriolum, arſenicum, aurum, cæteráque nomina illi impoſuerunt, tamen verò pro intelligentibus ſatìs ſcripſerunt, atque dixerunt. Secundò, quòd Lapis inde ex duabus rebus ab illa unica re provenientibus perficiatur, ſcilicet ex ſpiritu volatili, & corpore fixo animato ſimul reconjunctis ab illa unica re provenientibus perficiatur, ſcilicet ex ſpiritu volatili, & corpore fixo animato ſimul reconjunctis ab illa unica re primò extractis & ritè paratis, ſub aliis quoque nominibus indicatis, nempe ſulphure, & mercurio, aquâ, & terrâ, mare, & fæminâ, rore cæli, & pinguedine terræ, aëre, & igne, urinâ, & corticibus ovorum, ſole, & lunâ, fimo equino, & calce viva, aqua-vitæ, & tartaro. plumbo, & aceto, auro, Mercurio, ſtanno, & aqua forte, vitriolo Romano, & aqua ardente, nitro, & aqua pluviali, & cæt., quæ omnia & plurima ſemper unum, & idem ſignificant, ſcilicet humidum, & ſiccum, fluidum, & ſolidum, volatile, & fixum ſimul conjungere. Hoc eſt, illas duas res ex remoto ſubjecto prædicto extractas, corpus ſeu ſal fixum videlicet, & ſpiritum volatilem ſimul colligare, & nîl aliud. Unde cave ne decipiaris, & credas experto, quòd quæcunque corpora ſolida metallica, mineralia, lapidea, nitroſa, ſalina, calcinata, limata, combuſta, & cæt. à Philoſophis in eorum ſcriptis indicata, nîl aliud abſolutè ſignificent, quàm corpus Phyſicum prædictum, ſcilicèt ſal Philoſophorum, & pater metallorum; & quæcunque fluida, oleoſa, aquoſa,

sa, spiritualia, urinosa, rorida, & cæt. nîl aliud esse credas, nisi spiritum, seu aquam sui generis prædictam. Ubi omnes, post varios discursus, generalitèr tam antiquos, quàm recentes, denique convenire videbis: Undè cum hac regula generali, quam suprà te docui, omnes perlegendo authores hanc veritatem facilius intelligere, ac comprehendere poteris; quòd scilicet quæcunque vocabula, & quomodocunque materiam nominent, omnes semper, & ubique in hoc unum, vel in his duabus prædictis falsè supposita, simul convenire reperies. Etenim nîl aliud ubique attentè perlegendo invenies, nisi solve & congela, coque, & tere, imbibe, & evapora, seu humecta, & exsicca, & fac fixum volatile, & volatile fixum. Quaproprer primò corpus per acetum nostrum, cùm sit fixum & alkalicum, solvitur, aperitur, purificatur, & habilitatur, ac subinde per spiritum vini Philosophici volatilizatur, dealbatur, & simul in corpus lacteum invicem conjunguntur, & ita spiritus volatilis in ipso corpore figitur, & in lac virgineum, seu aquam nostram permanentem, vel in menstruum cælificatum, sive Mercurium duplicatum cum calce sua sublimatum, in unum quid inseparabile simul ambo colligata deducuntur, & cæt. De qua praxi, sive præparatione prædicta: vide *Theobaldum Vol.* 1. *Theatri Chemic. pag.* 111. ac *Isaacc. Holland. in suo Opere Mineral. ubique.* Unde ad nostrum propositum redeuntes, dico: quòd à Philosophis nulla inter terram lapidis, Adami, & mundi in creatione, diversitas assignetur, quâ de causa dicitur Adamum secum in sepulchrum primam materiam portâsse, vel ex Paradiso terrestri secum tulisse, quia ex hac lucida salina virginea terra fixa incorruptibili alba, & rubra simul plasmatus fuit.

Certè tamen non nescio stolidos non paucos dari, qui dicunt, & tuentur Deum ex terræ gleba, ex hac scilicet quam pedibus calcamus, ùt dictum fuit, primum hominem feciſſe (quia in sacris litteris legitur, quòd ex limo terræ Deus illum formavit; quid autem sit limus terræ, non intelligunt) quod omninò falsum est: Non erat enim limus terræ talis terra rudis, erat autem terra virginea quint essentialis, anima terræ purissima, necdum pro culpa ipsius primi parentis à Deo



male-

maledicta, verùm terra ſubtiliſſima, ſalina, ignea, clara, lucida, ſulphurea, incorruptibilis, ac intrinſecus rubra, quæ vera terra terræ nuncupatur. Hinc Adami corpus planè fuit igneum, & lucidum, ut ſi jam videretur, utì erat in ſtatu innocentiæ, quilibet ejus præſentiam admiraretur; imò taliter in ſtuporem raperetur, ut coram ejus facie, tanquàm coram facie Angelica contremiſceret. Et facilè quidem credimus hanc ſubrubram Adamicam terram, hebraicè *Adamah* vocatam, ex qua corpus prædicti primi hominis à Deo factum fuit, tam politam, támque luculentam fuiſſe, ut fieret imaginis Dei, ſcilicet animæ, dignum habitaculum; quæ tam excelſæ fuit originis, & quàm Divinæ ferè Proſapiæ templum, animæque Dei imaginis tabernaculum, monſtratur à Moyſe, quando eam vocat *Neshamah*, eô namque vocabulô rem ſupra cæleſtem eſſe denotat. Neque aliunde ſacræ ſcripturæ ullatenùs contrariatur: Etenim tale corpus lucidum omnes electi in reſurrectione habituri ſunt, quale Adam ante lapſum habuit, quapropter de puriſſima nova carne incorruptibili atque incombuſtibili, ex putrido corpore à ſuperfluitatibus impuris ſeparata, homo lucido corpore glorificato immortali reſurgere debet, ne ampliùs in æternum corrumpatur, ex quo & cum quo, ſcoriis in purgativo loco relictis, reſurrecturus erit, non autem hac carne corruptibili, ſed novo corpore purificatiſſimo incremabili, atque immortali, ex cineribus, ut Phœnix, regenerato, juxta ſummi Divini opificis conſilium, ac ut dignè ad ipſum, ſummam puritatem; inquinamenta renuentem accedere poſſit. Etenim reſurrectio nîl aliud eſt, quàm corruptionis ſeparatio, incorruptionis reſtitutio, mortis ablatio, vitæ æternæ redintegratio, malignitatis culpæ extirpatio, & bonitatis, virtutísque immortalis excitatio: Unde vita tunc non ampliùs naturæ ſubjecta, ſed ſuper illam erit exaltata, ut in gloria, dignitate, virtute: ac potentia absque corruptione dignè immortalis cæleſti vita frui poſſit. Ac ita quoque corpus noſtri microcoſmi Philoſophici prædicti eſſe debet, ſcilicet, quòd antè craſſum, terreum, impurum, tenebroſum, corruptibile, infirmum, ac impotens erat, poſtmodum per ignem, & aquam,

ex

ex cineribus regeneratum, purgatum, & ab inquinamentis omnibus corruptibilibus, combuſtibilibúsque perfectè depuratum inde animæ ac ſpiritui conjunctum per Philoſophicam regenerationem ſimile fit, vivum ſcilicet, volatile, leve, penetrans, purum, immortale, incorruptibile, ac incremabile, & in effectu poteſtatem habens imperfectum ad perfectionem adducendi metallum, & in illa conſervandi, atque ita cum ſole vulgi terreno ſuo dilecto puriſſimo uniri queat.

Sicuti corpus hominis glorificatum, ſpirituale tunc redactum in reſurrectione puriſſimum, ac lucidiſſimum, immortale, ad ultimam perfectionem per ignem, & aquam renovatum, in illa perfectione æternaliter conſervari poſſit, & cum ſuo dilecto ſole æterno Divino cæleſti puriſſimo impuritatem non permittente, conjungi queat, ac æternè cum illo, qui eſt ſumma puritas, conſervari, nec ultrà ullô modô dividi poſſit. De qua corporis humani perfectione, luciditate, ac immortalitate, ſummáque puritate decorati poſt reſurrectionem conſecuturâ, *Paulus ad Cor. cap. 15. vers. 41.* & uſque in finem *Epiſt.* teſtatur.

Quapropter illum Deus primò non imperfectum creavit, nec corruptibilem, neque mortalem ante verò lapſum prædictum, ſeu primi parentis culpam? ſiquidem Deus non eſt Deus mortuorum, ſed viventium? ùt *Exod. cap. 3.* Si Dominus ergo in ſumma perfectione primum condidit hominem, ſequitur terram illam incorruptibilem in ſumma quoque perfectione certè, & proculdubio fuiſſe? antequam ſcilicet Deus terræ maledixiſſet? & fœcunditatis, fertilitatísque plenam propter abſolutam ejus perfectionem quoque fuiſſe neceſſe credendum eſt. Quam Adamicam terram ergo virgineam, ſalinam, incremabilem, lucidámque perfectam interiùs rubram de natura Solis, & Lunæ ad auri generationem tantumodò diſpoſitam, adhuc inſpecificatam in ſuo primo innocentiæ ſtatu in profundo chaotis noſtri tantùm ſepultam repertibilem, inquire, ſi Lapidem Philoſophicum verè conficere cupias, cum quà, extremè primò aceto noſtro ſubtilizata, ac depurata, ſuo ſpiritu vitæ ſubinde inſeparabiliter reconjuncta, ac reanimata, ſolummodò opus noſtrum perficere poteris. Quapropter

hæc eſt unica proxima metallorum, Philoſophorúmque omnium materia, & nîl aliud in orbe. De qua vide *Lullium in Poteſtat. Divitiar. poſt epiſt. Accurator. ad Regem Anglum, cap.* 9. ubi clarè videbis, quænam ſit hæe terra virginea, & ſpiritus vitæ prædictus, & cæt.

Unde Philaletha in ſuo Fonte Chemico paulò poſt principium, ait corpus Phyſicum noſtrum, quod terra lemnia vocatur, totum perficit opus, nequaquàm verò niſi cum aqua ſua (ſcilicet ſpiritu prædicto) irroretur; & cætera ibi obſervatione digna, ulteriùs ſedulò perlegas.

Ex hac ergò unica terra virginea, ex qua mundus in principio creatus fuit (tunc verè mundus, & incorruptibilis, hodie verò procul-pa univerſaliter contracta, Creatorísque maledictionis causâ immundus, & corruptibilis) adhuc In ſuo primo virgineo incorruptibili ſtatu in chaotis centro exiſtente, Vulcano mediante, repertibili, lapis componitur, cùm autem ſit rore ſuo ſæpè ſæpiùs irrigata, depurata, volatilizata, donec unâ ſimul arte noſtra, in corpus ferè glorificatum, ſcilicet ad ſummum puritatis gradum redactum more lactis coagulati concreſcat, ac ſubinde lenitèr per biennium circitèr in Phialam hermeticè ſigillatam illud decoquendo, donec in rubrum lapidem, ſeu maſſam fixam frangibilem, redactum. inde multis vicibus ſuo ſpiriru acidulo illam rubram maſſam ſolvendo, & congelando Lapidem tuum multiplicatum, in fine aurea æterna corona decoratum ex cineribus, ùt Phœnix, immortale reſurgat, & te felicem efficiat, & cæt.

# Caput Sextum.

*Quid ſit hæc tam occulta materia, ſive remotum ſubjectum ſapientum, ex quo materia Lapidis proxima, ſcilicet corpus fixum, & ſpiritus volatilis pro Opere Philoſophico præparando, extrahuntur, omnibus cum circumſtantiis, ſignísque diagnoſticis, & concomitantibus, ex omnibus Philoſophis congruentibus minutiſſimè, & accuratiſſimè collectis comprobatur, &c.*

NUnc ſummi laboris, diſpendii, ſtudiíque tam diu peracti memor, quamvis nimìs pro intelligentibus dixerim, & contra Hermetis regulam, ſilentium temerè fregi, adhuc ut me omnes quoque idiotæ hu-

hujus ſacræ ſcientiæ inquiſitores, bene intelligere poſſint, non ſatis eſſe puto. Propterea in ſequentibus capitibus planiſſimo ſtylo, vulgarique latiniſmo omnibus noto omnia ſcitu neceſſaria explanabo. Hinc amore proximi motus, primò ſic incipiam; ſcilicèt omnes materiæ remotæ, ſive chaotis noſtri circumſtantias, qualitatésque ſingulas, ſigna, & contraſigna, ex omnium Philoſophorum doctrinis, atque ſententiis accurratè collectis, unico remoto noſtro ſubjecto tantummodò appropriandis, ut illud denique pauperes ignari quoque comprehendere valeant pro omnibus integra quoque eruditione, atque tuta perſuaſione, ne fortè ullum artis hujus cultoribus remaneat dubium, ad prædictam veritatem confirmandam, ſequentia fideliter addam. Quæ circumſtantiæ omnes huic unico ſubjecto tantùm appropriandæ poſſibiles, incontrovertibilem rei veritatem omnibus apertiſſimè oſtendent; adeò ut quisquis in hac ſcientia introductus, cum non ſit ſtolidus, ipſam remotam materiam non tantùm hic procul dubio comprehendere debeat, ſed illam quoque negare non poſſit. Itaque cum *Job. cap. 28. 10.* Ad proximi beneficium repetam: profunda quoque ſcrutatus ſum & abſcondita in lucem produxi. Nota ergo bene, ac ſequentia ſubtiliter examina.

Hermes enim ad noſtram eruditionem, ac ſubinde ejus filii ac ſectatores circumſtantias omnes, quamvis ubique hinc inde diſperſas, unico chaoti noſtro tantùm appropriandas ſive adaptandas ſincerè deſcripſerunt (& quæcunque ſcripta ſunt ſunt ad noſtram doctrinam dicta ſunt, ut ait *Paul. ad Rom. cap. 15. 4.*) cum ſatis apertè omnes unanimes ita nobis indicia ſufficientia præbuerint, primò videlicet, unicam artis Chymiæ clavem principalem, materiam ritè noſcere remotam, unicum ſophorum primum principaléque ſubjectum, eſſe aſſerentes, quam unicam clavem in hac arte ſummè neceſſariam ad portam intellectûs aperiendã, arcémque Hermetis penetrandam, ut inveniamus, funditúsque agnoſcamus, ſingula minutim, & omnia juxta Philoſophorum dicta ſedulò examinare debemus. Nam ſcriptum fuit ab Arnoldo, quòd materia Lapidis ante ſuam præparationem ſit vilis, & vili pretio

quo-

quoque extet: poſt autem præparationem ac diviſionem pretioſiſſima. Loquitur Flammellus, quòd hæc materia in ſua prima natura non patitur additionem alicujus rei extraneæ, quia ſtatim corrumperetur (ut ocularitèr vidimus) dicit Iſaaceus Hollandus, atque Sendivogius confirmat, quòd materia remota ſit mirificè dulcis. Aſſerit Villanovanus, quòd ſit duplex compoſitum, & una res. Confirmant Roſinus, Alexander, Geber, & Lullius, quòd hoc ſubjectum tam in ſua prima natura quàm poſt præparatum ſit duplex compoſitum in unitate conjunctum, maſculinum & fœmininum, album & citrinum, & ambo ſimul inveniantur. Scribitur à Philoſopho Saturno, & ab Ariſtotele, quòd noſtrum ſubjectum ſit Triangulum & Quadrangulum, ſcilicet quòd ex tribus conſtet, anima, nempe, ſpiritu, & corpore, & quia nomen ejus tribus litteris abſolvitur, atque ex quatuor elementis compoſitum, unde



Triangulum & tes cum puncto quod ſit parvũ.



Quadrangulum illud delineârunt ſapien in centro, quod ſal centrale indicat, & Addit Ariſtoteles in Lib. ſecretorũ, quòd materia Lapidis ſit vegetabilis, animalis, & mineralis, quia horum proprietates retinet, & ex trino naturæ regno mediatè procedit. A fratribus aureæ crucis absque contradictione dicitur, quòd æs noſtrum non ſit animale, nec minerale, neque vegetabile, at ex iſtis tribus mediatè tantùm proveniat. Scripſit Malchamech, quòd materia ſapientum carne & ſanguine ſit compoſita. Aſſerit Raym. Lullius, quòd ſit ſicut unguentum, & oleum, pix mollis, & therebintina. Dictum eſt à D. Thoma, quòd materia hæc ab animalibus procedat. Scribunt Adepti ſubjectum ſuum eſſe microcoſmum, ſcilicet parvum mundum ex cælo & terra, ſpiritu, anima, & corpore, quatuórque elementis compoſitum, aqua & terra in manifeſto, aëre & igne in occulto. Dicit Laccarius ſophorum ſubjectum eſſe opus naturæ & non artis. Ait Sendivogius, quòd nomen noſtri chaotis tribus litteris, & quinque characteribus abſolvatur, & ſeptenarium à triangulo & quadrangulo dicatur. Scripſit Anonymus Cabaliſtico-Arithmetico-Chemicus, quòd nomina noſtri chaotis diviſi duodecim quoque litteris abſolvantur. Indicat Hortu-

lanus

lanus esse sicut ovum ex albo, & rubro compositum. Democritus, Plato, & Isaaccus cum primis sui nominis litteris illud indicârunt. Ait Petrus Bonus Lombardus, quòd materia ista fluida simul & solida oriatur, & ambo in unitate conjuncta reperiantur. Docet Laurentius Ventura, quòd materia sophorum remota inveniatur venalis. Inquit M. Georg. Phædro, quòd Lapidis materia ad minimum ignis contactum liquescat. Scribitur à Zenone, quòd hæc rès ex lacte volatilium componatur, & sit aërea, spermatica, duplex, dulcis, & valdè ponderosa. Dicit Haly Philosophus, quòd cum materia hæc à sua minera evellatur, audiatur sibilus, & sonitus horribilis, at citò evanescat. Ait Cosmopolita, quòd materia Lapidis nullum sit metallum quodcunque, nec minerale mortuum, sed metallum vivum spermaticum fluidum ubique molle. Dicit Mosius in Turba, quòd ista res aliquando duobus, & aliquando tribus nominibus nuncupetur. Testatur Riplæus, quòd subjectum hoc viride metaphoricè dicatur, quia ex naturali viridi materia eruitur, & quia est mollis substantia non dum à natura perfecta, neque in metallum deducta, neque specificata, aurum scilicet immaturum, & ita viride non siccum. Legitur in Clangore Buccinæ, quòd materia sapientum sit duplex compositum, unctuosum, & viscosum. Dicitur à Richardo Anglico, quòd inveniatur super terram, & non sub terra. Testantur Fratres Aureæ Crucis, quòd ubi hæc materia oriatur, & inveniatur, non crescunt metalla. Scribitur à Rosino, quòd tres sint origines Lapidis Philosophici, animalis, vegetabilis, & mineralis. Triplex in nomine, unus in esse. Confirmat Parisinus, quòd materia hæc sit animalis, vegetabilis, & mineralis, quamvis unica semper sit res. Asserit Riplæus, quòd æs nostrum sit aëreum & spermaticum. Declarat Philaletha, quòd materia hæc nostra mercurialis sit illa, quam sol rediens in Vere diffundit per omnia locorum, & mense Octobris colligatur matura. Ostendit M. Georgius Phædro, quòd sit à Draconibus custodita. Ait Hermes, quòd minera ejus sit in cælo, & quòd in terram portaverit illam ventus in ventre suo. Inquit Malvascindus, quòd sit materia cælestis, terrestris, fluida & soli-

da. Confirmat Antonius de Abatia, quòd minera ejus sit in aëre. Scripsit Haly Philosophus, quòd radices suarum minerarum sint in aëre, & summitates in terra. Inquit Lullius, quòd influentiâ caloris descendit è stellis in æstate. Repetit Sendivogius, quòd ex aëre proveniat, & sit aër congelatus. Probat Joannes de Rupe-scissa, quòd materia nostra sit ubique repertibilis, aqua viscosa, & nostro aspectui vilis. Addit Zaccarius, quòd sit materia cælestis, & terrestris, quia de cælo descendit, & super terram invenitur. Scribunt Hermetici materiam lapidis esse chaos ex quatuor elementis confusis compositum, omnibus notum, nulla sit res animalis, nulla vegetabilis, nulla mineralis, neque ex ipsis proveniat, neque ex ipsis constet, quamvis metaphoricè materia animalis, vegetabilis, mineralis, dicatur, quia ex ipsis provenire videtur: verùm origo sua omninò sit cælestis, at quare ùt suprà, ita quoque nuncupari possit, est, quia mediantibus animalibus, & vegetabilibus habetur. Dicunt Isaacc. Holland. & Ros Auri-ficus, materiam hanc omninò esse unicam sub cælo, Hermaphroditam, unctuosam, & viscosam, terrestrem, & cælestem, fluidam, & solidam, levem, & ponderosam, albam, & subrubram, vilem, & pretiosam, agentem, & patientem, aquam, & terram, marem, & fæminam, & cæt. & omnia simul in hoc unico subjecto sint conjuncta, sicut in parte patet in ovo, & quòd habeant plùs pauperes, quàm divites, ubíque inveniatur abundantissimè, omnibus pueris etiam notà, ac in domo propria absque sumptu unusquisque habere possit. Addit Lullius, quòd in sylvis, & in cavernis inveniatur. Dicit Maria Prophetissa, quòd in duobus gummis sit distincta. Inquit Basilius Valentinus, quòd sit substantia cælestis liquorosa. Scripsit Rupe-scissa, quòd sit materia per se incorruptibilis. Dicitur ab Hermete, quòd sit filia Solis, & Lunæ. Additur ab aliis, quòd sit sputum Lunæ, & sudor Solis. Subjungit Sendivogius, quòd sit veluti ros. Testantur Fratres Rosæ Crucis, sicut & Parisinus, quòd alba, citrina, flava, grisea, & quandoque nigra in sua minera inveniatur. Inquit Lullius, quòd in Indiis ubique sit Gummi nigrum. Dicunt sapientes, quòd sit

ani-

anima mundi, ſperma, & ſanguis naturæ, ſemen orbis univerſale, & quinta eſſentia elementorum ex aëre decidens. Subjungit Baſilius Valentinus, quòd ſit res unica univerſalis, in re unicè invenienda, aërea, cæleſtis, unica quoque ſcaturigo metallorum, & particularium, & ſine qua nîl fieri poſſit, & vulgo ignoranti ſit abjecta. Inquit Rogerius Bacco, quòd ex Vegetabilibus eligatur. Ait Paracelſus, quòd ſit electrum immaturum, hoc eſt, res fluida, mollis, bituminoſa, & ſemen omnium metallorum. Scripſit Eugenius Philaletha Germanus, quòd ſit ros cæli, & pinguedo terræ. Aſſerit Marc. Lugen. Bonaccina, quòd ſit ſanguis naturæ, balſamus univerſalis, res aërea, animalis, vegetabilis, & mineralis in uno compoſito immaturo, crudo ſpermatico conjuncta; dicitur ab Authore roris aurifici, quòd ſit, & non ſit materia animalis vegetabilis, & mineralis, quia mediatè tantùm aliquô modô Philoſophis notô proveniat ex terra, ſua verò origine ſit cæleſtis. Addit Lugen. Philalet. German. quòd ex lacte volatilium proveniat. Et de hoc puncto vide *Gineceæum Chemicum pag. 675.696.* atque *Cabalam denudatam Chymiatricam Vol. 1.* paginam verò indicare non licet; ſive Ripleum in *Lib. Terra Terræ & cap. 3. de Lapide Animali.* Concludit inde idem Riplæus in eodem *Lib. Terra Terræ*, quòd de hac re fiat mentio pluribus in locis in ſacra Scriptura, & proprio nomine declaretur, & legatur à Sacerdotibus in altari, & cæt.

Ex allegatis ergo Philoſophorum omnium ſententiis, ſicuti & aliorum brevitatis causâ relictorum de hoc unico ſubjecto unanimiter ùt ſuprà,, imò lucidiùs ſcribentium, quâ de causâ ipſos citare reliqui, ne omnibus pateſcat arcanum, colligimus qualitates omnes neceſſarias, quas unica materia noſtra remota ante ipſius præparationem in ſua prima natura integrè & abſolutè omninò habere debet, aliàs ſi una tantùm ex prædictis deficeret, materia vera Philoſophorum remota & prima clavis in arte nunquam procul dubio eſſe poterit. Nam hoc unicum ſubjectum in ſe hæc omnia, & ſingula, à ſapientibus uniſonis deſcripta, contra ſignáque præſcripta minutim univerſalitèr, nullis deficientibus circumſtantiis indicatis, continere debet, quæ omnia, &

gula cùm non ſint integrè in tuo fortè alio ſuppoſito, ac imaginario ſubjecto appropriandа, ſine dubio falſum eſſe concludas. Etenim ait Bernhardus, quòd ubi Philoſophi conveniant, ibi eſt veritas; & omnes ſimul unanimes, & congruentes ubíque in hoc unico tantùm ſubjecto omnibus cum circumſtantiis minutiſſimè præſcriptis ſuprà ad materiam remotam pertinentibus, ac ei ſolummodò generaliter convenientibus, nec alibi ſuper aliud quodcumque in orbe ſubjectum præter noſtrum præmonſtratum accuratè nullis deficientibus ſignis, & contra ſignis verè appropriari, ac adaptari poſſunt, ergò? & quò ad materiam proximam ſimilitèr omnes in hoc unum, volatile, & fixum, humidum, & ſiccum, corpus, & ſpiritum, ſulphur, & mercurium, agentem, & patientem, Solem, & Lunam, aquam, & terram, marem, & fœminam, & cæt. ſimûl conjungere conveniunt, quæ omnia, & cætera multa nîl aliud verè ſunt, nec aliud ſignificant, niſi illa *Rebis* à Philoſophis toties demonſtrata, ſcilicet hæc bina res corpus fixum, & ſpiritus volatilis, à prædicto unico remoto ſubjecto ſapientèr extracta, quamvis variis, innumerísque decorata nominibus. De quo corpore, ùt ſuprà extrahendo, inquit *Paracelſus in ſuis Congeriis, Cap. 11.* Per Vulcanum omnia ſuperflua, atque combuſtibilia uruntur, donec alba terra lucida incremabilis inveniatur in centro, quæ verum auri, argentíque ſemen in ſe continet, & cæt. Et de ſpiritu, addit *Ros Aurificus cap. 2.* Ex noſtro Gummi fac vinum, vel album, vel rubrum, ex quo aquam extrahe ardentem, & rectifica, & ita noſtrum habebis mercurium, ac verum ſpiritum vitæ, & cæt. De quo vide quoque Lullium, Pariſinum, Rupe-ſciſſam & cæt. quos etiam in Weidenfeld in ſuo Lib. de ſecretis Adeptorum fideliſſimè relatos, invenies, & ſimul combinando hanc veritatem concipies.

Quòd ſi quis fatuus, pervicax, obſtinatus, inſipiens contra omnes Philoſophos ſuprà citatos, etiam hæc omnia principia impudenter negaverit, vel nil penitus noverit in hac arte, vel totam hanc ſacram ſcientiam à tot hominibus fide dignis, & quoque ſanctis authenticatam totaliter deſtruxerit, & contra hos, inquam, inſipientes hujusmodi

prin-

principia negantes, non erit disputandum, ut ait *Aristot. 1. Physic.* Et qui negat Magisterium Lapidis Philosophici, non est sapiens, ut addit *Avicenna in Lib. de Anima.*

Ex quibus ergo præfatis unisonis Philosophorum omnium doctrinis clarè patet, quòd materia Lapidis Philosophici, sive primum remotum Philosophorum chaos tam in orbe quæsitum, unicè & absolutè absque ullo minimo dubio, nîl aliud sit, quàm prædoctum subjectum à me satìs indicatum, quod inferiùs proprio quoque nomine nominabo, & è contra omnia quæcunque metalla, mineralia, pulveres, salia vulgo nota, aquæ Chymistarum corrosivæ, mineræ saturninæ, gumosæ, nitrosæ, terrestres, lapides, aquæ pluviales, vitriolicæ, tonitruales, urinæ, stercora, sanguines, cæteræque chemicolarum materiæ, omnia sint vana, frustranea, irrita penitúsque inutilia in hac arte. De quibus omnibus cæterísque falsissimis rebus nugísque sophistarum nominatim descriptis, atque penitus damnatis, vid. *Comit. Bernhardum Trevisanum Part. 2. sui tractatûs. Dyonisium Zaccariam in suo Opusculo Part. 1. Michaelem Sendivogium in suo Dialogo Alchymist. & natur. Riplæum capit. ubi incipit.* Admonitio ad Lectorem continens Authoris erronea experimenta. & cæt. & tunc de ipsius Bernhardi verbis non miraberis ita sincerè asserentis, scilicet, per totum ferè orbem in circuitu nullibi invenisse locorum, nisi in rebus sophisticis ubique laborantes. Et ego, ut suprà juravi, testor coram Deo, in tot itineribus, & colloquiis per medium orbem multis ab hinc annis vagans, unum tantùm inveni veram agnoscentem materiam, sed in praxi extra viam versabatur. Sicuti reverâ per tot sæcula experientia nos docuit, quòd nullus scilicet Alchymistarum hactenus tot cum innumeris materiarum diversarum speciebus, omnibus cum artificiis probatis unquam adhuc nullibi nihil boni fecerit, nisi nugas, sophisticationes, & falsitates.

In qua autem mundi parte, & ex quibus minēris subjectum hoc Lapidis Philosophici remotum abundantissimè inveniatur intactum, *Christopborus Parisinus in suo Elucidario Lib. 2, cap. 1.* In praxi primi capitis

pitis A. locum te docebit, ſcilicet propè Nobiliſſimam Venetorum urbem, ubi ego quoque verè fui, ac hujus ſubjecti fertiliſſimam inveni ſodinam: Ex quo verò ſubinde noto ſubjecto, ſi noveris, & tutè illud rapere poteris, memento, ut ſuprà diximus, primò ex ipſo vinum conficere, & ſpiritum eruere, ac poſtmodũ ex ejus nigro tartaro combuſto, ut ſuprà ex *Paracelſicis Congeriis cap. 11.* audiviſti, ſal extrahere, nempè

*Ex hoc prædicto tantum cape fixa, relictis*
*His, quæ non ignem, ceu fugitiva, ferunt.*

# Caput Septimum.

## *Quod unica tantùm detur in orbe materia ad Lapidem Philoſophicum conficiendum idonea, & quòd metalla omnia, ac mineralia quæcunque ſint in hac arte inutilia, & quod unicum ſit opus, unus Lapis, unica ars, unica via, unicúmque regimen, quamvis omnia triplici nomine decorata, & cætera in hac arte occultiſſima adhuc à nemine delucidata.*

CUm hæc occultiſſima Hermetica Theoſophia pro inexpertis ſit verè verus inextricabilis Labyrinthus, verumque imperſcrutabile chaos, non eſt mirum, quòd pauciſſimi ad genuinam ejus intelligentiam perveniant, præſertim cùm Philoſophi ſatis invidi ne multis patefacerent arcanum, innumera nomina, & quidem quoque Barbara, tam materiæ remotæ, quàm proximæ impoſuerint, ac de tribus quoque operibus, tribusque Lapidibus, variis cum regiminibus, diverſisque receptis, & cæt. ad ſimplices decipiendum locuti ſint, ſcilicet de opere minerali, opere vegetabili, & opere animali ſeparatim tractaverint, ſicuti de regimine Jovis, de regimine Veneris, Martis, & cæt. quæ omnia ſuô locô explicabimus, cùm unum duntaxat ſit opus, unum regimen; ac unum Lapidem, unicam viam linearem, unicumque ſubjectum ſemper intellexerint, ut inferiùs lucidè videbis. Item ac etiam cum de prima operis præparationis parte, ac de ſecundo purificationis, ſpiritûs corporisque conjunctionis artificio parcè & valdè obſcurè, quamvis de ambobus eſſentialioribus, ſcripſerint. Etenim in ultima decoctionis ſeu fixionis parte, ut plurimùm operis initium ſumpsêre, ùt ita *P. Joann.*

*Col-*

*Colleſſon inter cæteros, in ſua idea perfecta Vol. 6. Theatr. Chemic. prædicti, pag. 150. teſtatur.* Hinc pauciſſimi artem inveniunt, cùm vel opus mutilatum, mixtúmve, atque huc illuc ubique diſperſum Philoſophi tantummodò doceant, & quæ docent, obſcuriſſimè per ſpeculum demonſtrant, & ita præbent incenſum, & ſtatim manum abſcondunt.

Unde cùm ego certè ſciam, quòd omnes ferè Chemicolæ plures eſſe materias hactenus pertinaciter ſtolidéque credentes alios quoque in hac falſitate perſuadere conentur, ac mundum ita ubique decipiant, duo capita de hac materiæ unitate confeci, ut in poſterum omnes hujus artis cultores hanc veritatem palpantes ſint oculati, ne ampliùs ab iſtis deceptoribus ignarísque ſophiſtis decipiantur, Itaque ne te tædeat tantæ ex authoribus unitatis hujus materiæ repetitionis, ſeu citationum multitudinis, & ne pertæſus præ nimia repetitione, omnia hic perlegere relinquas; nam alia quoque neceſſaria infrà deſcripta reperies. Interim ut clarè videas, quòd unica tantùm ſit in orbe materia ad hoc opus apta inquirenda. Attende,

Inquit enim Hermes in ſua Tabula ſmaragdina: Et ſicut omnes res fuerunt ab uno mediatione unius, ſic omnes res fuerunt & ſunt ab hac unica re, adaptatione ad perpetranda mirabilia unius rei.

Geber ait; una eſt via linearis, unica materia, unica medicina, unum opus, unus lapis, unum regimen, unica diſpoſitio, & cæt. & ulteriùs addit; in rerum multitudine ars noſtra non conſiſtit: eſt enim res una, lapis unus, medicina una, cui non addimus rem extraneam, nec diminuimus, niſi quòd in præparatione materiæ ſuperflua removemus, nã (nota) per eam, & cum ea, & in ea ſunt omnia artis noſtræ neceſſaria.

Et cum dicat: cui non addimus, nec diminuimus: intelligitur quòd poſt perfectam depurationem in præparatione peragendam nihil diminuimus. Quapropter in materiæ præparatione tantùm ſuperflua, combuſtibilia, ac fæculenta per ignem & aquam, ut ſuprà dictum eſt, removentur; poſt autem debitam præparationem, quæ valdè diuturna, ac tædioſa eſt, corpus ſpiritúsque rite depurati abſque ulla diminutione ſimul conjunguntur. Quoniam non ex ſolo ſulphu-

phure, seu corpore, neque ex solo mercurio, nempe spiritu lapis nó ster perfici potest, cùm nec ipsa natura hoc facere queat. Hinc in tra ctatu non plus ultra *veritatis cap.* 36. *dicitur*: Facta autem maris & fœminæ depuratione, seu unione, scilicet corporis spiritúsque conjunctione, tunc est illa materia proxima, cui nihil additur, neque minuitur, & cæt. Et Zaccarias similia protulit. Subjungit Arnoldus in septima dispositione suispeculi Alchemiæ: cave quòd nîl addas, vel diminuas post conjunctionem, quia in Lapide nostro post prædictam præparationem & purificationem, quæ per corporis solutionem perficitur, non invenimus indè aliquid superfluum, nec diminutum, & cæt. Cùm omnia tamen sint ritè parata & mundata.

Et hìc possent aliqui Pontanum excusare, quamvis non sufficeret, aliàs non esset possibile; cùm ipse Joannes Pontanus insipientibus dicat, quòd omne turpe, & fæculentum, ac denique totum corpus sive substantia per ignem nostrum ( nempe spiritum ) transeat in corpus spirituale: quod omnibus sophorum doctrinis, intentioníque naturæ repugnat, & unicus ipse hoc dicat, ac suus deceptus Discipulus confirmet, ac multi sui amici ipsum frustra excusare conentur. Corpus enim antea summè à fæcibus terreis depurare, & purificare debemus: aliàs nunquam cum suo facundo spiritu conjungeretur, nec ullum haberet ingressum. Itaque merito uti sophista, & de hac scientia ignarus ab Henrico Kunrath Lypsiensi, Pontanus consideratur, quamvis à nonnullis suis fortasse amicis defendatur injustè, dicentibus, quòd ipse intellexerit, ut suprà dixit Arnoldus, post corporis depurationem, cui inde nîl additur, neque minuitur, sed tunc per ignem nostrum, scilicet per spiritum prædictum, tota massa transit in corpus spirituale. Ego autem respondeo: sed tota massa jam antea per acetum nostrum soluta, aperta, & extremè depurata; non autem quòd omne turpe & fæculentum in spiritum resolvatut: & ultra dicam: quomodò per spiritum nostrum omne turpe & fæculentum in corpus spirituale transire posset, si post debitam antecedentem depurationem, corpus jam ritè solutum, & à suis terreis fæcibus, quibus abundat, extremè mundatum, ut decet,

ac

ac generaliter omnes sic jubent, aliis caret fæculentiis? Potiùs ergo si dixisset, quòd corpus seu Laton per acetum nostrum rubro-nigrum effectum, inde depuratum, per ignem nostrum, scilicet per aquam secundam spiritualem, quæ est ignis noster, transit in albedinem perfectam, & in corpus spirituale lucidum, vel in terram foliatam, vertitur, & illa nigredo seu rubedo fusca evanescit, quæ sicuti fæces ad oculum appareret, tunc certè veritatem scripsisset: verùm enim verò cùm secùs talia absurda ipse dixerit Pontanus, non est excusatione dignus, imò potiùs veluti jactator impudens damnandus est. Et ne mireris, si penes Philaletham ipsum Pontanum videris citatum, & per Philosophum declaratum. Nam sciendum est, quòd ille stolidus Philalethæ Commentator, qui juxta suum cerebrum, Philalethæ verba ab ipso malè interpretata, super antimonium adaptavit, ipse fuerit, qui scripta Philalethæ collegit, & ibi Pontanum suô jure citavit, (ut aliis quoque alibi sui amici fecerunt) & multas de suo supposito antimonio falsitates adjunxit, quod est verè dolendum, de quibus Philaletha nec somniavit. Sicuti alii ad eorum falsitates accreditandas in carminibus Friderici Gualdi, & alibi multa de antimonio absurda adjunxerunt, ex quibus inde sine sophorum culpa maxima oritur pro inexpertis confusio.

Sed ad nostrum propositum redeamus, ad hanc scilicet, materiæ unitatem ex omnibus Philosophis contestatam, demonstrandam.

Legitur in *Gynecæo Chemico pag.* 253. ex eodem Gebro: unam unicam esse rem patrem & matrem habentem, & ab ipsis creatam, & nutritam, & sui ipsius esse patrem & matrem. Ut Faustus Sabeus Sacerdos Philosophus in suis carminibus similia confirmat.

Inquit Artephius Arabs in suo Libello secreto: una est materia, unum vas (post autem præparationem) unum opus, unus lapis, unum regimen, unicáque dispositio tam ad album, quàm ad rubrum successivè decoquendo facienda.

Daniel Justinopolitanus in suis Carminibus Italicis, cecinit:

*Mà nota ben' che tu non faccia errore,*
*Ch' una sol' è la cosa in cui son fitti*
*Gl' elementi descritti, & cat.*

In Libell. Lucis obnubilatæ cant. 5. ex Friderico Gualdo, Santinellus, qui carmina ipsius Gualdi, ita nobilitavit: inquit:

*Si ben' da me s'intende,*
*Ch'altro non è questo Mercurio ignoto,*
*Ch'unico spirto universale innato,*
*Che dal Cielo discende*
*In aëreo vapor' sempre agitato*
*Ad empir' della terra il centro vuoto. &cæt.*

Scripsit Admonat, sciatis, quòd non sit nisi Deus res una, quæ patrem & matrem habet, in ventre quorum latet occulta.

Et vide *Laurent. Ventur. cap.* 6. atque *Isaace: Holland. in oper. mineral. Lib.* 1, *cap.* 101.

Legitur in principio Cimbali Aurei Antiquissimi: Artis nostræ una tantùm extat res, cui tam in principio, quàm in fine nihil additur extranei, quod sit suæ naturæ alienum, nisi aurum in fine, sive veræ naturæ. Ut ita Callisthenes, ac Philadelphus similia scripserunt.

Ait Philaletha in suo Introitu Aperto: Circa hanc substantiam cælestem Ars Chymiæ versatur, quæ illius perficiendi modum, atque viam tractat, & docet, non autem per diversa, sed per unicam solumodò rem fit, cui nihil addendum, nihil minuendum, sed superflua tantùm, scilicet fæculentia, & combustibilia in præparatione removendo.

Senior monet: quòd quidquid ad te perveniat ex Parabolis, similitudinibus, nominibúsque variis, de gummis, floribus, sulphure, arsenico, de argento vivo, de metallis, mineralibus, de omni nigro, rubeo, & albo: de aquis, acetis, lactibus, sanguinibus, urinis, spermatibus, melle, menstruis. De salibus variis, & cæt. Hæc omnia, & cæt. multa, si sint fluida, ùt suprà dictum est, unicam aquam nostram duplicem significant: nempe rubra fluida, spiritum aceti; si alba fluida, spiritum vini nostri sapientes indicare voluerint, ùt inferiùs suô locô explicabimus, & si sint solida, semper corpus, seu sal nostrum fixum esse puta, & ambo ex illo unico chaote extracta, sophi intellexerunt.

Item sciendum est, quòd cùm Philosophi de rebus rubeis scripserint, scilicèt, de sanguinibus, auripigmento, minio, cinnabari, & cæt.

non tantùm de ſulphure rubro, ſeu anima corporis occulta prædicta; verùm etiam de mercurio rubro, ſeu aqua rubra, ſcilicet ſpiritu aceti noſtri Philoſophi putârunt; unde ſecundùm circumſtantias adjacentes ipſorum intentionem intelligere debemus; quare autem ſpiritus aceti aqua rubra, mercurius rubeus, ſanguis, ignis rubeus, aqua ſolaris, vel oleum ſolis quoque dicatur, ſuô locô declarabimus; qui à Lullio in poteſtate divitiarum, ſanguis humanus rectificatus vocatur, ùt ita ſimiliter ab authore *de magni Lapidis Compoſitioue Vol. 3. Theatr. prædicti cap. 3. Lib. 2. pag. 55.* nuncupatur. De quo ita *Paracelſus in ſuis Congeriis Chymiæ cap. 7.* alloquitur: Quia, inquiens, cùm materia præparata ſit alba, lac Virginis ſapientes eſſe dixerunt: Et quare antea rubra, ſanguinem Adamicum ipſam vocaverint, ſophiſtæ collegerunt materiam in hominum ſanguine conſiſtere, & cæt. Et ecce in hoc paſſu diverſimodè intelligitur, hoc eſt, quia cùm corpus in aceto noſtro primò ſolvatur, tam acetum, quàm ipſum corpus rubeſcunt ùt ſanguis, quapropter acetum extrahit animam rubram occultam ab ipſo corpore, & ita ſimul tinguntur, & ſanguinem humanum ſophi tunc eſſe dixerunt. Itáque ſuprà dixit Senior, quòd omnia rubra, nigra, alba, tum etiam cùm de aceto, lacte, ſanguine, & cæt. Philoſophi loquantur, ſemper hanc unicam rem omnia ſignificant; quamvis ſecundùm colores in opere apparentes nomina ubique variata legantur. Et ita ſimplices alias eſſe materias ſibi imaginantur, & ſunt decepti. Unde de hoc puncto vide *Margarit. Novell, Petr. Bon, Lombard, cap. 9.* Hinc *Lullius in ſuo Teſtam. Noviſſim. Part. 1. Lib. 1,* De unico quoque ſale noſtro innumeris nominibus decorato, inquit: multi vocârunt illud terram, ſal armoniacum, ſal Alkali, (ſicuti revera eſt) ſal animatum, vitriolum, ſulphur, cortices ovorum, aquam congelatam, vitellum ovi, ſal condimenti, ſal nitri, cinerem boracem, ſal gemmæ, ſal ſaponis, arſenicum, mercurium ſublimatum, plumbum, ſtannum, & cætera multa, ùt alij & cæt. quæ omnia per ſtudium clarè intelliguntur, quòd de hoc unico ſale noſtro tantùm Philoſophi locuti ſint. Et hæc nominum multitudo errare fecerunt inſipientes plures eſſe materias credentes, &



ſunt

sunt decepti, & cæt. & ita Lullius &c. De quibus infinitis nominibus nominatim descriptis huic unicæ rei tam remotæ, quàm proximæ impositis, vid. etiam *Vol. 2. præcitat. Theatr. Chemic. erga finem, pag.* 436, 536. *Et Lullius prædictus loc. cit.* ulteriùs eandem similem de nominibus innumeris descriptionem nostro spiritui impositis similiter fecit, uti videre poteris.

Hinc addit *Arnoldus in sua Epist. ad Regem Neapolitan.* scias, quòd quamvis Philosophi sua nomina multiplicaverint, tamen non intellexerunt nisi rem unicam, opus unicum, & unicam operationem, & ulteriùs ibidem: unicum, addit, est subjectum, quod est compositum, & ante operationem dividitur, quia est unitum, & regitur inde unum cum alio (scilicet corpus cum spiritu, antea ex illo unico subjecto extract:) quia unum meliorat aliud, & Philosophi unum masculinum, & aliud femininum vocârunt, & cæt. (quia spiritus pro fœmina, seu lunâ, & corpus pro masculo, seu sole sumuntur.)

Scripsit *Joann. de Lasnioro Tractat.* 2. sub juramento dico, & non mentior, quòd unicum sit semper Philosophorum subjectum, quia natura nostra est una, ita materia una, in qua totum consistit magisterium, & non plures materiæ, ut fatui Chemistæ putant.

Legitur in Lilio: una sola res est, habens in se corpus, animam, & spiritum tingentia simul.

Ait *Riplæus in suis Axiomatibus, Vol. 2. Theatr. citat.* subjectum nostrum, seu Lapis noster habet nomina propemodum infinita: nam cùm nigrescat ab unaquaque re nigra in aspectu à Philosophis nomen accepit, & denominatur, cùm albescat ab unaquaque re alba nomen sumit, & cum rubescat similiter, & tamen semper est una res.

Carmen *Apollineum Tom. 4. Theatr, prædict. inquit:* omnibus ante oculos versatur, & unica res est. Addit Sendivogius in novo Lum. Non est nisi hæc unica materia in mundo, per quam, & ex qua Lapis Philosophorum præparatur; est quidem in omnibus rebus (scilicet sal centrale) sed non ad hoc apta, & in ejus extractione, & purificatione priùs vita artificis deficeret. Et quòd

hæc

hæc materia ad hoc apta sit unica sub cælo, vide *Dyonis. Zacar. in Part. 2. sui Opusculi*, ubi ex omnibus Philosophis congruentibus ibi citatis, testatur. Et vide Theoriam Artis in Epist. cujusdam monachi Benedictini ad Hermannum Archi-Episcopum Colonienſem, ubi ex Platone legitur: Nolite pecunias vestras in vanum emittere, alium lapidem, aliúdque subjectum quærentes: Nam lapis noster est unicus ex unica re proveniens, & ex illa unica re compositus.

Item addit Rogerius Bacco in speculo: Hæc lapidis scientia ex uno, & per unum simplicitèr provenit, & ex illo unico magisterium componitur.

Scripsit Bernhardus Trevisanus: Radix una est, ex qua mercuriales duæ extractæ substantiæ, scilicet, corpus & spiritus, totum opus nostrum componunt, nec aliud.

Hinc Anonymus Gallus Philosophus celeberrimus in sua instructione de *Arbore Solari Vol. 6. Theatr. cap. 3. pag. 172.* inquit: sapientes materiam hanc, Androgynam, seu Hermaphroditam appellant, quia ex illa sulphur, & mercurius, seu spiritus & corpus extrahuntur, ex quibus unum pro viro, alterum pro muliere sumitur, & vocatur quoque Protheus, & Camæleon sapientum propter colorum in opere apparentium variationem, & cæt. Ac ibidem antea *pag. 166.* Idem author concludit: Omnes, dicens, veri Philosophi in hoc unanimitèr consentiunt, unam unicam rem præ manu sumendam, ex qua tantùm Lapis Philosophorum præparatur. Ut ita Kanides, Stephanus Alexandrinus; Heraclius; Zosimus; Synesius; Joann. Willichius, & cæt. confirmant, omnes unanimitèr concludentes, quòd unica sit materia unicum opus, unus lapis, unica ars.

Legitur in Lib. Saturni: Totum hoc magisterium in una sola re consistit. Addit Lucas: Pluribus rebus in opere nostro non indigemus, nisi unâ tantùm. Inquit Rosinus: Una est, sed est sciendum, quòd sit duplex, masculus scilicet, & fæmina, & ambo sunt idem, & in eodem subjecto in unitate conjuncti.

Riplæus in suo viatico subjungit: unicum est subjectum, in quo

 nihil

nihil introducitur alienum, nec primô, nec ultimô, præter aurum i fine, quod eſt ſuæ naturæ.

Michaël Sendivogius *Epiſt.* 50. ſcripſit: Quòd mercurialis illa ſub ſtantia univerſalis, ſeu aër congelatus, nullibi reperiri poſſit, niſi in u nico ſub ſole ſubjecto, à quo ſemel ſeparatus amariſſimus eſt (quòd re vera amarus eſt) & econtra ſubjectum illud qualitates habet contra rias, cùm ſit ſpiſſum, dulce, & opacum, & cæt.

Petrus bonus in ſua Margarita novella ait: Duæ ſunt diverſæ ſub ſtantiæ in noſtro ſubjecto exiſtentes unitæ, & tamen unica res eſt, ſi cut patet in ovo.

Inquit Hermes: Inquiſita à Philoſophis una res eſt, ac diſpoſiti una, & cæt.

Lullius in Elucidatione Teſtam. ait: Extraneas res multas per ſi militudinem adduximus, cùm tamen ſit ſemper unica res, unus lapis & unum opus.

*Joann. Daunſtenius cap. 3.* dicit: Unica eſt materia, unum opus unum regimen, & unum vas poſt præparationem, ubi omnia fiunt quamvis tot capita Philoſophi ſcripſerint. Quæ omnia ſcilicet diſtil latio, calcinatio, imbibitio, & cæt. multa, addit *Laur. Ventur. cap.* 23. Semper unica rota incluſa intelliguntur, ut ita Frat. Hellias Aſſiſiens. Beat. Ægidius de Vadis; Cornelius Brebbel; Vincentius Beluacenſis, & cæt. conteſtantur. At quomodo intelligatur, quòd tot regimina unico circulo, unica repetita operatione, in unico vaſe omnia inclu dantur, & abſolvantur, inferiùs ſuô locô declarabimus.

Addit Hortulanus: Unica tantùm eſt materia noſtra, ſed eſt du plex, & eſt ſicut ovum, ex albo, & citrino compoſita. Et ità Magiſt. Antonius de Florentia. Joan. de Padua. Joan. Tachius. Nicolaus Flam mellus (qui etiam proprio nomine hoc ſubjectum pluries nominârunt) Calid. Rachaidibus. Ruſticus. Guido Græcus. Augurellus Poëta, &c. unanimitèr, quòd ſit unica ſub ſole materia noſtra, concludunt. Sicuti unusquisque, niſi mente captus, authores omnes verè adeptos ſedulô ſpiritu perlegendo, poſt multas cabalas, nîl aliud inveniet ubique, niſi

quòd

quòd unica sit semper materia, unus lapis, unum opus, unum vas, post autem præparationem, seu primam divisionem, unicúmque regimen, & cæt. quos omnes recensere nimìs foret prolixum.

De qua veritate, ac hujusmodi materiæ unitate, vide quoque Harmoniam Chemicam *Vol.* 4. *Theatr. pag.* 730. *cap.* 2. Quia verò tot nominibus hanc unicam rem Philosophi nominârunt, & ultrà cùm tot falsi inveniantur authores, inexperti ipsos perlegentes hallucinantur, & confunduntur. Hinc studiô duo capita de hac materiæ unitate componere decrevi, ut omnes denique de hac indisputabili veritate persuasi alias non inquirant materias, nec alibi inutilitèr distrahantur.

Addit enim Artephius in suo Libell. Secret. quòd quamvis Philosophi dicant: Ponito hoc, ponito illud, tamen non nisi rem unicam semper intellexerint.

Ac ex omnibus quoque Philosophis de hac materiæ unitate testantibus vide aliud exemplar ex *Turba Philosophorum Tom.* 1. *Bibliothecæ Chemic. Curios. Joan. Jacob. Manget. pag.* 480. ibi citatis. Causa verò, quare Pseudo-Chemistæ plures esse materias, regimináque diversa putant, non tantùm est, ùt diximus, nominum multitudo, tam materiæ remotæ, quàm proximæ, tam corpori, quàm spiritui, tam aquæ primæ acidulæ, quàm secundæ dulci, à Philosophis invidis impositorum, adeò ut tyrones memoriâ Angelicâ indigeant, ut in tam immensa nominum multitudine ubique variata intentionem sophorum ubi de una, ubi de alia intelligant, percipere possint. Sed etiam quia innumera quoque regimina sapientes descripserunt, quamvis ad unum tantùm finem semper tendant, & omnia hoc unum significent, & hoc unicum opus intelligant. Exempl. gr. cum simplices, de opere Saturni, de opere Jovis, de regimine Lunæ, de regimine Veneris, Martis, & cæt. perlegant, hallucinati, alia significare supponunt: quandò sub tali figura colores in opere apparentes indicare voluerunt, ac sub talibus nominibus, de opere, ac regimine salis nostri in solutione, præparatione, & conjunctione, atque ejus purificatione unicè intellexerunt Philosophi, quia in tali corporis præparatione omnes quoque mundi colores

sæpè

ſæpè variati, ſicuti in ultima decoctione, apparent. Unde cùm pr
mò corpus in aceto nigreſcat, de opere ſaturni ſcripſerunt. Cùm ſub
inde rubeſcat, de regimine cinnabaris, ſeu minij tractârunt. Cùm
citreneſcat, de regimine ſolis. Cùm albeſcat, de regimine Lunæ, & ſ
de cæteris. Et hoc quò ad corpus.

Quò autem ad ſpiritum, omnia quæcunque fluida, aquea, olea
ſa, urinoſa, ſpermatica, ſuccoſa, & cæt. quæ in ſimilibus receptis, ex
perimentis, proceſſibúsque ſimul miſcuerunt, nîl aliud ſignificant, ni
ſi vel ſpiritus vini, vel ſpiritus aceti noſtri, hoc eſt, ſi de fluidis albis
quantur, ſemper de ſpiritu vini intelligas. Si verò de fluidis rubris
ſuccis, acidis, aquis fortibus, & cæt. ſemper de ſpiritu aceti perpe
das. Etenim jam ſuprà notâſti, quot nomina ſali noſtro Lullius in
poſuerit, quamvis nec vigeſimam dixerit partem. Nunc etiam audia
quot quoque vocabulis ſpiritum nominaverit, licèt adhuc vigeſim
nominum pars, cum quibus alii illum nuncupati ſunt, non ſit. Inqu
ergò *Lullius in ſuo Teſtam. Noviſſimo Lic. 1.* Sapientes appellârunt hun
ſpiritum aquam vitæ, animam cælicam, ſpiritum vivum, menſtruum
vegetabile, fimum, ſtellam Dianæ, ſanguinem menſtralem, (ſcilicet
acetum) urinam ſublimatam, aquam ardentem, aquam ſulphu
(nempe acetum) lac virginis, acetum acerrimum (ſpirit. acet.) mer
curium album, & rubrum (ambos ſpirit.) aquam fortem (acet.) E
cæt. multa: qua de cauſa multi plures, ac diverſas aquas eſſe creden
tes, decipiuntur, & cæt. & ità Lullius. Si verò reliqua nomina mu
ta ſcire cupias, vide *Harmoniam Chemicam cap. 1. vol. 4. Theatr. pag. 72*
Unde jam modò vidiſti, quòd quæcunque nomina, quæ tam corpor
quàm ſpiritui Philoſophi impoſuerint, ſemper unum ſignificent, ſcil
cet ſi ſint fluida: ſpiritum. Si ſolida: corpus intelligunt. Itáque cùm
de auro, argento, cæterísque metallis omnibus; marcaſitâ, calcido
niâ, cæterísque lapidibus; arſenico, auripigmento, vitriolo, nitro
cæterísque ſalibus, corticibus ovorum, limaturis, calcibus metal
lorum, calce viva, tartaro calcinato, & cæt. aliísque calcibus, Philo
ſophi loquantur, ſemper de prædicto phyſico corpore noſtro intelle
xerunt. Et hæc ſit tua regula generalis, & non errabis. Hinc

Hinc addit Riplæus: Hoc tamen à Philosophis ex composito fit, ut stulti, & ignari decipiantur, ac in materiæ nominum multitudine, ac diversitate hallucinentur.

Unde Morienus, & Arnoldus in *Epist. ad Reg. Neapol.* inquiunt: Nîl aliud magìs modernos in errorem duxit, nisi nominum materiæ multitudo, quæ sub nominibus metallorum, aliorúmque corporum indicata, nîl aliud sunt, nisi colores in præparatione apparentes.

Petrus item de Silento subjungit: Philosophi de pluribus tractaverunt, varia quoque regimina descripseruut, ut simplices fallerent, cùm non sit in hac arte, nisi una res unitate specificata, uno nomine nominata, & una actione, regimine uno, decoctione una, in unico vase, unico igne semper æquali, levissimóque, cum quibus post primam primariam divisionem, in præparatione opus regitur, atque perficitur, & cæt.

Scribitur à Christophoro Parisiense in suo Elucidario, quòd unica tantùm detur sub sole materia, sive substantia animalis, vegetabilis, & mineralis, quæ ad opus nostrum sit apta.

Monent nos Lullius, & Paracelsus, quòd à rerum pluralitate caveamus, cùm unicum tantùm sit subjectum, unicus lapis, unicúmque opus, quamvis triplici nomine decoretur, scilicet animale, vegetabile, & minerale, & cæt. ùt suô locô clariùs demonstrabimus. Unde Lullius subjungit: Tres lapides, seu tria opera, aliásque res extraneas per similitudinem descripsimus, cùm tamen unica sit materia, unicus lapis, ac unicum tantùm opus, & cæt.

Hamuel Senioris Commentator scripsit: Hæc nobilis magnesia, unicáque omnium Philosophorum materia, quæ ex innumeris vocabulis una semper est, tamen in suo ventre duas habet substantias, lunarem scilicet, & solarem, nec una operatur sine alia; & simul in una re inveniuntur (nempe vel corp. & spirit. vel etiam de corpore duplici animato intelligitur, quod corpus solare, & lunare vocatur, ùt Geber, & cæt. illud nuncupârunt) &c.

*Chem. Carios. Joan. Jacob. Magnet. pag.* 538. Etiamsi veri Philosophi d hac unica materia loquentes, multis singularibus, peculiaribúsque no minibus metallicis, lapidibus, & cæt. usi fuerint, nihilominùs unani mi omnium consensu unicam semper sub cælo materiam idoneam re monstrare voluerunt.

*Senior Antiquissimus Philosophus in Vol. 5. Theatri r elatus*, inquit Quamquàm appareat quodammodò Philosophos diversa sub varii diversísque nominibus tractare, verùm enim verò nîl, nisi rem unicam omnes intelligunt.

*Isaacius Hollandus in suo Opere Minerali Lib.* 1. *cap.* 66. ait, Lapis noste ex una re tantùm adducendus est, & non ex pluribus.

Morienus in Colloquio cum Rege Kalid, addit: Hujus rei prima substantia est unica unicè materia, ac de ea est unum, & cum ea fitu num, nec aliquid aliud sibi additur, nisi suusmet mercurius, scilicet spiritus.

Rhasis in Lib. Luminum scripsit: Sub diversis sententiis nobis prima facie contrariis apparentibus, Philosophi non nisi rem unicam, eandémque semper intellexerunt.

*Ex summa Libr. Gloria mundi vol. 6. Theatr. pag.* 516. legitur: Et hac unica materia duæ res separantur (scilicet corpus, & spiritus) quarum una est volatilis, altera verò fixa, una est aqua, altera terra, quæ iterum conjungi debent, quod facili negotio fit, quia quælibet res li bentèr recipit id, quod suæ est naturæ, & cæt. Et ibidem multa vere observatione digna ulteriùs perlegas.

*Ex Triumpho Hermetico super Antiquissimum Duellum Equestrem pag.* 9. Hæc verba notantur: Testor vobis coram Deo, quòd totum opus nostrum ab unica sola re ortum ducat; teste Gebro in sua summa dicente: Scientia nostra per diversa non perficitur, at solummodò per unicam rem, ex qua tantùm superflua in primapræparatione, ac materiæ de purationeremovemus, quæ similiter in unico igne, unico vase, unicóque repetito regimine fit, & cæt.

At quomodò hoc intelligatur, scilicet, quòd opus nostrum, tam

in primo præparationis regimine, quàm in ſecundo decoctionis opere in unico vaſe, unico igne, unico furno, unicáque continuata operatione, ſeu decoctione, perficiatur, attende:

Poſt primam primariam diviſionem, cùm primò vinum conficere debeamus, ambósque ſpiritus, acidum ſcilicet, & dulcem ex vino extrahere, fæces, veluti pix mollis, remanentes, ſeu tartarum calcinare, ſalémque eruere, & cæt. certè tunc variis, diversísque vaſis, ac ignibus indigemus, quamvis à Philoſophis non deſcriptis, neque computatis, niſi per tranſitum, ùt *Theobaldus vol.* 1. *Theatr. Part.* 3. *pag.* 179. *Philaletha in ſuo Introitu Aperto cap.* 17. atque *Iſaaccus Hollandus in ſuo Opere Minerali Lib.* 2. *cap.* 31. teſtantur, & declarant. Poſt autem cùm hos ſpiritus, & corpus à chaote, ùt ſuprà dictum eſt, extraxerimus, tunc in unico vitro ovali, ſeu vaſe, utì vides,  omnia, quæ Philoſophi in tot diverſis capitibus deſcripſerunt, peragimus, ſcilicet quamvis de ſublimatione, de ſolutione, de calcinatione, de imbibitione, de putrefactione, diſtillatione, & cæt. ſeparatim ſcripſerint, hæc omnia in unico vaſe, unico regimine diù continuato, unicóque igne cinerum leviſſimo ſemper æquali, conficiuntur. Quapropter ibi corpus primô ſuô acetô ſolvendo nigrificamus (& ecce prima lapidis ſolutio, & primum caput corvi) deinde acetum unâ cum ſalis maſſa rubificatur ùt ſanguis, itáque ſpiritus aceti ab hac operatione ſua, aqua prima, & aqua rubra, quamvis ſit alba, vocatur, ùt ait Senior. ( & ecce putrefactio ) Poſtmodùm ſuperfluam humiditatem hydropicam ſuavitèr evaporamus, vel diſtillando eruimus (& ecce exſiccatio, congelatio, & diſtillatio ) in qua repetita operatione omnes quoque mundi colores, ſicuti in ultima decoctione, ſimiliter apparent. Latonem inde ſæpè ſæpiùs imbibendo, ſolvendo, & congelando, triturando, lenitérque exſiccando, quæ eſt calcinatio noſtra, dealbamus; & ecce trituratio, ſolutio, congelatio, calcinatio, dealbatio, & cæt. Hoc facto, cũ ſuo ſpiritu, ſeu aqua ſecunda, dulci, alba, iterùm proſequendo, imbuendo, dealbando, ſolvendo & congelando, corpus conjungimus. (& ecce cibatio, conjunctio, inceratio, & cæt.) & in iſta corporis ſpiritúsque

túsque conjunctione ſal, ſive laton ſolutum, & dealbatum unâ cum ſuo ſpiritu in lac virgineum deductum, in aërem natans ſublevamus, ve elevamus, ſcilicet ita corpus fixum volatilizamus, ( & ecce ſublimatio noſtra, nempe, ut ait Riplæus, ita Mercurium cum calce ſùa ſublimamus, & tunc eſt infans noſter in aëre natus, ut idem Riplæus & cæt. ipſum deſcripſerunt ) quæ omnia in unico vaſe, unico repetito regimine, unico igne ſemper æquali, unicóque furno arte fiunt. Et inde in Phiala in ultimo decoctionis opere, ſeu fixionis regimine, eôdem igne leviſſimo ſemper æquali in unico vaſe, & furno, ex ſe omnia prædicta naturâ operante, perficiuntur, & Philoſophi verba *Ethicor. Lib.* 2. verificantur, dicentis: omne, quod ritè peragitur, unicô mediô perficitur. Et omnia quæ Philoſophi ſcripſerunt de hoc unico vaſe, unico igne, unicóque regimine, & cæt. antea Chymiaſtris imperceptibilia, nunc ipſos veritatẽ ſcripſiſſe fateri conantur; & gratias Deo agant, cùm ante me nunquam certè ſimilia tam clarè explicata nullibi perlegerint.

Quare autem Philoſophi in ſuis receptis, experimentísque variis ſubjectum hoc, plumbum, ferrum, antimonium, & aurum, argentum, & cæt. omnibúsque metallorum, corporúmque diverſorum nominibus, illud nuncupaverint, vid. *Laurent. Ventur. cap.* 9. *ſeu Diſcipulum Guidonis in Tractat. de Philoſophico Adrop. Vol.* 6. *Theatri, pag.* 545. *Atque Triumphal. Hermetic. pag.* 30. 31. *in Dialogo inter Eudoxium & Phyrophilum, & cæt.*

Certè inquit *Lullius in ſuo Teſtam. cap.* 52. in omnibus creatis hic ignis naturæ, ſcilicet ſal centrale, ſeu lux illa congelata ſicuti materia prima rerum omnium, inhabitat, nam ſine ipſa non exiſterent. Et ideò dicitur, quòd Lapis ( ſcilicet ſal, cùm omnia ſalia ſint Lapides in aſpectu) ſit in omnibus mundi compoſitis, & cæt. per illos, qui noſtras intelligunt cabalas; ſed differentia eſt inter Lapidem & Lapidem, ſeu inter ſalem & ſalem, quod eſt unum per idem; unde certè omne ſal eſt Lapis, ſed non omnis Lapis eſt Lapis Philoſophorum. Itaque cùm dicatur, quòd ex omni re fiat Lapis, intelligitur, quòd ex omni re creata Lapis ſcilicet ſal, erui poſſit, non autem quòd omnis ſal ſit ſal metallorum, ſeu Lapis Philoſophorum: & ita cabalæ ſapientum explicandæ, ac intelligendæ ſunt.

Qua-

Quapropter Lapis ſalinus noſter, ſeu argentum vivum ſophorum de natura metallica ad hoc aptum, non niſi in ſole & luna noſtra conſideratur, nec alibi reperitur; etenim in aliis compoſitis, atque ſimplicibus diverſam habentibus naturam, diverſam quoque ſumpſit virtutem & facultatem juxta genus ſuum ad aptatum. Propterea Philoſophi hoc unicum ſemper commendarunt ſubjectum, in quò tantummodò Lapis hic ſalinus de natura ſolis & lunæ, aurum nempe immaturum, reſidet. Unde inquit *Tract. Joann. de Rupe-ſciſſa in Lib. Lucis cap.* 2. materia Lapidis ſemper eſt una & eadem res, quamvis multis cum nominibus ubique nominetur, & eſt res vilis pretii, ubique repertibilis, & eſt aqua viſcoſa, ſpermatica, cæleſtis. Et ita ſimiliter Archi-Epiſc. Dunſtan. Centurienſ. Joann. Tetzenenſis, cæteríque confirmant.

Hinc *Tract. Helias Aſſiſienſis cap.* 2. *pag.* 6. ut quoque in Libello Artephii Arabis annexus reperitur, inquit: Eſt autem materia Lapidis unica res, & eſt aqua craſſa pinguis, quæ mediatè ab animalibus procedit. & cæt. &c. Ac inferiùs plura docebimus occultiſſima; unde in hoc ſequenti capite totum tuum impendas ſtudium, & ſatis doctus eris, quamvis ſimiliter de hac unitate materiæ in ipſo tractetur. Nam ſtudiô duplicatum hoc feci cap. ne impoſterum chemicolæ ampliùs dicere audeant, quòd plures ſint materiæ, & per plures vias Romam eatur. Quibus reſpondeo, quòd non autem ex pluribus ſeminibus homines procreentur? ſileant ergo? confundantur, & erubeſcant? &c.

## Caput Octavum.

### *Item de unitate materiæ contra Pſeudo-Chymiſtarum opinionem contraria aſſerentium, ut denique taceant, & erubeſcant. Ac de rebus aliis in arte occultiſſimis, & cæt.*

ULtra quæ ſuprà diximus de hac materiæ unitate, ad majorem Chymiſtarum capacitatem, alias ſophorum authoritates adhuc addere decrevi. Inquit enim *Lullius in Theoria ſui Teſtamenti cap.* 89. erga finem Capituli: Benedictus Deus, qui de hac re tam vili, pretioſam ita creavit materiam, quæ teneat proprietatem, & virtutem talem, quam

in nulla alia re ſub cælo invenire licet. & cæt. De qua re vid. *Vol.* 4. *Theatr. Canones, ſeu* 10. *Regulas Philoſophic. Regul.* 1. *&* 2. *pag.* 415.

Addit *Zaccarius Tom.* 1. *dicti Theatr. Chymic. pag.* 725. ex ipſo Lullio: Magiſterium noſtrum unicâ re duntaxat, unico regimine, unicóque medio perficitur, ut idem aſſerunt omnes, quotquot hactenùs ſcripſerunt de hac arte Philoſophi, licet in varia diſtrahi videantur. Legitur quoque in *Harmonia Chemica Tom.* 4. *Theatr. præcitat. pag.* 719. Lapis noſter habet nomina innumera; nam Tartarus niger, vel ſubinde cùm in opere materia nigreſcat. ab una quoque re nigra nomen ſumit, & ita dicitur Mars, Plumbum, & cæt. ſeu ſpuma Ferrea, Antimonium, æs combuſtum, & cæt. Inde cum lucida & alba fiat, marmor coruſcans, arſenicum, calx viva, alumen, ceruſſa, & cæt. nuncupatur. Et cùm rubeſcat, minium, ſanguis humanus combuſtus, cinnabaris, vitriolum rubificatum, & cæt. nominatur, & tamen eſt ſemper unica res ex una re proveniens, ut Senior teſtatur. & cæt.

Dicitur ex *Gebro in Vol.* 1. *Theatr. pag.* 763. poſt primam materiæ præparationem, deinde non indigemus niſi unico vaſe, unica fornace; unico igne, unicóque continuato regimine, & cæt. cùm unica quoque ſit res, & cæt.

Quare ut ſuprà dictum eſt, in prima primaria diviſione, atque præparatione pluribus vaſis terreis, ferreis, vitreísque diverſis, ſicut & ignibus variis ad calcinandum, diſtillandum, & cæt. neceſſariò utimur; ut ſuprà ex Theobaldo, Iſaacco, & Philaletha probavimus.

Inquit Epiſtenus: quamvis unica ſit materia in hac arte, tamen ante decoctionem, in opere præparationis valdè diuturno tempore indigemus ob multas ſolutiones & coagulationes, atque depurationes neceſſariò peragendas, quæ tamen omnia in unico vaſe fiunt. Et ita Roſarius confirmat. De qua temporis prolixitate in præparatione materiæ ſufferenda, quæ per biennium, & quandóque triennium extenditur, vid. *Proceſſum Paracelſicum Vol.* 4. *Theatr. pag.* 359. Chemicolæ autem qui de hac re nihil intelligunt, & neſciunt quid dicant, neque ſciunt quid faciant, quòd hoc opus in paucis menſibus perfici poſſit, exi-

ſti-

stimant. Et ego dico, nec per quinquennium, quia post diuturnam tædiosissimam præparationem, adhuc per biennium ultima decoctio perdurat. Ut inferiùs suô locô lucidè probavimus, & tunc cabalas Philosophorum concipient, & tacebunt.

Item, Basilius Valentinus, quamvis in suo Curru Triumphali multa de vitriolo, & antimonio ad excæcandum ignorantes scripserit, qui ad primam remanent pupinam, & prædicta sui lapidis subjecta esse putant, non considerantes, quòd si verum esset, non tam publicè Basilius hanc omnibus exposuisset materiam, ab omnibus Philosophis me prudentioribus tam religiosè, ac zelotypicè occultatam? Nam ipse Basilius si cum antimonio aliquod perfecerit particulare, primò fuit, ùt dictum est, quia antimonium ut plurimum auri particulas secum retinet, atque continet, & quod habet, dat. Secundò, quia Basilius ipse habuit, sicut alii omnes habuerunt Philosophi, pro agente principali unicum universale menstruum sapientum, cum quo tantùm multa particularia fieri possunt, ùt Senior, Rogerius Bacco, Parisinus, &c. declarant: sine quo verò nihil, ùt ipsemet Basilius in fine fatetur; cùm ipsemet affirmet, quòd unica tantùm sit vera radix, ubique repertibilis, omnibus nota, & quòd ipsa res universalis unica, quam omnes Philosophi habuerunt, fuerit sola, & unica ejus universalis metallorum, particulariúmque scaturigo, sicuti agens principale in operibus Philosophicis inquirendum, & quòd nemo neque particularia, neque lapidem Philosophicum conficere possit, nisi hanc unicam rem universalem benè intelliget, agnoscat, atque possideat, &c. & hæc sunt verba Basilij. De qua Basiliana confessione vide *Cheiragogiam Helianam Vol. 4. Theatr. Chemic. prædicti pag.* 265. *& ultrà*, ubi post varia, more Philosophico, æquivoca, atque Ænigmata, variásque cabalas, modò tibi notas, si ipsum benè intelligas, prædictam veritatem ex ore suo prolatam, comperies. Hinc idem *Basilius in* 12. *sua Clavi in suis Rythmis de vera Lapidis materia*, inquit: Unicum est subjectum, quod habet animam, spiritum, & corpus, & cæt. & inde subjungit: Procedit ex uno, & est res una, volatile, scilicet, & fixum simul colligata, & cæt.

Item

Item *idem Basilius in suo Tractatu de Magno Antiquorum Sapientum Lapid ibidem ante 12. prædictas suas Claves*, addit: Nec verò, cùm audias uni versale, necesse est semen hoc in elementis remotissimis quærere: sed solummodò mercurium, sal, & sulphur Philosophorum ex remoto subjecto extrahere, quæ eousque rectifices: quousque ex anima spiritu, & corpore inseparabilis quædam conjunctio contingat, quæ ab invicem separari non sinat, nec disligari possit, tunc habebis materiam proximam, & universalem; Atque scias (nota) hoc nîl aliud esse, quàm liquorosam materiam cælestem, ac aquam siccam (nempe sal ejus) substantiæ terrestri in suo ventre latenti addictam, quæ tamen omnia sunt una res ex tribus, duabus, unáque orta, & progenita. Tunc conjunge sponsum cum sponsa, scilicet spiritum cum corpore inter se inseparabiliter, quòd si hoc attingere valeas, ità victor eris, & cæt. & hucusque Basilius. Et vide *ibidem* 5. & 6. *ejusdem* Basilij *Clavem*.

Unde clarè vides, quòd omnes generaliter congruentes, quamvis sub innumeris nominibus hanc unicam rem occultaverint sapientes nîl aliud in fine concludant, quàm quòd unica sit res, & sit substantia quædam cælestis, quamvis metaphoricè, causâ nobis notâ, animalis & vegetabilis dicatur, atque aliis cum innumeris vocabulis nuncupetur; ex qua unicè spiritus, & corpus, volatile, & fixum, seu agens, & patiens extrahantur, ac extremè purificati, simul inde iterum reconjungantur, & cæt. Et quòd tantummodò nomina ad libitum varientur. Ac neque sit, ùt simplices putant, res positivè vegetabilis, vel animalis, quamvis talis appareat, sed cælestis. Sicuti verb. grat. Rorem quoque communem, seu solis florem, stellarum sperma, seu roralam, vocatam, in pratis collectam, vegetabilem esse testari possumus, cùm ex herbis mediatè procedat, & ex herbis colligamus: ùt quoque Manna super arbores colligitur; & tamen omnia hæc ex cælo verè proveniunt: in quibus rebus innumeri decepti frustrà diu laborârunt, & hoc, quia legunt, quòd materia ex cælo proveniat, & ex vegetabilibus procedat. Materia verò nostra, ex animalibus, & vegetabilibus procedit, sicuti lux ex candela, quæ tamen non ex ipsa candela con-

stat,

ſtat, neque eſt ipſa candela, neque immediatè ex cera, vel pinguedine provenit, ſed tantummodò mediatè, cùm totaliter ſit ſubſtantia à candelis diverſa. Et ita puta, quòd ſit materia noſtra, nec aliter, & cæt.

De qua unica re prædicta, ita in *Tractat. Conſilij Conjugij de Maſſa Solis, & Lunæ erga finem Primæ Partis, ex Seniore*, concluditur: Et ſi quis aliam materiam, quàm unicam prædictam invenire ſtuderet, operationes ejus omnes vanæ eſſent, nec aliam unquam Philoſophi invenire potuerunt materiam, & cæt.

Super quam unicam rem addit *Riplæus in Lib. de Mercurio*: Atque hoc eſt corpus. & aurum noſtrum, anima, & ſpiritus noſter, quandò in unum ſimul conjunguntur, & iterum fit ex eis res una, quæ cum partibus ſuis etiam oritur ex re una, tunc erit vera medicina una, præter quam rem unam non eſt aliud, nec erit unquam. De qua pro rei confirmatione vide *Laurent. Venturam cap. 6. & cap. 19.* Atque *Rogerium Bacconem in ſuo Speculo cap. 1.* Unde legitur *in Arcano Philoſophorum Tom. 4. Theatri pag. 568.* Sic ergo ſulphur rubeum Philoſophorum (nota bene) conſiſtit in auro, & ſulphur album in argento Philoſophorum, non autẽ vulgi, & tamen utrumque ſulphur in auro ſophico conſiſtit: Hoc autem aliæ res non habent, & ideo dare non poſſunt. Etenim cum meliore pejus perficitur. Non autem ergò cum pejore, ùt chemicolæ faciunt cum antimonio, regulo, nitro, vitriolo communi, & cæt.

Jam ergo ſuperiùs audiviſti, quòd unicum ſit aurum & argentum noſtrum, hoc eſt, duplex ſolare, & lunare corpus Androgynum noſtrum ex una re extractum, quod in ſe ambo ſulphura tingentia album, & rubrum continet, quæ ſunt ſol, & luna, ſive aurum, & argentum ſapientum. Itáque benè dixit præcitatus Philoſophus, quòd ſulphura noſtra in auro, & argento ſophorum, non autem vulgi exiſtant, imò in in ſolo auro, quia ſic corpus, ſeu ſal illud vocatur. Sicuti Richardus Anglicus in *ſuo Correctorio cap. 16.* ſimilia protulit. Et ità intellexit Joann. Augurellus Poëta in ſua Chryſopæja, cùm dicat: In auro ſemina ſunt auri, & cæt. (ſcilicet in auro noſtro, non vulgi) ubi ſimplices decipiuntur.

De qua unica re prædicta, quæ metaphoricè ab Hermeticis materia quoque prima, & universalis vocatur, quamvis proprio modo loquendo sit materia secunda, ùt Sendivogius, & Philaletha, secundam esse dixerunt, ità *M. Georg. Phædro in sua Jatrochemia Tractat. de hoc Sale Physico, pag. 18.* alloquitur, & explicat: spiritus iste, inquit, universalis animâ, & vitâ plenus, & in Terra congelatus principalitèr habitans antequam generare quidquam possit, necessariò in corpore aliquo habitare, & commorari debet, ut ex seminibus patet, & cæt. & ulteriùs *ibidem pag. 76.* subjungit: Materia enim prima in se est invisibilis, & tamen in massa quadam corporali ipsi congenitâ portatur, & continetur quia sine excremento nîl corporificatur, & cæt.

Hoc est, cùm in centro chaoticæ massæ nostræ congelata, ac in formam salis corporificata inveniatur, necessariò excrementis involuta esse debet, ut ità materiam primam ibi tenacitèr ligatam, massa illa ipsam retinere possit. Unde cùm hoc nîl aliud sit, quàm aér congelatus, ùt ait Sendivogius, & cùm sal naturæ primum rerum omnium crescentium constitutivum, iterum ab artifice resolvatur, tunc est materia prima sapientum, hac tamen cum differentia, quòd antea in aëre patriâ suâ fuit invisibilis, & inde arte nostrâ visibilis, & palpabilis, & id quod erat occultum, per artificem fit manifestum. Itáque Phædro significare voluit, quòd spiritus universalis, seu materia prima in omnibus seminibus excrementis involutus, & ligatus resideat, etenim extra seminum corpora generari non posset, quia statim evolaret in auras & ad suum centrum rediret, ut experientiam ex rore vulgari oculariter vidimus, cùm illum in ovo columbæ imponamus inclusum, & ad solem positum, unâ cum ovo avolat, quia non est satis restrictũ, ac tenaciter ligatum, utì spiritum universalem in seminibus, & in chaote nostro inclusum, & vi naturæ congelatum reperimus. Ideóque hujus aëris congelati, seu seminis aurifici in formam salis coagulati, ac per illud chaos dispersi vi ignis particulæ ejus, seu atomi minutissimi concentrantur, & simul conglutinantur, & in centro variis involuti excrementis in massa fixa salina reperiuntur, aliàs certè in prima sua natura spirituali hæc ma-

teria

ria prima irrepertibilis esset: Et ità materia prima sapientum sanè consideratur, & definitur, quamvis ità coagulata sit tangibilis. Iterum ergo aliquid aliud de hac materiæ nostræ unitate dicamus, quam ex Pythagoræ quoque verbis comprobatam ità esse concipimus, ùt *Vol. 3. Theat. pag. 156. Tractat. de Lapide Philos.* dicentis; Omnibus mundi nominibus hæc unica res nuncupatur, cujus tamen nomen proprium est tantùm unum. Cùm ergo satis probaverimus, quòd absolutè procul omni dubio unica sit hæc materia, nemo, cùm non sit stolidus, diversimodè concludere poterit, nisi quòd nomina omnia quæcunque ipsi unico subjecto à Philosophis imposita, sint fictitia, illusoria, & synonima, quæ hoc unum semper significent: ut ità Philippus Ulstadius, Guilielmus Menens, & cæt. testantur. Unde semper, & ubique omnia, quæ in pluralitate Philosophi loquuntur, una tantùm rota restringuntur, cùm non nisi semper unum sint in genere, tam de materia, quàm de opere, seu regimine tractantes, ùt ità docent *Riplæus in Epist. ad Regem Anglorum, Ros Aurificus cap. 3. & cæt.* Hinc cùm dicant: Recipe corpora limata, seu quòd salia sint hujus operis principia, vel calcina corpora metallorum, & similia, &c. semper de hoc unico sale sapientiæ sapientum, sapientes intellexerunt. Hinc *Arnoldus in suo Thesauro Thesaurorum* ait, *cap. 17.* Veritatem Philosophi dixêre, quamvis stultis impossibile videatur, scilicet, quòd unus sit lapis, unica materia, unica dispositio, unum opus, unum regimen, unus ignis semper æqualis, unúmque vas, in quo tam ad album, quàm ad rubrum, omnes distillationes, calcinationes, sublimationes, imbibitiones, & cæt. fieri debeant ad opus perficiendum, & cæt.

De qua rerum omnium unitate in unico vase peragendarum jam suprà declaravimus, utì quoque explicant *Artephius in suo Libello secreto, Frat. Helias similitèr ibi annex. Henricus de Batsdorf*, & cæt. sive *Arnold. in suo specul. in 7. Dispos. & 9.* atque *Lucidius explicat.* Vide *Magistr. Valentin. Vol. 4. Theatr. pag. 954. &c.* De qua subinde unica materia prædicta, addit *Marc. Eugen. Bonaccina Mediolanens. in suo compendiolo de auro potabili, in Præfatione ad Lectorem*: Unica sola res datur sub cælo idonea

nea ad Medicinam universalem, tam pro Medica, quàm pro Metall
ca præparandam. Et ità Dominus de Huysement; Joann. d' espagne
Wenceslaus Lavinius Moravus; Monsieur le Febure, &c. conveniun

Inquit *Dyonisius Zaccarins in Part. 1. sui Opusculi*: Concludendu
est igitur cum omnibus Philosophis, non nisi unam unicam solam es
in mundo materiam, ex qua Divinum Opus nostrum adimpletur.

Addit Avicena; Natura nobis unam solam præparavit materiam
quam ars nostra generare minimè potest, ad opus nostrum conficien
dum. Et ità confirmat Valerandus Sylvensis.

Hinc *Laurent. Ventur. cap.* 7. concludit: Quod qüicunque al
um lapidem, vel aliam materiam, quàm unicam nostram quæsieri
omnis ejus operatio vana erit. Et sedulò de hac materiæ unitate *Pr*
*tios. Margarit. Novell. Petr. Boni Lombardi cap.* 5. perlegas. De qua uni
ca materia inquit *Riplæus in Lib. de Mercurio* ultrà medium: In primi
per P. significatur Primum Operis nostri subjectum, quod est dulce (8
ecce materia remota verè dulcis, sicut mel, vel saccarum) Et inde ad
dit: Et amara nostra Oliva ex ipso extracta, & cæt. (Hoc est Sal no
strum ex ipso subjecto erutum, verè amarum ùt Oliva, seu Alöe, ùt su
prà ex Lullio, & Sendivogio similia contestantibus, probavimus.)

Ac de prædicta veritate abundantissimè comprobata etiam vide
re poteris *Divum Thomam Aquinatem*, *Ostanem*, *Veradianum*, *Henricum*
*Kunrath Lypsiensem*, *Fratres Roseæ Crucis*, *Thom.* & *Samuelem Fratres Nor*
*son*, *Azinabam Artephij Magistrum*, *Democbritum*, *Alanum*, *Philipp. de Re*
*velasco*, *Arcbelaum*, *Heliodorum*, *Turbam integram Philosophorum* ubique
cæterósque veros *Adeptos*, quibus & aliis eandem subjecti nostri unita
tem testantibus, multi accedunt Anonymi, qui omnes generalitè
confirmant unicum tantùm esse sub sole subjectum ad Lapidem Philo
sophicum conficiendum idoneum, quamvis ubique omnibus cum
metallorum nominibus, imò omnibus mundi vocabulis, appellatum
Non autem *Becherium*, *Helmontium*, *Junckerum*, & cæt. ad hanc doctri
nam inquirendam perlegas, qui de vera hac Hermetica scientia nîl pe
nitùs sci verunt. Fuerunt benè quidem homines in aliis scientiis ins

gne

gnes, ſed de hac re nihil noverunt, quamvis aliquid de hujusmodi re ſibi ignota ſcribere tentârint. Sicuti & multos alios ſimiles, imò & pejores, de hac ſcientia ipſis occulta tractantes, inveni, quos perlegere caveas, ut inter alios *Paulum Ech*, *Chriſtophorum Keil*, *Authorem Palladis Chymiæ Arcan.* *Pageſium*, cæterósque Impoſtores relinquas, qui magnam verè inexpertis causârunt confuſionem, atque ſimiles Theatro quoque Chemico inveniuntur inſerti, quos collectores inſcij, ac inexperti, innocentèr miſcuerunt ubique, & cum aliis veridicis, genuinísque inſeruerunt, quod maximè eſt verè dolendum.

Quòd unicum ergò ſal noſtrum occultiſſimum, ex unico chaote noſtro ſapientèr extractum ſit unicè ſal ſapientiæ ſapientum, unicúmque ſophorum argentum vivum, ità Philaletha in Fonte Chemico circa medium, teſtatur, inquiens: Scias, quòd unicum ſit in orbe ſubjectum, in quò argentum unicum noſtrum tantummodò reperiendum eſt, quod ſimile eſt auri eſſentiæ, diſſimile ſubſtantiæ, & cæt. Et vid. *ipſum Philalethem in ſuo quoque de metal. Metamorphos. Tractat. cap. 7.* & *cum Paracelſo in ſuis Conger. Chym. cap. 11*, ſapienter combina.

Qui mercurius, ſeu argentum vivum, à Philoſophis ſæpè ſæpiùs argentum vivum commune nuncupatur, ùt inter alios Geber ferè ubique ità illud appellavit, ſive arſenicum, aurúmque, & cæt. ut alij quoque, hoc ſal mercuriale vocârunt. Qua de cauſa chemicolæ, quid de hac ſcientia credendum, & ubi incipiendum, adhuc neſciunt. Legitur autem in *Inſtructione de Arbore Solari Vol. 6. Theatri, pag. 178. cap. 5.* quando de mercurio communi nobis eſt ſermo, tunc noſtrum argentum vivum nobis commune, quod omnibus rebus vitam dat, putamus. Et Lullius ſubjungit: Cùm dicamus: recipe argentum vivum nobis commune, intellige noſtrum nobis magìs commune, quàm commune: Et quando de mercurio vulgi tractamus, de illo, qui apud aromatarios, Pharmacopeósque proſtat, intelligas.

Et ſic Philoſophi ſimplices deludunt, niſi omnia funditùs ex omnibus authoribus ſedulò perlegant, ſtudeant, intelligant, & memoriæ benè commendent, cùm ubique niſi Cabalæ inveniantur, quam-

vis verè, qnæ in uno capite ænigmaticè ſapientes ſcripſerunt, in alio nimis apertè locuti ſunt, & quæ in uno libro occultârunt, in alio luci diùs explicârunt: Itáque ùt dictum eſt, Liber Librum aperit, & cæt.

Argentum enim vivum ſapientum ſapientibus tantumodò commune, eſt ſal illud centrale metallorum, quod non reperitur, nec ſub terra, neque ſuper terram, ſed eſt filius noſter, itáque nobis tantùm commune. Non enim ſe nudum oſtendit, natura illud mirabilitèr in centro chaotis noſtri ipſum involvit, & occultavit, & eſt ſal animatum duplicis naturæ, exteriùs album, interiùs verò rubrum. Itáque ſcripſit *Laurent. Ventur. cap. 11.* Hoc ſal dicitur etiam plumbum, quia ſicut plumbum intrinſecùs minium continet rubrum occultum, ità ſal noſtrum in manifeſto eſt album, & eſt argentum noſtrum, ac in occulto rubrum, & eſt aurum noſtrum, & cæt. & idem Laur. ibidem ulteriùs addit: Id, quod eſt in occulto, eſt de natura ſolis, & id, quod eſt in manifeſto, eſt de natura lunæ, & ſpiritus eſt mercurius. ( Quamvis Philoſophi tam ſpiritum, quàm corpus, unum cum alio confundentes, mercurium, & argentum vivum ambo nuncupaverint, ſed tamen per circumſtantias adjacentes eorum intentio facilè intelligitur, ùt plurimùm verò pro argento vivo corpus ſumitur, & pro mercurio ſpiritus, quamvis mercurius & argentum vivum ſint unum & idem ) & inde ſequitur ibidem: Et ità juxta ſophorum dicta, ſunt tria, ſol, luna, & mercurius. Quod eſt idem dicere: ſpiritus, anima, & corpus; ſeu ſal, ſulphur, & mercurius. Et hæc tria, addit Laur. in una re exiſtunt. Cum quibus natura ipſa aurum, argentũ, & cæt. componit, ùt Riplæus in accurationibus, & practicis Raymundinis ſimilia, ùt ſuprà confirmat.

Unde cum Sendivogio concludam, qui *in ſuo Novo Lumine Tractat: de tribus Principiis omnium rerum*, ait: ſcito pro certo, quòd hæc ſcientia non in fortuna, neque in caſuali inventione, ſeu accidentalitèr in tot rebus, ſomniatísque ſubjectis à Chemicolis ſumptis, variis cum probis, manipulationibúsque elaboratis, artificiosè illa tractando, invenitur; ſed in reali ſcientia locata eſt, ubi ſi unica res tantùm in operando ex prædictis deficiat, nîl unquam artifex perficere poteſt.

Et

Et non est, ( Sendivogius ibi subjungit ) ( Not. Ben. ) nisi hæc unica materia in mundo, per quam, & ex qua unicè Lapis Philosophorum præparatur,& cæt. Quid ergo nunc respondebunt Chemicolæ plures esse materias temerè asserentes? loquantur ergo,quare obmutuêre?

Sed quare sub nominibus,& cum vocabulis metallorum omnium, mineraliúmque, & cæt. hanc unicam materiam Philosophi occultaverint, atque nuncupaverint, vide *Vol. 3. Theatr. Lib. de Alchem.* seu *de Magni Lapidis compositione Lib. 1. cap. 39. pag. 37.* & tunc videbis, &c. Imò omnibus cum nominibus mundi ipsam nominârunt sapientes, de quibus nominibus infinitis, vide *Pretios. Margarit. Novell. Petri Boni Ferrariens. cap. 9.*

Item *Sendivog. loc. suprà citat. Tractat. 3.* subjungit: Ne quæras ergo hanc materiam in metallis vulgi, in quibus certè non est. Utì fal. sè pseudo- Chymici supponunt in regulo, antimonio, auro, & cæt. illam quærentes, invenire, ùt idem Sendivog. in antecedenti dialogo, ipsos deridet. Hinc concludunt Ros Aurificus, & cæt. contra hos male suasos in metallis stolidè laborantes: Citiùs, dicentes, solem cum luna commiscebis in cælis, quàm aurum, & argentum in terris, absque unico nostro vivo menstruo Philosophico. Etenim sol, & luna nostra non sunt vulgaria metalla, ùt stolidi putant.

Hinc *Paracelsus in suis Congeriis Chymiæ cap. 9.* ait : Luna nostra est unita sulphuri rubro fixo interno, itáque exteriùs est alba, interiùs rubra, ac sol, & luna sophorum, seu corpus solare, & lunare sapientum vocatur. Ac idem *Paracelsus ibidem cap. 6. circa medium capit.* subjungit: Non aliter, quàm duos esse scimus lapides, album scilicet, & rubrum, & sunt sol & luna, nostra videlicet, simul copulata, ac propriô matrimoniô conjuncta. Quòd etiam Hermes hisce secum convenit verbis, cùm dicat: sol, & luna sunt radices hujus artis. Nostri verò, non autem vulgi, ùt modò non ignoras, ac inferiùs lucidissimè demonstrabimus. Et in Tractatulo Guilielmi Trognani, dicitur : quòd talis Luna Philosophica ad auri naturam potentèr augeri possit, propter intrinsecum, & occultum suum sulphur rubrum aureum, quod nîl aliud

liud eſt, quàm merus, & purus ſol, ex qua luna ( ſcilicet ſale noſtro mediante menſtruo univerſali, nempe ſpiritu) ſulphur hoc extraxerunt Philoſophi, quod fixum leonis ſanguinem vocârunt, & aurum eſſe dixerunt, ac ſimul inde reconjunxerunt, & cæt. Et ecce, quòd omnes ubique unanimitèr in unum conveniant; quòd non eſſet poſſibile, ſi alia daretur in hac arte materia, &c. De qua mirabili ſolis, & lunæ noſtræ, cæli, & terræ, ſcilicet corporis, ſpiritúsque Philoſophica conjunctione, vide *Laurent. Ventur. cap.* 28. ac ſedulô ſpiritu ipſum ibi perlegas, & hanc conjunctionem in Opere noſtro maximè neceſſariam facilè percipies.

## Caput Nonum.

### *Quomodo Sapientum Ænigmata, ſint explicanda, ac intelligenda.*

VUlgares Chemiſtæ Sapientum Ænigmata non intelligentes, & ad litteram ſecundùm ſonum verborum ſophorum Cabalas interpretantes in omnibus, & per omnia ſunt decepti, credentes, cùm de auro, argento, argentóque vulgi ipſi loquantur, ut inter cæteros his vocabulis, ùt plurimùm Geber utitur, quòd ipſi de auro, argento, mercurióque vulgi intelligant, & errant, quia nullum alium ſolem & lunam, atque mercurium, quàm vulgi cognoſcunt, atque commu-nem concipiunt, Philoſophi autem alia longè in natura meliora intelligunt. Hæc autem ars, ùt ait Artephius, eſt Cabaliſtica, arcanis plena, & fatui putant Philoſophos arcana arcanorum planè docere, & decipiuntur. Ponam igitur exemplum: Dicit Philaletha in ſuo introitu aperto, & ferè ſimilia Riplæus quoque in ſua Prima Porta, confirmat; Occide vivum, & vivifica mortuum, ſi aurum tuum noſtrô menſtruô miſcueris, non tardè vivum fiet, in qua vivificatione ( Corporis Phyſici videlicet, ſive Auri noſtri ) vivum tuum menſtruum ( ſcilicet ſpiritus ) morietur, & aurum tuum virtute aquæ noſtræ ſui generis radicalitèr diſſolvetur, redibítque in ſuam primam ſpermaticã materiam, ac vitam ſuſcipiet, & multiplicabitur, ùt granum tritici in terra bona, &cæt. & ità Philaletha.

Un-

Unde ut bene Philalethæ intentionem intelligas, audias, quid dicat Arnoldus in fine sui Rosarii Philosophorum: aurum, inquit, & argentum nostrum non sunt vulgaria, nam Philosophi omnes dicunt aquam eorum congelatam (scilicet sal prædictum) aurum esse, qui ergo non gustaverit hujus salis saporem, nunquam veniet ad optatum finem. Ipsum ergo sal in aqua sua combure, & in igne lava (quia aqua nostra est ignis noster, ut suô locô docebimus) coque & recoque, sæpe sæpius suo spiritu humecta, solvendo, & congelando, & iterum imbibe, ac evaporari sinas coagulando (N.B.) & ita interfice vivum, & resuscita mortuum, & cæt.

Et ecce Philalethæ intentionem declaratam, scilicet; fige spiritum volatilem in corpus fixum imbibendo, & leniter evaporando congela, & hoc artificiũ multis repetendo vicibus, denique corpus fixum, nempe sal, quod est aurum nostrum, per spiritum fit volatile, & ita revivificatur; & spiritus volatilis eôdem tempore in ipso corpore figitur. Et hâc methodo corpus mortuum fit vivum, & spiritus vivus in ipso moritur, & simul conjunguntur, & ita ex solvente, & soluto fit una aqua lactea, &c.

Hinc addit *Richardus Anglicus cap. 18.* seu ultimo sui correctorii. Est autem in via universali possibile in naturis metallorum plantare ramos: primum verò incipere (NB.) est solvere Lapidem in suam primam materiam, & est conjunctio corporis & spiritûs, ut ex eis fiat una aqua mercurialis lactea, &c. Scilcet ut Avicenna subjungit: principium operis est solvere Lapidem tuum (nempe sal) in suum mercurium. Hoc est, uti modò edoctus benè intelliges: principium est solvere terram nostram, aurum nempe nostrum, corpus solare & lunare videlicet in suum spiritũ, qui spiritus est mercurius quoque noster, & aqua sui generis, ut modò non ignorabis: Itaque dicunt sapientes, solvite aurũ aquâ sui generis. Quæ autẽ aqua, seu spiritus debet esse acidus arte nostrâ alteratus, aliàs sal illud, cum sit Alckalicum. nunquam in alio secundo spiritu dulci solveretur, ubi Flammellus (nisi ab Abrahamo Hebræo fuisset edoctus) in errore suo tam diu versabatur. De quo spiritu acidulo suô locô funditus tractabimus.

Item Riplæus in ſua prima porta ita prædicta confirmat: juva di ſolutionem corporis ſolaris cum humiditate lunæ, & congelationem cum ſole promove, & cæt. Luna noſtra eſt mulier, & eſt aqua ſimiliter noſtra prædicta, ſeu ſpiritus, ut ſuprà audiviſti (quamvis etiam albedo ſalis externa quandoque luna vocetur) juva ergo diſſolutionem ſalis cum humiditate ſpiritus, ſeu aquæ prædictæ, & congelationem ſpiritùs cum ſuo ſale, quod etiam ſol noſter vocatur, & eſt vir: & cum ipſo promove; quia mulier virum ſolvit, & vir mulierem figit, & ſecum congulat, & retinet. Unde nîl aliud in hoc paſſu Riplæus ſignificare voluit, niſi ſolvere corpus cum ſuo ſpiritu, & ſpiritum eôdem tempore cum ipſo corpore figere & congelare. Quod corpus, dicitur quoque ſol lapis, terra, aurum & cæt. ut ſuprà ſatis probavimus, cùm memoriam habeas. Itaque occide vivum, & vivifica mortuum, nîl aliud ſignificat niſi corpus fixum volatilizare, & ſpiritum volatilem figere. Quapropter in hoc præparationis diuturno artificio, ut dictum eſt, corpus fixum per ſpiritum fit volatile & vivum, & è contra ſpiritus volatilis in ipſo corpore figitur, & ita moritur. Et unâ ſimul concreſcunt, & ita multiplicantur, & cæt. ut ſuprà dixit Philaletha. Et iſta ſunt ſophorum Ænigmata adhuc à nemine explicata, quæ absque perito magiſtro hæc probè intelligere eſt impoſſibile. Hinc D. Thomas Aquinas, ut ſuprà diximus, ait: Hæc ſacra ſcientia haberi nequit, niſi vel à magiſtro docente, vel à Deo inſpirante, ut verè modò ſanè concipere poteris. Etenim in prædicto Philalethæ paſſu, quis unquam crederet, quòd ipſe de auro vulgi non loquatur? verùm enim verò ego unicus poſt tot ſæcula, parcat mihi Deus, absque ulla invidia ad bonum proximi mei & amicorum, tam occulta ſophorum myſteria detexi, cabaláſque eorum heu! nimis apertè declaravi.

Nunc iterum ut Philalethæ intentionem meliùs percipias, obſerva ſubinde, quid ipſe dicat *in fine cap. 11. loc. citat.* qui etiam ulteriùs ultra medium *capitis* 13. de ſuo prædicto auro, ita ſe explicat, ubi inquit: ſcio multos eſſe, qui doctrinam hanc carpent, dicéntque fortè, quòd hoc ſit aurum vulgi minerale: nos autem aliud longè meliùs intelligimus,

mus, & cæt. Quod *Laurent. Ventur. cap. 25. & cap. 29.* lucidiùs declarat,& apertis verbis dicit, quòd hoc non intelligatur de auro minerali communi,sed de noſtro ſolari ac lunari corpore prædicto. De quo vid. etiam *Inſtruction. de arbore ſolari vol. 6. Theat. Chemic. prædicti, pag. 186. cap. 8.*

Unde bene dicit Hortulanus ſuper Epiſt. Hermetis, quòd ſolus ille,qui Lapidem Philoſophorum conficere ſciat, ſophorum verba intelligat. Hinc *Anonymus Gallus vol. 3. Theatr. pag. 776. ait.* Aurum enim noſtrum non eſt aurum vulgi, & Philoſophi multùm bene loquuntur, ſed malè à Chymiaſtris intelliguntur. Sulphur enim noſtrum eſt aurum noſtrũ,& ita ſapientes ſcripſerunt, & hoc ſemper intellexerunt,& cæt. nempe ſal,quod duo ſulphura album ſcil. & rubrum in ſe continet,&c.

Itaque addit *Geber, ut vol. 4. Theatr. pag. 346.* Eſt autem hoc ſulphur tinctura rubedinis, & dat pondus, & complementum; per Deum altiſſimum illud illuminat omne corpus, & tingit. Non eſt autem ſulphur in natura, ſed pars ejus corporis interna ( ſulphur nempe rubrum in corpore occultum, ſeu anima ejus, & tinctura, ut ſuprà dictum eſt ) vel Geber addit, illud, quod ex ipſo corpore per artificium noſtrum producitur, & cæt. quid ergo lucidiùs dici poteſt, hìc ex omnibus congruentibus comprobatum? Hoc autem Chymici moderni minimè intelligunt,quia nunquam ab aliis hactenus ſimilia audiverunt,neque audire poterunt, cùm alii hac ſacrâ ſcientiâ decorati ſint nimis invidi, & & ab aliis magiſtris ſub juramento ſilentii arcanum obtinuerint, itaque nullus ante me hoc facere auſus eſt. Ego verò cùm non ſim ligatus,arcanum ſapientibus detexi, & hoc quoque feci, quare niſi feciſſem inimici mei nunquam me tam fortunatum eſſe credidiſſent: quoniam inimici mei vivunt, & confirmati ſunt contra me, & multiplicati ſunt, qui oderunt me iniquè, *ut Pſal. 37. 20.* Et in innocentia mea tribulatus ſum, *ut Pſal. 25. 11.* Et quare, *ut Pſal. 6. 7.* inveteravi inter inimicos meos? quia ſalvum me fecit dextera tua Domine, *ut Pſal. 137.* Ac licèt pluries mortem meam tentaverint impii. Sub umbra alarum ſuarum protexit me Deus, à facie impiorum, qui me afflixerunt, *ut Pſal. 19. 6.* Itaque ad eorum confuſionem, hunc tractatum componere decrevi. Et

confundantur, ac erubeſcant, qui volunt mihi mala, *ut Pſal.* 69. 3. Atque etiam ut Domini Fulginatenſes videant, quem hominem perdiderint tam parum ab ipſis æſtimatum; exceptis Illuſtriſſimis, ac Veneratiſſimis duabus Nobiliſſimis Familiis Cantagalli, & Vitelleſchi, quibus immortales debeo obligationes, & cum *Ovid. Lib.* 1 *de Triſt.* ex corde

Dicam: *Hæc mihi ſemper erunt imis infixa medulis,*
*Perpetuúsque illis debitor æquus ero.*

Etenim: *Qui Benefactorum non vult memoreſſe ſuorum,*
*Non eſt laudari dignus, nec dignus amari.*

Ac, ut alii omnes ſubinde dicere queant:

*Neſcit homo verè, quod habet, niſi ceſſet habere.*

Unde *ut Pſal.* 17. 4. Laudans invocabo Dominum: & ab inimicis meis ſalvus ero, &c.

Hæc eſt ergo unica Ars Hermetica tam paucis in orbe nota, quæ meritò hominis reſurrectioni, ut ſuprà demonſtravimus, æquiparatur, quorum corpora poſt putrefactionem, fæcibus omnibus, inquinamentíſque conſumptis, glorificata reſurgent, ac ad naturam ferè ſpiritualem redacta, tunc cum ſpiritus mundus, & corpus glorificatum inſeparabiliter ſimul ſint reconjuncta, & in unum colligata, ſine ulteriori corruptione in ſæcula ſæculorum ita regenerata ſimul manebunt. Et ita ſimiliter æquali methodô in arte noſtra operatur, & Lapis ſapientum, ut notâſti, componitur.

Hinc Riplæus ex Guidone in quinta ſua porta, juxta etiam Philalethæ doctrinam, ait: quòd ita per putrefactionem corporale compoſitum moritur, & per regenerationem corpus inde ſimplex ſpirituale reſurgit. Et ita non immeritò hominis reſurrectioni hoc opus ſophi comparârunt, cùm non longè recedat *Apoſtol. ad Cor.* 15. dicens; ſeminatur corpus animale, & ſpirituale reſurget.

Unde ſi hanc veritatem ocularitèr videre cupias, in hac ſalis noſtri ſolaris & lunaris inquiſitione, primò totum tuum impendas ſtudium, deinde in ejus radicali aquâ ſui generis ſolutione, donec poſ-

pu tre-

putrefactionem, & extremam depurationem per ſpiritum mundiſſimum volatile fiat, ac ita ex mortuis gloriosè reſurgat. Stude ergo, ora, & labora; nam, ut ait *Job cap. 28.* hæc auri noſtri ſcientia trahitur de occultis, neque tincturæ mundiſſimæ absque eo componuntur. Ergo

*Inſta, ne ceſſes, aderunt poſt ſemina meſſes:*
*Dulcia non meruit, qui non guſtavit amara.*

Ut autem prædicta Philalethæ verba, quamvis à me ſatis explicata, & cum Arnoldi, cæterorúmque authoritatibus ſatis comprobata, meliùs intelligas, attende:

Legitur in Roſario ex compilatione Toletani: quòd de mortificatione vivi, & revivificatione mortui, ſic intelligatur (NB.) vivifica ergo mortuum, id eſt corpus Phyſicum fixum volatiliza; & occide vivum, nempe ſpiritum volatilem in ipſo corpore fige, & ſic habebis magiſterium, & cæt. & ita Toletanus.

Hinc Guido de montanor in ſcala Philoſophorum in principio ſui tractatûs in fine prælo quii, ſcripſit: toties ergo reiterandum eſt cælum ſuper terram (ſcilicet ſpiritum ſuper corpus) donec terra fiat cæleſtis, & ſpiritualis, & cælum fiat terreſtre & corporale, & intimè ſimul jungantur, & creſcant: etenim ſciendum eſt, quòd cùm corpus ſit craſſum & fixum, & ſpiritus ſubtilis & volatilis, univerſaliter permiſceri non poſſunt, niſi primò corpus intantùm ſubtilizetur à ſpiritu, ut ipſum corpus eidem ſpiritui in ſubtilitate æquipolleat, & tunc fit mixtio talis, quam ignis ſeparare nequit, ſi per mille annos in ipſum continuè ageret, & ita tam ſolvens, quàm ſolutum ſemper in igne permanenter perdurant: & cæt. & huc usque Guido prædictus. Et hoc eſt ſecretum artis; itaque Augurellus in ſua Chryſopæja ad Leon. X. ait: Habilem ſed reddere maſſam, hoc opus hic labor eſt, & cæt. quapropter antequam ſalis maſſam ſuô ſpiritu impaſtatam volatilem reddas, & ſpiritum in ipſa figas, non eſt leve, nec breve Philoſophorum opus.

Unde addit *Riplæus ergà finem cap. 1.* De Lapide minerali; toties ſpiritus aſcendat è terra in cælum, & iterùm de cælo deſcendat in terram, donec terra fiat cælum, & cælum fiat terra, & hæc eſt noſtra ſubli-

matio,ut hoc modô per reiteratas ſolutiones,& coagulationes,imbibitiones & evaporationes fiat una ſubſtantia lactea, non tam denſa ut eſt corpus, nec tam fluida ut eſt ſpiritus, ſed retinens diſpoſitionem media; ſcilicet more lactis coagulati: & ita procedendo, quod erat fixum fit volatile,& quod fuit volatile fit fixum,ut omnes Philoſophi nîl magis inculcant, ut ita ex duabus aquis unam faciamus aquam, nimirum aliquod ex ſolvente & ſoluto compoſitum permanens, ut Alphidius, & Maria Prophetiſſa nos docent. Quapropter addit Roſarius, aqua permanens eſſe non poteſt absque ſuo corpore ſecum ſoluto. Itaque dicit Clangor Buccinæ: tota hæc ars in hoc vertitur, ut jungamus humidum ſicco,humidum eſt ſpiritus, ſiccum verò corpus,ambo autem primò ab omni ſorde, ac phlegmate perfectè mundata. Hinc Aziracus & Micedius ajunt: miſcete igitur cinerem cum aqua ſua, ac ſimul conjungite maſculum cum fœmina & cæt. & ita Clang. Buccin. &c. Ex prædictis uniſonis ergo ſententiis ſatis elucet, quòd unica ſit materia,unicum opus,unica vera via linearis,unicúmque regimen,ut omnes ſcripſerunt Philoſophi, cùm omnes in hoc unum conveniant, ut benè notâſti, non autem tot artificia peregrina, tot metalla ac mineralia diverſa, tot carbones, & furnos, laboratoriáque magnifica à Chymiaſtris de jure capitis inventa, qui verè neſciunt, quid faciant: ut à Sendivogio in ſuo novo lumine tractat. de tribus principiis omnium rerum, ita Lucidiùs demonſtratur, dicente: concludendum eſt igitur non eſſe niſi unam naturam, tam in metallis, quàm in omnibus rebus, unam etiam univerſalem materiam ſecundum Hermetem, & omnes: multi tamen ſunt artifices, quorum quilibet ſuum ſequitur cerebrum, quærunt novam naturam,novámque materiam,propterea etiam inveniunt novum recénsque nihil, quia ad ſyllabam ſophorum ſcripta interpretantur. Sed hi omnes ſunt ex illis ſtolidis comitiis, de quibus in noſtro antecedenti dialogo Mercurii cum Alchymiſta ſuprà tractavimus, qui ſine concluſione domum redeunt non ſolum absque medio, verùm etiam & ſine principio finem quærunt, quia ex auditu, & chemicolarum receptis absque ullo fundamento hanc divinam artem aſſequi conantur;

&

& cæt, & hæc ſunt verba Sendivogii. Quid ergo reſpondebunt ſophiſtæ? de ipſorum ſomniatis metallis, mineralibúsque diverſis, ſalibus & mixturis, rebúsque cæteris, de quibus Philoſophi nec cogitarunt per jocum?

Unde iſti quoque ſunt de illis fumivendulis à Dyoniſio Zaccario deſcriptis, qui per tot annos in juventute ſua ipſum deceperunt. Iſti ſunt de illis vagabundis deluſoribus ab *Alberto Magno in vol. 1. Theatr. pag. 727. notatis.* Iſti ſunt de illis impoſtoribus *à Bernhardo Treviſano part. 2. allatis.* Iſti ſunt de illis phantaſticis à Philoſopho *Gallo declaratis vol. 3. Theatr. pag. 776.* qui ex ſtercoribus & urinis aurum facere præſumunt. Iſti ſunt illi vagantes nebulones ab authore roris aurifici *cap. 3.* deſcriptis, qui cum falſis tincturis ex antimonio, zingo, & cæt. mundum ubique decipiunt. Unde addit comes Bernhardus: fatui ex mineralibus aquas corroſivas efficiunt, in quas ſpecies metallorum imponunt, & calcinando corrodunt, & non ſolvunt ſolutione naturali, ac radicali, quæ requirit (nota) permanentiam amborum ſolventis, & ſoluti, & cæt. Et quare hoc? quia, ut addit Bernhardus: Nullus ſpiritus in corporibus inſpiſſari, & permanenter coagulari poteſt, niſi illemet, de ſua propria natura, qui ex eôdem extrahitur ſubjecto. Itaque Philoſophi jubent, quòd aquâ ſui generis aurum noſtrum ſolvamus: aqua ergo ex metallorum genere non datur: unde neceſſariò ſequitur, quòd corpus hoc aurum nuncupatum non ſit aurum vulgi, neque metallum minerale? *ut Laurent. Ventur. cap. 25. ſubjungit.*

Etenim Iſaacus *Hollandus in ſuo opere mineral. cap. 14.* item apertè ita declarat, dicens: Lapidem noſtrum ex metallis & duris corporibus extrahi non poſſe. In triumpho Hermetico legitur, quòd ex molli tantùm liquoroſâ ſubſtantiâ mercurius ſapientum extrahatur. Inquit Baſilius Valentinus in ſuo tractatu de magno Lapide ſapientum: ſcias hoc ſubjectum nîl aliud eſſe, quàm liquoroſam materiam cæleſtem, ſubſtantiæ terreſtri addictam. Ait *Sendivogius in novo lumine tract. 4.* quòd fruſtra in re dura mercurius ſophorum quæratur, cùm per ſe materia noſtra ubique ſit mollis. Dicit Paracelſus, quòd ex electro immaturo bi-

bituminoſo lapis noſter præparetur, quòd electrum immaturum in ſe ſperma omnium ſeptem planetarum continet. Quâ de causâ electrum maturum ſcilicet manufactum ex ſeptem componitur metallis, quod alias habet virtutes, de quo vid. *Laurent. Ventur. cap.* 9. *ſive arcæ arcani tractatum vol.* 6. *Theatr. pag.* 320. *ſcripſit Laurent. Ventur. cap.* 23. ex Joan. Schotto, quòd noſtrum ſubjectum ſit liquidius electro. Teſtantur Arnoldus in octava diſpoſitione ſui ſpeculi alchem: & Richardus Anglicus in ſuo correctorio *cap.* 11. quòd materia noſtra ſpermatica naturam ſulphuris, & mercurii in ſe continens ſuper terram, non autem in fodinis reperiatur ubique, cum qua natura ipſam ſub terra attrahendo, ac leniter decoquendo meralla generat purum ab impuro ſeparando, nempè uti nos, ipſam imitando, ſuper terram, ut audiviſti, conficimus, ſcilicet ex puriſſima media ſalis ejus ſubſtantia, ſuoque ſpiritu mercuriali purgatiſſimo conjuncta, natura ipſa, illa quoque componit.

Quod ſal metallorum, & Philoſophorum, eſt illa aqua ſicca manus non madefaciens, à ſapientibus decantata, ut lucidè probamus.

De quibus tot uniſonis doctrinis vid. etiam Epiſtolam occultæ Philoſophiæ cujusdam Patris ad Filium *vol.* 3. *Theatr. pag.* 852. Addit *Petr. Bon. Ferrarienſ. in ſua Margaritha Novella cap.* 14. quòd ſophorum materia cùm oriatur, ſit fluida. *Rogerius Bacco & tract. Joan. de Rupe-ſciſſa ſcripſerunt*, quòd ſit aqua viſcoſa. Lullius in ſuo teſtam. quòd ſit ſicuti Therebyntina, & pix mollis. Eugenius Philaletha Hermanus in ſuo Euphrate, ac Sendivogius in ſuo novo lumine, quòd ſit ſicuti ros. Addit Sendivogius Epiſtola 5. quòd ſit aër congelatus. Dicit Zenon, quòd ſit mollis, aërea, & ponderoſa, & cæt.

Ex allegatis ergo tot authoritatibus uniſonis, abſolutè concipimus, quòd materia hæc nullum ſit metallum, nec minerale quodcunque vulgo notũ, verùm enim verò, quædam ſubſtantia pinguis cæleſtis originis, bituminoſa, ſpermatica, verúmque immaturum Paracelſi cum electrum, ut ita ipſum ſapienter definit, ut ſuprà dictum eſt, Pater Athanaſ. Kircher. in ſuo opere Tripartito de arte magnetica, de miſtis corporibus tractando, *part.* 3. *cap.* 3. *pag.* 644. At ubi hoc electrum immaturum inveniatur, in ſequenti capite docebo. Ca-

# Caput Decimum.

## *De erroribus Sophistarum, & Particularistarum. Hoc Sal frustra in Metallis, Mineralibúsque inquirentium, & in qua re proximè inveniatur.*

AUdio Sophistas me arguentes, & ex communibus sententiis, absque ulla distinctione Paracelsum citantes, ipsum autem non intelligeutes, scilicet quòd ipse dicat: ex metallis, cum metallis, & per metalla, metalla fiunt. Et sicuti ex homine generatur homo, ex equo equus, & cæt. ita quoque consequenter, ac naturaliter ex auro fit aurũ?

Quibus respondeo, quòd hoc verissimum sit, & concedo, quòd juxta divinum ordinem, & naturæ cursum, ùt habemus *in Sac. Genes. cap. 1.* ùnaquæque res multiplicet se juxta genus suum. Et si Paracelsum ipsi benè intellexissent, & ulteriùs perlegissent, quamvis ita cabalisticè more Philosophorum antea verè dixerit, clarè vidissent, ipsum sacræ scripturæ minimè contrariũ esse, neque repugnare naturæ, neque operationibus ipsius naturæ ullatenus contrariare, ac minimè contradictorem esse, *cùm in cap.* 6. suarum Chymiæ congeriarum subjungat, quòd ignari in metallis, ac mineralibus omnibus hanc rem inquirentes, sint decepti, & de hac arte nihil intelligant, cùm longè eorum sententia à Philosophorum omnium opinione valdè distet, & cæt.

Unde sana mente opus est distinguere, & profundè, quomodò hoc fiat, examinare, ac quomodò prædicta antecedentia Paracelsi verba intelligi debeant, cum inde *cap. 7. loc. citat.* apparenter sibi contradicere videatur. Hinc ut penitus sint capaces, satisque persuasi, & quòd isti tales in sua falsa opinione persistentes sint decepti, ac insipientes apertè comprehendant, & fateantur, naturæ principia ignorantes, alias validiores inferiùs authoritates exponam, atque subjungam. Hoc interim dicam: quòd ex spermate, cum spermate, & per sperma tantùm spirituale canis, hominis, & cæt. canis, ac homo generentur, & multiplicentur, non autem ex corporibus equinis, caninis, & multò minùs ex equo, cane, hominéque mortuis, sive neque ex bracchio, pede, ossibúsque

búsque & cæt. eorum, quamvis animatis, producitur embrio; quapropter nutrimentum in animali per generationem canis, equi, vel hominis fieri non potest, nisi priùs in sanguinem convertatur, ac sanguis inde in sperma, & sperma denique in fætũ, & sic additum suo simili, nec aliô modô fieri potest. Et de hoc puncto vid. *tractat. Philosophi Galli Delphinatis vol. 3. Theatr. pag.* 777. ubi profundè explicatur.

Ita ergo non ex metallis mortuis, neque ex mineralibus auro contrariis, aliísque corporibus, & cæt. metalla generari possunt, cùm ex corporibus corpora non generentur, quòd neque natura hoc facit, nec facere potest. De qua indisputabili veritate vid. *Isaacc. Holland. in suo opere mineral. Lib.* 1. *cap.* 14. Sed in visceribus terræ metalla omnia cum hoc unico vivo spermate metallico, ex nutrimento universali naturæ per generationem metallicam in tale sperma conversô, natura ipsa metalla generat, atque producit. Et ita intelligit Paracelsus, scilicet cum spermate metallico, & per ipsum tantùm metalla crescant sub terra, & eodem spermate metallico naturali ab artifice confici possint super terram, non autem cum spermatibus diversis, atque contrariis à chemicolis investigatis. Et hæc unica Paracelsica fuit intentio, nec aliter. Et non jam quòd ex metallis mortuis, & per metalla mortua, atque cum metallis mortuis metalla fiant, neque fieri queant: etenim metalla mortua jam ad ultimum finem à natura perducta, absque primo spirituali metallico vapore inter se non multiplicantur, & consequenter sic est in brutis, hominibúsque, & cæt.

Quemadmodum ergo homo generat hominem, ac quælibet forma per suum semen suam producit formam, ita quoque consequenter aurum, argentum, & cæt. per suum generantur sperma, non autem ex alieno semine, neque per sua corpora multiplicantur. Cum ergo aurum conficere velimus, veras auri radices vivas spermaticásque primùm necessariò habere debemus, uti *in tractat. de ratione Lapidis progignendi vol.* 4. *Theatr. pag.* 396. testatur, & ubi quoque quid sit hoc vivum sperma metallicum, ibidem apertis verbis declaratur.

Hinc *Sendivogius in suo novo lumine Chemic. tractat.* 6, inquit: quam-

vis

vis enim corpora metallorum ex mercurio vivo omnia ſint procreata, de eôdem mercurio Philoſophico ſpirituali, vero unicóque auri ſperma te intelligere debes, non autem ut chemicolæ putant, quòd ex mercurio vulgi metallo quoque fluido, alia generentur metalla: quia mercurius vulgi eſt quoque corpus, & non ſpiritus, neque vapor metallicus, aut ſperma, quamvis ſit fluidum metallum non adhuc à natura perfectum: & ita ſtolidi corpus loco ſeminis ſumunt. Homo enim eſt corpus, ſicuti corpora ſunt aurum, regulus, antimonium, argentum vivum vulgi, & cæt. Qui igitur hominem generare vult, non corpus accipit, ſed ſperma. Ita ergo in metallorum generatione eſt procedendum, & hoc ſperma ex metallo vivo, non mortuo, ſicuti ex homine vivo, & non mortuo, accipiendum eſt. Non autem ut ſiniſtrè à vulgaribus Chymiſtis proceditur, qui corpora metallorum deſtruunt, & ex ipſis mercurium vivum auriſicum extrahere prætendunt, quando quamvis eſſet poſſibile, quod non eſt, nil aliud, quàm proprium darent ſemen: unde ex regulo, nil haberent aliud quàm ſemen martis, & ſic de cæteris. Et ultra neſcientes quòd ex corporibus corpora non generentur, & cæt. & hucúsque Sendivogius. Niſi quòd, ut ſupra diximus, ad textum clariorem reddendum aliqua addidi ſynonima ad majorem tyronum intelligentiam, ne ultra in metallis, decepti, tempus, ac expenſas amittant. De quibus prædictis naturalibus, evidentſſimísque rationibus vid. *etiam Epiſt. Friderici Gualdi in Critica mortis, pag. 113. &c.*

Unde non argentum vivum commune vulgi, quod eſt corpus ita à Natura imperfectum relictum, non aurum, antimonium, regulus, & cæt. ſumi debent: quæ ſunt corpora mortua jam ſpermate carentia, quæ verum hoc primum vivum ſemen, vaporémque ſpermaticum metallorum non ampliùs in ſe continent, niſi jam exſiccatum, ac extinctum, & impoſſibilis extractionis: ſed tantummodò unicum ſubjectum noſtrum electricum immaturum ſumendum eſt, in quò tantùm vapor ille metallicus, in ſale congelatus, materia nempe prima in aqua ſicca coagulata, ſal illud ſcilicet naturæ mirabile unicè in metallo vivo noſtro prædicto exiſtens, reperitur, quod ſolummodo ad aurum progig-



nen-

nendum idoneum esse omnes Philosophi testantur. Quod est aurum & argentum vivum nostrum & naturæ, quod etiam quamvis corpus ad spiritûs distinctionem vocetur, tamen non est corpus specificatum, at nil aliud est, quàm vapor metallorum congelatus & vivus, ac facilè in suam primam naturam resolvitur, & naturam spiritûs, mediante spiritu nostro vivo, reassumit, & cum eodem spiritu sui generis inseparabiliter conjungitur. Unde est corpus spermaticum vivum non mortuum, & si superiùs Philaletha illud mortuum vocaverit, fixum esse intellexit, ut jam in explicatione Toletani notâsti, & ideo cum facilè resolvatur, menstruum resolubile nuncupatur, quod cum suo menstruo resolutivo, spiritu nempe prædicto, sicut aqua aquæ mixta, in aquam permanentem, sive lac virgineum revertitur.

At dices: Philosophi tamen jubent, quòd aurum in hac arte in suam primam materiam resolvamus, cum quo deinde ita revivificato, alia metalla tingere, & perficere possimus, cum in illo statu jam redactum, non sit ampliùs corpus mortuum, sed in primum sperma deductum?

Prim: Ego autem respondeo, quòd sophi dixerint, ut aurum aquâ sui generis solvamus. Unde ubinam aqua auri generis invenitur.

Secund: quòd mortuos suscitare in sola Dei potentia reservetur. Unde clarè patet, quòd Philosophi de auro vivo nostro tantùm intellexerint, ut supra satis probavimus, quod aurum nostrũ reverâ aquam sui generis habet, quæ est spiritus noster mercurialis prædictus, qui ex eôdem, sicuti & sal, sive aurum nostrum, subjecto, procedit, & ita est vera & naturalis aqua sui generis.

Etenim sciendum est, quod aurum vulgi nullâ arte in verum vivum sperma spirituale ampliùs deduci possit: verum est, quòd nostrum unicum menstruũ benè acuatum illud radicaliter solvit, & in igne tam solvens, quàm solutũ ambo permanenter persistunt, quod aurum potabile simplex, bona vere medicina, tunc vocatur, quod ego jam feci, & multos, adhuc testes viventes, mirabiliter à Phtysi sanavi, tamen etiã in illo statu radicaliter solutum non est sperma vivum spirituale, sed tantum

tùm in oleum incombuſtibile, virtute aquæ noſtræ, redactum, nec ullam habet generandi, ſive alia metalla tingendi poteſtatem, quapropter non eſt verum primordiale vivum ſperma, ſed tantummodo aurum liquatum. Aurum enim genuinum potabile ſophorum eſt Lapis rubeus jam abſolutus in ſuomet ſpiritu ſubinde ſolutus, quòd mirabilia facit. Aquæ autem mortis chymiſtarum quæcunque, quamvis aurum ſolvant, non radicaliter ſolvunt, & in igne evaneſcunt, ac aurum in pulverem in fundo vitri ſicut erat in principio, & tunc, & ſemper tale remanet, & in æternũ manebit. Sed aqua vitæ noſtra tantùm hoc gaudet privilegio. Ex qua aurum potabile ita confectum eſt verè pretioſa medicina, ſed non optima, ut eſt illud ex lapide rubro ſubinde perfectũ &c.

Inquit ergo *Rogerius Bacco in ſuo ſpeculo Alchemiæ cap.* 3. aurum & argentum vulgi ſunt corpora à natura jam perfecta; & ſi eſſet poſſibile, quod non eſt, nec eſſe poteſt (cùm ſint corpora mortua) imperfecta metalla ſolâ liquefactione ſibi commixta perficerent: quod ſi illa autem perfectio eſſet imperfectis commiſcibilis, non imperfecta cum perfectis perficerentur, ſed potiùs illorum perfectio cum imperfectis diminueretur, & cæt. Et hæc ſunt Rogerii Bacconis verba, &c. Unde intelligere debes, quòd Philoſophi, ut ſuprà evidentiſſimè probavimus, cum de auro loquantur, ſemper, & ubique de auro noſtro vivo, ſcilicet de hoc corpore ſolari ſophico, non autem de auro vulgi cogitârint. Et cum dicant: ſolvite aurum aquâ ſui generis, ſignificare voluerunt, quòd corpus ſolare noſtrum, quod eſt aurum noſtrum cum dicto ſpiritu ſui generis, quia ambo ex eodem ſubjecto proceſſerunt, radicaliter ſolvere debeamus, ac in oleum inreducibile illud deducere, ut ingreſſum in metallis habere poſſit.

Hinc ſcribitur in novo lumine Juvanis: cum terra noſtra ſpiritualis ſit facta, ſulphúrque ſuum internum rubrum exaltatum, quod erat in ſuo corpore occultum, tunc dicitur aurum, corpus perfectum, & argentum vivum ſublimatum ſapientum, & cæt. quia ſublimatio noſtra nil aliud eſt, quàm corpus antea immundum per extremam depurationem, ac radicalem ſolutionem ad ſublimem puritatis gradum exaltare,

& ad perfectionem illud deducere, & tunc est corpus perfectum sapientum, sive aurum optimum, antea verò multis inductum fæculentiis aurum leprosum, corpúsque imperfectum vocabatur, atque argentum vivum naturale immundum appellabatur.

Unde de differentia argenti vivi nostri, & vulgaris, vid. *Instructionem de arbore solari vol. 6. Theatr. cap. 5. pag. 177. 178.* Atque *Lullium in Clavicula cap. 1. sive Sendivogium in suo novo lumine cap. de tribus principiis omnium rerum.* Quod argentum vivum, sive aurum nostrum, ut addit Riplæus in in præfatione suæ pupillæ Alchæmiæ, ex Lullio, sit illud, quod absconditum est in centro chaotis, sive maris Philosophici inter aquam phlegmaticam, & crassitiem terrestrem, neque obtineatur sine magna artificis industria Philosophicè procedendo, cùm partes superfluæ non possent nobis prodesse, exceptâ solummodò illarum intimâ occultâ mediâ purissimâ substantiâ, ejectis fæcibus. Et hæc dixit Riplæus.

Itáque quamvis materia vilissimo extet pretio, addit *Ros Aurificus cap. 9. pag. 114.* dispendiosum tamen atque sumptuosum erit opus, quapropter maxima chaotis remoti copia sumenda est ad satis ex ipso purissimam mediam illam substantiam obtinendam, quæ substantia est verum unicúmque auri, argentique primum seu primordiale semen, quod ex omnium antiquorum Philosophorum consensu unicè proximéque tantùm in unico nostro prædicto subjecto animali, vegetabili, & minerali reperiendum est. Hinc *Lullius Lib. quintæ essentiæ Distinctione. 3. subjungit*: vegetabilia, & animalia sunt, in quibus mercurii nostri substantia propinquissimè invenitur. Verùm enim verò, ut supra dictum est, ne putes, quòd positivè sit materia animalis & vegetabilis: sed tantummodò aliquô modô nobis notô mediantibus ipsis obtinetur, de qua vide *Tauladani animadversiones*; atque *Roger. Baccon. in suo speculo cap. 3. seu vol. 2. Theatr. pag. 380.* non jam ( ut *Weidenfeld ex Philosophis ab ipso relatis pag. 133.* declarat ) quòd vegetabilia, & animalia quatenus talia opera Philosophica ingrediantur: sed quatenus id, quod ex ipsis mediatè provenit per vulcanum combustibilibus consumptis, incombu-

stibi-

ſtibile centrum capiamus, in formam terræ albæ apparens, ſcilicet ſal, ut ſupra Paracelſus *cap.* 11. ſuarum congeriarum nos docuit; unde meam percipias intentionem; nam hæc materia non eſt in ſe poſitivè aliquod vegetabile, nec animale, quamvis metaphoricè ita dicatur, & apparenter illa ſe oſtendat: ſed ex ipſis mediatè tantùm procedit, aliàs immediatè ex cælo provenit, nec ullô modô ex animalibus, vegetabilibúsque conſtat, neque ex ipſis ullô modô immediatè procedit. Non jam ſicuti vitrum ex Herbis, vel ſicuti ſericum ex vermibus, quæ immediatè ac poſitivè ex illis proveniunt: ſed quomodo? oretenus tibi dicam, & hanc veritatem concipies.

Hinc Author Arcæ arcani *Vol.6.Theatr.ſub quæſtione octava pag.*369, ſubjungit: jam mentis aures arrige, quomodò ſermones prædicti de vegetabilibus & animalibus accipiendi ſint: neque hæc, neque, illa rejicienda ſunt, ( ſed intentionem authoris capias ) nam totius artis fundamentum eſt, ut ſpiritus vegetabilis & animalis Lapidis noſtri ( causâ nobis notâ ita vocatus ) volatilitatem ſuam combuſtibilitatémque derelinquat.& fixus incremabilis atque immortalis fiat,( quia ut audiviſti, figitur in corpore ſuo ) hæc eſt clavis ad reſerandum omnes portas: hic habes veram, & unicam primam gemmarum, metallorúmque materiam, & cæt. Et vid. *tractat. de Magni Lapidis compoſitione Lib.* 2. *cap. ultimo vol.* 3. *Theatr. pag.* 69. ubi prædicta profundè lucidiúsque explicantur.

Unde *Pariſinus in ſuo elucidario Append. Theor.* ubi incipit: quatuor columnæ ſcientiæ Philoſophicæ, inquit: Dicimus iſtam primam noſtram materiam alicujus vegetabilis individuum & ſubſtantiam eſſe, ex qua noſtrum vegetabile menſtruum conficimus corporum reſolutivum, quod menſtruum eſt prima materia de vino tracta, & cæt. ( ex vino tamen Philoſophico puta, non jam vulgari )

Quare autem materia vegetabilis, & animalis vocetur; dicit Mercurius Philoſophus Regi Kalid. myſterium hoc ſolis Dei Prophetis permiſſum eſt agnoſcere, & intelligere quare ita dicatur. Et de hoc puncto vid. *Paracelſum cap. 7. in ſuis Congeriis Chymia,* Unde niſi homines ſubtilliſſi-

lissimô ingeniô sint dotati, hoc planè absque magistro perito intelligere velle, ac præsumere, est fatuitas.

*Quæritur, ingenium quare dicatur acumen?*
*Interius penetrat, quicquid acumen habet.*

Unde ad prædicta redeamus æquivoca: jam satis ergo demonstravimus, quòd ubicunque Philosophi de auro, & argento, argentóque vivo loquantur, semper de hoc unico sale nostro aurifero mercuriali intellexerunt, sicuti etiam quamvis, ut supra Parisinus, pluraliter exprimatur, & dicant: corpora calcinentur, seu solvantur, & cæt. semper de hoc unico corpore puta, quod est sperma metallorum, & pater auri. *Avicenna cap. 8. ad Filium suum Aboalum, ait:* Aurum nostrum est vapor metallicus primordialis, atque potentialis, quia est in fieri, seu in via digestionis nondum per naturam fixum, neque ad metallum deductum. Itaque ovum quoque nostrum dicitur, quare sicut ovum est pullus in fieri, ita ovum nostrum est aurum in fieri.

Addit Riplæus in Lib. terra terræ: hic vapor metallicus est congelatus, & est sperma nostri Lapidis, & in modica quantitate in chaos nostro invenitur. (Nota ergo in modica quantitate)

Quâ de causâ Hermes ita seu centro punctatum delineatum vivum in centro à natura



Triangulum nostrum in medio vit, & inde dixit: quòd argentum ibi in Triangulo coagulatum quæremus. Ut ita intelligamus, quòd hoc sal in chaote, seu mari nostro sit verè sicut punctum in Triangulo. Hinc ait *Sendivogius in suo lumine tractat. 3.* Ne quæras autem illud punctum in metallis vulgi, in quibus certè non est. Unde *Author de arbore solari Vol. 6. Theatri cap. 2. pag. 172.* Ac idem *Sendivogius Epist. 1. ita scripserunt:* piscisculus ille noster unicus echenius valdè exiguus est in vasto mari nostro expiscandus & cæt. qui in metallis cujuscunque sint generis certè non adest, quapropter ait Geber in contradictoria disceptatione inter Pancratium & Rosinum, & cæt. ibi citatus; quamquam, inquit, delitescat media substantia ex qua fit lapis in vulgaribus metallis, cum ex illa proveniant, & de illa constent & concrescant, attamen ex ipsis illô modô extrahi ne-

illô

quit

quit, quia metalla illa ſunt radicaliter exſiccata & infecta, atque mortua, & eô carent ſpiritu vitæ, quem quærimus, ac in noſtro metallo vivo in ſuo tantùm centro invenimus, non autem in mortuo, uti ſunt aurum & argentum vulgi, quamvis perfecta, & cæt. A fortiori ergò multò minùs ex imperfectis haberi poſſet, utì ſunt antimonium, regulus martialis, plumbum, cuprum, & cæt. Nam Riplæus in ſua Clavi Aureæ Portæ ſubjungit; quia in metallis omnibus virtus vegetativa mater omnis incrementi jam eſt extincta. Et ulteriùs ibidem addit: Caveamus igitur ab auro, & argento, & conſequenter ab omnibus metallis vulgi, & cæt. Nam aurum, & argentum Philoſophorum (Nota) ſunt duæ tincturæ, alba, & rubra in uno, eodémque corpore exiſtentes. Itaque corpus phyſicum noſtrum Philoſophi Androgynum eſſe dixerunt, corpus ſcilicet ſolare, & lunare animatum, duplicíque tinctura decoratum, & cæt. Et vide quoque *Tractat. Non plus ultra veritatis, cap. 29. &c.*

Hinc legitur in Roſario Philoſophorum: Ex perfecto à natura in ſuo eſſe, vel ultimo ſuo ſtatu relicto, nihil fit, quia jam in ſua natura à natura terminatum eſt; ùt exemplum habemus in pane: panis enim fermentatus, & coctus, eſt jam in ſuo ultimo ſtatu perfectus, & ad ultimum ſuum finem redactus, nec ille plùs fermentari, neque ex eo ſemen extrahi nullô modô poterit; ſic ergo eſt auro, argento, cæterísque metallis, ex quibus omninò impoſſibile eſt, & cæt, Accipiamus ergò materiam illam non adhuc à natura perfectam, in qua aurum, & argentum ſpermatica, & fermentabilia reſident, & cæt. Et hucusque &c. Philoſophus citat. in Roſar. Unde quamvis Philoſophi pro Lapidis fermento ſimiliter de auro loquantur, ſemper de noſtro-met corpore prædicto, auro noſtro vivo fermentabili intelligas, ut ſuô loco clariùs demonſtrabimus, quare aurum vulgi in fine tantùm pro ligamine imponimus, Hinc inquit Philaletha in ſuo Introitu Aperto *cap.* 19. Hoc eſt unum magnum Philoſophorum ſophisma: loquuntur quidam de auro & argento vulgi, & verum dixerunt: negántque idem alii, & verum quoque dixerunt: ideóque profunda meditatione opus

est uti, ante quàm ænigmata, cabalásque sapientum, ac eorum mente concipere valeas. Aurum nostrum est aurum, sed non aurum vulgi auro vulgi indigemus, sed in fine &c.

Pro ultima metallica conjunctione, seu colligatione, atque specificatione, videlicet, quam fermentationem quoque sophi vocârunt quamvis vera fermentatio ex eadem materia nostra procedat, ut *Jo. Colleson Vol. 6. Theatr. pag. 150. Isaace. Holland. oper. mineral. cap. 136. Laurent. Ventur. cap. 29. Roger. Bacco in seno speculo cap. 7.* Atque *Avicenna cap. 8.* testantur, scilicet quòd auro vulgi pro ultima colligatione una cum Lapide absoluto per triduum in crucibulo ad ignem continuo fluxu commixto, & retento, tantummodò indigeamus, quod est illud opus Triduanum à Maria Prophetissa, & cæt. descriptum, ubi simplices decipiuntur, ut omnes supra citati testantur, &c,

Hinc idem *Philaletha prædictus tractat. de Metamorphos. metallor. cap. 7.* de agente primo, subjungit: sed ex ista Rebis scilicet Rebina, spiritu & corpore videlicet, Lapis absque auro vulgi ( nisi in fine ) perficitur: quia ista Rebis, scilicet istæ duæ res simul conjunctæ sunt aurum & argentum nostrum, & cæt.

De qua mirabili spiritûs corporísque conjunctione peragenda vid. *Isaacc. Holland. in suo oper. mineral. lib. 2. cap. 135.*

Unde *Sendivogius in suo novo lumine tractat. 11.* ita sincerè nos monet, dicens: pro opere nostro ne accipias aurum, neque argentum vulgi, nec alia consequenter quæcunque metalla, nam hæc sunt mortua, accipe nostra, quæ sunt viva.

Hinc *Senior vol. 5. Theatr. pag. 233. subjungit*: aurum hujus Lapidis est aurum Philosophorum (NB.) & est tinctura intrinseca occulta, quæ est anima Lapidis, sive salis, corporis Physici videlicet, cum qua ascendit spiritus, & cæt.

Itaque *Kalid Rex Lib. trium verborum cap. 3. dicit*: Et hoc scire nos oportet, ut faciamus de occulto manifestum, nam istud in corpore occultum est de natura solis & ignis, tinctura viva, & aurum nostrum, &c. Et de hoc auro nostro non vulgari vid. *Philalethum in suo Introitu*

*aperto cap.* 23. Atque *tractat.* 2. *Joan. de Lasnioro vol.* 4. *Theatr. pag.* 580. Unde intelligere opus est, & sane concludere, quòd unicum sal nostrum Androgynum solare & lunare vivum, tam univocè, quàm æquivocè nominatum, ac pro auro, argento, regulo, plumbo, antimonio, argento vivo, & cæt. omnibúsque sub sole corporibus, tam metallicis, quàm lapideis, limaturis, calcibúsque eorum, cæterísque existentibus in orbe nuncupatum, ac ubicunque similia reperies in sophorum scriptis, semper hoc unum & idem sit: ac omnia fluida aquosa, & spiritualia quæ dari possunt in mundo, nîl aliud quoque semper significant, nisi mercurium, seu spiritum vini nostri. Et ita tute in hac arte procedere poteris, & non errabis. Cum igitur audias; amalgama cum auro, ut inter cæteros Philaletha in suo *Introitu Aperto cap.* 16. de hoc amalgamate scripsit, & cæt. seu solve calces, vel limaturas metallorum cum aqua regia, & cæt. nîl aliud semper intelligas, nisi de corporis, spiritûsque necessariâ conjunctione, de qua vide *Laur. Ventur. Vol.* 2. *Theatr. pag.* 279. & cæt. &c.

# Caput Undecimum.

## *Quid sit verum Lapidis Philosophici Fermentum, ubi omnes Pseudo-Chymici decipiuntur, aurum vulgi fermentum Lapidis esse credentes, cæteráque dilucidantur Sophorum occultissima Mysteria.*

JAm superiùs satìs apertè explicavimus, ut benè notâsti, quòd ubicunque Philosophi de auro, & argento loquuntur, semper de nostro duplici Hermaphrodito corpore solari, & lunari intellexerint; ità igitur semper de fermento quoque intelligendum est.

Inquit enim Riplæus in uno suo cap. de Lapide minerali: Nam certum est Terram esse fermentum aquæ, & è converso aquam fermentum terræ, & hoc sine auxilio auri, vel argenti vulgi, & cæt. De quo vide etiam *Isaac. Holland. in suo oper. Mineral. cap.* 14. *& cap.* 136. atque *Laurent. Ventur. cap.* 25. *& cap.* 29.

Ait *Guido de Montanor in Scala Philosophor. in Nono Gradu de Fermentatione*: Est enim sciendum, quòd cinis (nempe sal) fermentum sit

 auri,

auri, & aurum ſit aqua noſtra, & aqua noſtra ſit fermentum corporis, & corpus noſtrum ſit terra noſtra, (& terra noſtra ſit ſal) & fermentum hujus aquæ divinæ cinis eſt, qui eſt fermentum fermenti. Commiſce ergo aurum cum auro, id eſt aquam cum cinere noſtro (nempe conjunge ſpiritum cum corpore) hoc eſt aquam cum terra alba foliata, ſive calce ſua, quod eſt ſuum fermentum, & confice totum aquâ ſuâ, quousque fermentetur, & fiat ùt paſta fermentata. Nam paſtæ fermentum nîl aliud eſt, quàm levamen de ſua natura aquâ purâ commixtum, & ſic pulveris fermentum nîl aliud eſt, quàm aurum, & argentum noſtrum (ſcilicet ſal ſolare, & lunare noſtrum de ſua propria natura aquâ ſuâ impaſtatum) ſine quibus noſtrum elixir completè non peragitur, & cæt. & hucusque Guido. Item legitur in clangore buccinæ, ubi incipit: via alia practicæ, in Tractat. Ante Capita: De qua terra dealbata, & fermentata dicit Morienus: nîl cum ea ante facias non exiſtente fermento ſuo, quia ſine fermento nulla ſit tinctura perfecta, ſi cuti nec absque paſta priùs fermentata ſit inde bonus panis, ſic ergo in noſtro Lapide, & cæt. Unde dicit Ariſtoteles: & non eſt aliud fermentum, quàm aurum (Nota) ſcilicet ſulphur Philoſophorum tam ad album, quàm ad rubrum elixir, & luna ſolùm ad album (Not. Ben.) ſcilicet aurum, vel argentum Philoſophorum, non autem aurum, & argentum vulgi: Unde fermentum auri eſt aurum ſapientum, & nîl aliud eſt, niſi ſulphur ſuum, anima, ſcilicet, & tinctura in corpore magneſiæ occulta: Nam ſuprà dixit Ariſtoteles, in Lapide noſtro hæc tria reperies, nempe corpus, animam, & ſpiritum, & cæt. Ut ità Riplæus in ſuo viatico ex Lullio confirmat; cùm dicat: Portat ſecum in ventre ſuo ſuum ſecretum rubrum ſulphur, ratione cujus congelatur in Lapidem rubrum, ſeu aurum Philoſophorum, quod ſulphur, eſt aurum, fermentum, anima, & tinctura noſtra. Unde cùm dicant Hermes, Morienus, & cæt. Ponas quartam fermenti ſui partem in Lapide tuo, & cæt. Hoc ſignificat: pone quartam ſpiritûs partem in corpore omni vice cùm imbibas: quare ùt ſuprà audiviſti, corpus eſt fermentum ſpiritûs, & ſpiritus eſt fermentum corporis, &c. quamvis alii dicant:

cant: Recipe tres partes ſpiritûs pro una corporis parte. Vel mulieris tres partes ſumas, unam verò viri ſui. Sive æs noſtrum, vel terra noſtra ſit pars una, aquæ verò tres, & ſimilia, quæ omnia unum, & idem ſignificant: ſed hoc non intelligitur, quòd unica vice tres partes ſpiritûs ſuper corpus infundere debeamus; ſed quòd gradatim pluribus vicibus conſecutivis corpus imbibendo volatile ſuperet fixum, ut volatile fiat. Et de hoc puncto vide *Iſaacc. Holland. in ſuo Oper. Mineral. Lib. 1. cap. 38.* Unde ſequitur *Clangor Buccinæ loc. ſupr. citat.* Sulphur album, & rubrum ex una radice nullâ aliâ re alterius generis interveniente procedunt (hoc eſt, ut modò non neſcis, ex eodem corpore duplici albo, & rubro, ſolari, & lunari noſtro proveniunt, quæ ſunt duo fermenta noſtra album, & rubrum) Et paulò pòſt ibidem ſequitur: Nam aurum minerale deductum eſt in corpus perfectum ad ſuum ultimum finem, & id ampliùs fermentare impoſſibile: Accipiamus ergò illam materiam, unde erit aurum non dum à natura perfectum, & ità verè fermentabile, & tunc incipiamus operationem, ubi natura deſinit: quod aurum imperfectum ſit ſulphur noſtrum, quod mediante artificio noſtro deducitur in verum fermentum, & in corpus perfectum, & cæt. Et hucusque Clangor Buccinæ, ex Ariſtotele, & Roſario ibi citatis. Et ecce quòd corpus perfectum non eſt apud Philoſophos aurum vulgi, ſed corpus Phyſicum præparatum, quia ante ejus præparationem aurum leproſum, & corpus imperfectum nuncupatur. Unde ſemper, & quomodocunq; audias Philoſophos de corpore perfecto tractantes, nîl aliud eſſe credas, quàm ſal noſtrum præparatum, & ad perfectionem redactum. Hinc iquit *Iſaacc. Holland. in ſuo Oper. Mineral. Lib. 1, cap. 130.* quòd iſtæ duæ res inter ſe contrariæ, quamvis ex una radice proveniant, ſcilicet ſpiritus volatilis, & corpus fixum, cum ambæ ſint Philoſophicè conjunctæ, & ad perfectionem in præparatione redactæ, tunc in corpus perfectum Philoſophorum ſunt deductæ, & tunc eſt corpus perfectum ſapientum. Propterea dicit *Petr. Bon. Lombard. in ſua Margarit. Novell. cap. 11.* Hoc igitur corpus eſt, quod eſt forma, & fermentum, perfectio & tinctura, quam Philoſophi omnes

quæsierunt, & est sol, sal, & aurum Philosophorum, quod est album in actu, & rubrum in potentia, & album est imperfectum, & perficitur rubedine sua, quam intrinsecus occultam continet, & non aliô: & hoc est quod dicit Rosinus: sol albus apparitione, rubeus verò experimento. Quia ut addit *Laurent. Ventur. cap.* 28. Hoc sal in se album, rubedinem occultam internam in se continet, quemadmodum minium in cerussa.

De quò dicit *Isaacc. Holland. in suo citat. oper. Mineral. Lib.* 1. *cap.* 108. Est verò sal quoddam, quod Deus in materia remota nostra indidit, & sal sapientiæ sapientum vocatur.

Addit item de fermento Riplæus in Concordantiis Raymundi & Guidonis: omnes illi, qui ab auro, & argento vulgi fermentum pro Lapide nostro petunt, sunt imperiti, & de hac scientia ignari.

Et si Lullius dicat; nostra tinctura extrahitur à re vili, & ornatur aliâ re multò nobiliori, nam eam inde auro vulgari fermentamus, & cæt. Hoc intelligitur de ultima aurea conjunctione, sive specificatione, quam ad confusionem inexpertis causandam fermentationem quoque Philosophi vocârunt. Hinc *Isaaccus Holland. in suo oper. Mineral. Lib.* 1. *cap.* 135. ait: Nisi Lapidem auro quoque in fine fermentares, nullam faceres projectionem. Hoc autem non est verum fermentum, sed ligamen, quamvis duæ dicantur fermentationes, una spiritualis, alia corporalis, ut ipsemet *Isaaccus ibidem sequenti cap.* 136. ita declarat, ubi inquit; hanc autem fermentationem Philosophi conjunctionem vocârunt, atque hoc est opus illud Mariæ Prophetissæ trium dierum; at istud fermentare ( Nota ) stolidi non intelligunt, & putant fermentum corporis crudi ( auri vel argenti vulgi videlicet ) ad opus Lapidis adducendum, cum Lapis in opere existat; sunt autem capita insana, verbáque Philosophorũ non intelligunt & cæt. Nam Lapidi fermentum corporale crudum metallicum non addimus nisi in fine operis, quod non est verum fermentum, quamvis ita quoquè dicatur, sed reverâ ligamen. Itaque legitur in Bibliotheca *Chemic. Curios. Joan. Jacob. Magnet. Tom.* 1. *pag.* 298. *ex Petro Joanne Fabro cap.* de fermento, qui propter suam pro-

fun-

fundam doctrinam fuit inde in hac scientia instructus: unde ipse inquit: quòd fermentum duplici modo intelligatur, scilicet primum & verum internum sulphuris sui in eôdemmet Lapide nostro existentis; secundum verò externum auri vulgi. Quæ duo fermenta, primum vocatur spirituale, aliud corporale, quæ similiter duplici modo considerantur, scilicet fermentum corporale, est sulphur corporis prædictum, & fermentum spirituale est spiritus, seu mercurius noster; nam suprà ex Guidone, & Riplæo audivisti, quòd terra seu corpus sit fermentum aquæ seu spiritûs; & aqua sit fermentum terræ. Unde ubicunque perlegas, semper novas cabalas invenies; nunc autem cum à me omnia sint sincerè explicata, & dilucidata, omnia quoque ubicunque perlegendo comperies.

Inquit enim *David Lagneus vol. 4. Theatr. pag. 720. 780.* Coagulatio fit cum suo proprio fermento, scilicet corpore suo, quod idem est, hoc est, sole & luna nostris.

Addit *Arnoldus in suo Perfecto Magisterio vol. 3. Theatr. pag. 133.* (Nota) verum autem fermentum est corpus præparatum, seu anima dicti corporis, scilicet, ut suprà dictum est, sulphur suum aureum, & sol noster. Hinc Paracelsus in suis Congeriis Chymiæ *cap. 8.* ait ex his patet, quòd aurum minerale non sit materia fermenti, sed aurum Philosophorum est ipsum fermentum tingens. Itaque Geber, ut suprà demonstravimus, scripsit; aurum (nostrum videlicet) est tinctura rubedinis, & est sulphur, quod dat pondus & complementum, ipsum illuminat omne corpus & tingit: non est autem sulphur in natura, sed pars ejus corporis occulta; & cæt. & ipsum quoque est verum fermentum, & cæt.

Atque *Dyonisius Zaccarias in Part. 2. sui opusculi dicit*: per fermentum itaque verum corpus, scilicet veram nostram materiam, proximam videlicet, intellexerunt Philosophi, adhuc equidem Alchymistis ignotam, & cæt.

Unde Riplæus in sua Nona Porta, ait: Tria sunt fermenta, scilicet sol, luna, & terra nostra; vera autẽ fermentatio est spiritûs cum corpore impastatio, seu incorporatio, scilicet terræ nostræ cum aqua sua con-

jun-

junctio: unde misce (Nota) aurum cum auro, nempe aquam cum terra, & itaverè fermentabis. Hinc idem Riplæus in prima porta subjungit: quare omnis spiritus figitur cum calce sui generis, & cæt. & itaturaliter simul corpus & spiritus conjunguntur, simúlque figuntur, & ideò simul quoque fermentantur invicem, concrescunt, & multiplicantur.

Repetit quoque Paracelsus in suis citatis Congeriis Chymiæ *cap.* hujus artis, inquiens, nonnulli *Zelotes* quæsierunt fermenta sua in variis mineralibus primis & mediis, sed in vanum se cucurrisse comperunt; quoniam verum fermentum, est eadem Lapidis substantia &c. De quo fermento vide etiam Eximenum in turba Philosophorum *Sermon.* 9. atque ibidem Parmenidem *Sermon.* 11.

Scio quòd cum tot ubique authorum citationibus me nimiùm reddo tædiosũ, sed chare Lector! si ego duos vel tres tantùm in quolibet capite citâssem; chemicolæ, quòd illi non fuerint Adepti certèjudicarent? cum verò omnes generaliter congruentes in hoc unum ubique convenire perlegant, procul dubio cedere, ac silere debent? & hæc est causa, quare in omnibus capitibus tot authores citavi. Aliàs in unico capitulo omnia explicare potuissem?

Concludendum est igitur cum *Patr. Jo. Collesson in sua Idæa perfect. vol. 6. Theatr. pag. 144. dicente*; aurum & argentum vulgaria non possunt imperfectis metallis ullam communicare perfectionem, neque ullâ arte fermentari, quocunque artificio à Chymiastris præparentur. A fortiori ergo metalla imperfecta, cum æquè sicut illa sint mortua, & si cum auro vulgi, ut ex omnibus audivisti, nîl fieri possit in hac arte? & ex rex metallorum? quomodò ergo præsumere aliquid boni cum antimonio, regulo & cæt. imperfecta conficere? heu! vanitas, heu! simplicitas!

Unde si verè hanc sacram scientiam penetrare, & addiscere cupias, metalla omnia, mineraliáque relinquas, & ubicunque de auro argento, fermento, cæterísque corporibus omnibus Philosophi tractant, semper de corpore, seu sale nostro, & nîl aliud intelligas. Ut exempla sequentia duplicitèr te tutum facient.

Inquit enim Aristoteles in suo tractatu de practica Lapidis Philosophici, (NB.) Hermes ait, seminate aurum in terram albam foliatam: sed istud aurum non est aurum vulgi, est autem aurum nostrum, seu anima ipsius corporis Physici, & cæt. ut etiam *Arnoldus in suo Thesauro Thesaurorum cap. 11.* similia confirmat. Et vide *Bibliothec. Chem. curios. Jo. Jacob. Manget. Tom. 1. pag. 661.*

Item legitur in Libello de Achemia, Dialogi Duo, ex Gebro in fine paginæ 55. Hermes ait, quòd aqua illa sicca nostra sit aurum nostrum, quæ aqua sicca animam habet tingentem: itaque dicit, seminate aurum in terram nostram albam foliatam, scilicet seminate, vel reddite animam corpori per acetum nostrum extractam, & seminate illam in terram suam albam disanimatam. Quæ terra est sal nostrum album lucidum, & foliatum, atque stellatum, itaque dicitur etiam terra stellata, & vocatur etiam vitriolum, seu nitrum, antimonium oculatum, & aqua sieca manus non madefaciens, ut ibidem ex eodem Gebro in fine paginæ 18. subjungitur. Et meritò aqua sicca non madefaciens nuncupatur, quapropter salia omnia nîl aliud sunt, quàm aqua sicca congelata, nec manus madefaciunt. Hinc *Lullius in suo Testam. Potestat. Divitiarum Part. 2. cap. 7. addit*: Corpus nostrum Physicum est terra nostra foliata, in quâ debes animam suam seminare, quæ est tinctura nostra, quæ tinctura, jam suprà notâsti, aurum ubique dicitur. Et idem *Lullius ibidem cap. 8.* subjungit: corpus aureum est terra nostra, salina videlicet, & cæt. Atque *Petr. Bon. Lombard. in sua Margarita Novella cap. 11. ex Rosino addit*: quòd cùm Philosophi dicant: seminate aurum in terram foliatam, vel solvite aurum aqua sui generis, vel ponite aurum in auro, & cæt. semper de auro nostro, & non vulgari intelligitur, suo cum spiritu, seu mercurio nostro solvendo.

Ideóque Philaletha in suo Introitu Aperto *cap. 6.* ait: si tu hanc aridam terram aqua sui generis irrigare sciveris, sophus eris. Quapropter certum est, si aurum nostrum aqua sui proprii generis, suæque naturæ non resolveremus, sæpe sæpiùs illud suo spiritu primo acidulo, ac subinde aliô dulci secundô imbibendo, irrorando, & congelando, hume-

mectando, & ſuaviter evaporandò, ſeu cum parvulo ſuperpoſito alembico diſtillando, quod eſt unum per idem, nîl unquam efficeremus, quia terra illa per ſe fixa, niſi radicaliter reſolveretur, & volatilizaretur, nullum unquam haberet ingreſſum, neque ſuam præberet tincturam. Et multò minùs ſi cum aqua ſuæ naturæ contraria reſolveretur? nam totum opus ſine dubio deſtrueretur.

Propterea legitur in *Tractat. Hermeticæ Philoſophiæ, Canon.* 46. quòd variis nominibus mercurius ille Philoſophorum enuncietur: modò terra, modò aqua, modò aurum, modò argentum, & cæt. ac diverſa ratione ita dicatur; tum etiam quia ex aqua & terra ejusdem tamen naturæ naturaliter conflatur. Et eſt terra ſubtilis, alba, ſulphurea animata, in qua elementa invicem ſine diſcrepantia figuntur (Nota) & aurum Philoſophorum ibi ſeminatur. Alia eſt aqua vitæ, ſeu aqua ardens ſui tamen generis, cum quibus fit aqua permanens, (Nota) & aqua auri, atque argenti nuncupatur, & cæt.

Unde ait *Zaccarius Part. 2. ſui opuſculi ergæ finem.* Res noſtra divina convertit metalla ad ſuam naturam, ſicuti fermentum paſtam: & quia ipſa eſt aurum vivum, transmutat illa, & perficit etiam in aurum. Et ita ex auro facimus aurum, & cum metallo, per metallum, & ex metallo vivo metalla conficimus, ut ita & non aliter intellexit Paracelſus, à Chemicolis malè interpretatus. Aliàs ſi noſtra materia verum ſemen auri non contineret, certè aurum ex ipſa fieri non poſſet? Hinc *Arnoldus in ſua Epiſt. ad Regem Neapolitan. inquit*: Eſt enim ſciendum, quòd in prædicta unica materia noſtra, quæ eſt minera noſtra compoſita, ſunt ſol & luna in virtute & potentia, quia ſi hæc non eſſent in ipſo compoſito, non fieret inde neque ſol, neque luna? & tamen non eſt ipſum ſol ſicuti ſol communis, neque luna ſicuti luna vulgaris, ſed meliores in natura, eò quod ſol & luna dicti compoſiti ſunt vivi, alii verò vulgares ſunt mortui.

Econtra, cùm Chemicolæ hanc mineram neſciant, terram noſtram ignorantes; itaque ait D. Thomas, quòd aurum & argentum non fiat, niſi ex auro & argento, & ex minera propria, ac in terra propria gene-

generetur. In vasis Alchymistarum vulgarium non adest nec aurum, neque argentum, neque minera propria, ergo? & cæt. cape igitur intentionem. Ideò dicitur in parvula Astrea Chemica, ex Theobaldo: qui manum operi adhibere volunt, diligenter priùs excutiant, quæ illæres & species sint, quæ sol & luna à Philosophis nominentur, ne oleum, & operam, ut est in Proverb. perdant. Et omnia bona pro Lapide denique dilapident.

Unde in *Tractatu de Alchemia vol.* 3. *Theatr. cap.* 24. *pag.* 23. *scribitur*: Ista aqua ex duabus aquis facta una, scilicet ex spiritu solvente, & corpore soluto, est aurum & argentum nostrum, ac consequenter verum Lapidis fermentum, quia panis non fermentatur, nisi cum propria ejus substantia, &c.

De quo fermento quomodò intelligatur, exemplum ponam clarissimum: Inquit Clangor Buccinæ loc. supra citat. Fermentum album ita fit; ciba unam partem lunæ purissimæ subtiliter limatæ cum duplo sui mercurii mundissimè depurati, sæpè simul in mortario vitreo terendo, donec mercurius ipsam lunæ limaturam ebibat, & fiat quasi butyrum, & cæt. ac antea ablue cum aceto forti, & cæt.

Jam ergo suprà audivisti, quòd corpus in suo primo statu, seu sal nostrum exterius album, luna quoque dicatur. Unde cum dicat, ciba unam partem lunæ limatæ cum duplo sui mercurii terendo, donec & cæt. indicare voluit, quòd unam partem salis, seu corporis nostri lunaris benè triturati, cum duplo sui spiritûs terendo, ac impastando, seu amalgamando, gradatim imbibendo conjungere, ac donec ad Butyri consistentiam dupliciter concreti, deveniat, Philosophicè colligare debeamus, & hoc in mortariolo vitreo ità,  ùt suprà diximus, formato, perficere. Inde subjungit ibidem: Ablue hoc fermentum cum aceto forti, & sale communi præparato, &c. scilicet cum aceto, & sale communi Philosophorum; etenim meministi verborũ suprà ex Lullio, & authore de arbore solari prædictorum dicentibus, quòd quando de argento vivo communi loquantur, seu de sale communi, & cæt. quod est unum per idem, de nostro semper

magis nobis communi, quàm comũne intelligas? hic ergo quoque de ſale noſtro nobis comũni perpendas; de qua ſalis noſtri ablutione cum aceto noſtro ſæpè, multisque vicibus peragenda, vide *Iſaacc. Holland. in ſuò præcitat. oper. Mineral.* ubi nîl aliud in omnibus capitulis invenies. Et ulteriùs addit Clangor Buccinæ: Deinde incera ipſum cum una parte aquæ, & pone ad ſublimandum: Hoc eſt, imbibe ipſum poſt ſuam per acetum noſtrum perfectam depurationem, & ſolutionem jam peractam, cum ſpiritu vini noſtri triturando, iterúmque ſolvendo, & congelando, humectando, & exſiccando, ſeu lenitèr evaporando, donec ſal una cùm ſptriru inſtar lactis elevetur, & ſimul aſcendant, ita ut de ipſa lunæ noſtræ prædictæ limatura, nihil inveniatur in fundo inſolutum, ùt ſuprà idem author, jam dixit; & in unum corpus lacteum indiviſibilitèr conjungantur, & hæc eſt vera, & unica ſublimatio noſtra, ùt ſuô locô declarabimus. Et hic eſt infans noſter, qui in aëre neceſſariò naſci debet, ùt Riplæus, & cæt. ſcripſerunt: ſcilicet ut corpus fixum volatile fiat, & in aërem una cum aqua ſua ſublevetur. Et in fine idem Clangoris Buccinæ author ità concludit: quòd nempe, eôdem modô fermentum rubrum cum ſole puriſſimo fiat; ſcilicet quòd anima rubra, ſeu ſulphur internum dicti corporis lunaris, quod eſt aurum noſtrum, ùt notâſti, unâ quoque cum ſpiritu, & corpore ſimiliter exaltetur, & ſimul omnia benè fermententur. De quo artificio apertis verbis deſcripto, vide *Iſaacc. Holland. in ſuo prædict. Oper. Mineral.* ubi pluribus in capitibus, unâ cum nominum à Clangore Buccinæ ſuprà cabaliſticè expoſitorum, explicatione, & cæt. illud repe-ries, ubi verè Iſaaccus omnia ſincerè pro intelligentibus detexit, Et ità lucidiſſimè prædicta comperies, & quid ſit ſal commune, acetum, ſol, & luna, mercurius, & cæt. clarè ibi videbis.

De quo ſale noſtro lunifico, & ſolifico, vero, ac unico auri, argentíque ſemine ità lucidè detecto, vide *Tractat. de vera ratione Lapidis progignendi vol. 4. Theatr. pag. 396. 397.*

Eôdem igitur modô intelligitur, cùm Philoſophi dicant, & præſertim *Iſaacus ipſe Holland. loc. ſuprà citat. Lib. 1. cap. 58.* quamvis alibi i-


bi-

bidem omnia apertè declaret, inquiens: ſume ſolem, & lunam, conte-
tere, ac probè inter ſe commiſce cum aqua communi diſtillata, donec
iis pingi poſſit, tunc ſicca, ſcilicet leniter evapora, & iterum, & cæt.

Quæ ſimiliter nil aliud ſignificant, niſi, ut corpus duplex ſolare, & lunare noſtrum aquâ ſuâ diſtillatâ nobis communi commiſceamus, ſæpè imbibendo, & exſiccando, ſuperfluam ſcilicet aquoſam humiditatem evaporando, & ita recongelando, & cæt. Et ſemper de hoc corpore duplici, ſole, & luna noſtris, ac de ſpiritu mercuriali, ſeu aquâ noſtrâ diſtillatâ nobis communi, intelligitur, in præparatione corporis videlicet peragenda, & nîl aliud; ut corpus ritè depuretur, radicaliter aquâ ſuâ ſolvatur, atque volatilizetur, & unà cum ſpiritu conjungatur. Quamvis etiam ad ſalem depurandum in principio aqua communi diſtillata uti poſſit.

De qua neceſſaria corporis ſolutione, ſpiritúsque coagulatione, atque inter ipſa duo indiviſibili conjunctione peragenda, vide *Tractat. cujus Titulus eſt*: Piſces Zodiaci inferioris, ubi omnia ſatis apertè explicantur, & ibi prædicta omnia ubique perlegendo confirmata reperies. Verum enim verò in principio ſal noſtrum cum aqua communi diſtillata ad fæces albas tollendas, terrámque inutilem ſeparandam, multis vicibus ſolvere, filtrare, & congelare poteris, ut ipſemet *Iſaaccus loc. cit.* ſimiliter docet: & inde cum aceto & cæt. donec in oleũ lucidum denſum variis indutum coloribus concreſcat, quod cum in frigore congeletur in maſſa, veluti antimonium apparet, & ita tunc antimoniu meſſe Philoſophi ſcripſerunt. Et tunc Laton nigro-rubrum quoque vocatur, quod inde ſpiritu vini, iterum ſolvendo, & congelando dealbandum eſt, donec in lac virgineum ſit redactum, quod inde per duos menſes circulare poteris, & ab hypoſtaſi ſeparare, & ultimum decoctionis, ſeu fixionis opus incipere, donec tuum rubrum Lapidem obtineas in maſſam frangibilem redactum, quæ maſſa iterum ſolvenda eſt, donec ſuper laminam ignitam fluat ut cera, deinde per triduum una cum auro vulgi in crucibulo ad ignem fuſionis retineas, quod eſt opus triduanum prædictum, ac ſubinde cum mercurio vulgi pluribus vicibus commi-

ſcendo decoquas, & Lapidem tuum perfectum, abſolutum, atque multiplicatum habebis, ut in fine lucidiùs omnia explicabimus, & cæt. Et hic eſt Circulus Quadratus Sapientum, ut in titulo demonſtrare promiſi: Etenim in ſcala Philoſophorum legitur, in decimo gradu et Guidone de Montanor: ſic ergo in uno continentur quinque, ſcilicet una elementorum quaternitas, ideſt aqua, terra, aër, & ignis (Nota)& punctum ſolis in medio ſeu in centro rubeum in corpore latens (ut ſu-



prà ex Hermete in Triangulo ſignatum notâſti) & hic eſt pullus ſive avis Hermetis, ſcilicet anima rubra, ſeu ſulphur in corpore rubrũ occultum, tinctura, & aurum noſtrum in centro ſalis latens, & eſt ex ovo noſtro pullus jam ortus, & cæt. Et in fine ibidem ſubjungit Author Guido; Et tunc ſit noſtra operatio perfecta, & Lapis rotundus ex quatuor elementis ſine diſcrepantia compoſitus, itaque circulus quadratus, ut ait Sendivogius *Epiſt.* 23. quia in qualitate temperatus; quatuor enim Lapidis elementa concorditer arte noſtra exaltantur, ac per rotam Phyſicam unicô circulô amicabiliter includuntur, adeò ut amicabili vinculo ſimul colligata ampliùs disligari, ac ſeparari nequeant, ſicut patet in auro vulgi, & cæt. At redeamus ad probas.

Item legitur in *Occulta Aurelia Parte altera*, *vol.* 4. *Theatr. pag.* 496. Ad hoc artificium adhibe aquam lunarem, ſive aquam argenti, in qua radii ſolis in occulto conjuncti ſunt.

Hoc eſt, corpus lunare prædictum, ſal, ſeu aqua ſicca noſtra congelata, quæ iterum ab artifice in aquam reſoluta, intrinſecus animam auream continet occultam, quæ ſunt radii ſolis noſtri in ipſo corpore lunari conjuncti.

Hinc *Job cap.* 41. inquit: Sub ipſo erunt radii ſolis, & ſternet ſibi aurum, &c. Nunc ergo Sophorum myſteria, à me unicè, per tot ſæcula in eorum corde ſepulta, detecta, occluſam tyronum mentem aperient, ut etiam intelligere poſſint: cùm Philoſophi dicant: ſine ſole, & luna nullum corpus tingere generatur in arte (ùt Arnoldus) ſive ex auro, & argento vivo Lapidem extrahe tingentem (ùt Iſaaccus, Geber, & cæt.) vel ne operereris, niſi cum argento vivo, & auro, quia

unius ſunt naturæ ( ùt Ros Aurificus, & cæt. ) ſeu: Nîl aliud ſumas, niſi aurum, & argentum, quia aurum aureum, & argentum argenteum tribuunt colorem ( ùt Anonymus, & cæt. ) vel ex auro fit aurum, ex argento argentum, & cum metallis, metalla fiunt ( ùt Paracelſus ) quæ omnia, & cæt. quòd nîl aliud ſemper ſignificent, concipiant, niſi noſtrum prædictum corpus duplex ſolare & lunare vivum, noſtrúmque argentum vivum, noſtrum metallum vivum, noſtrúmque ſpiritum mercurialem, & cæt. & ſic ſemper, & ubique indiſpenſabiliter ſophorum omnium mentem eſſe credant, ut in arcano Philoſophorum *vol.* 4. *Theatr. pag.* 564. ſincerè teſtatur.

Hinc Riplæus in ſexta porta, ſcripſit: etenim ſcias quòd hoc principiô ignoratô, incaſſum labores: nam ſub nominibus prædictis nîl aliud ſemper intelligere debes, quàm ſperma metallicum vivum, nec quicquam aliud eſt, præter ſpeciem cum ſpecie, duo in numero, volatile & fixum, mas & fœmina, agens, & patiens, corpus & ſpiritus, ſol & luna in uno compoſito latentes, quæ duo ſimul Philoſophicè conjuncta in unico ſolo ſimili vaſe



in præparatione ſæpiùs ſolvendo, & congelando convertuntur calore temperatiſſimo ad ſtatum perfectum, de una re in aliam, de natura in naturam, de ſtatu in ſtatum, usque quo naturaliter, ut natura ſub terra peragit, eas in ſubſtantiam unam fixam metallicam perducas ex aqua ſpirituali, mercurialíque puriſſima, & terra ſubtiliſſima in lacteam primò ſubſtantiam redactam, ita compoſitam, ſeu tali ſpermate metallico generatam; quàm inde leniter ipſam ſubſtantiam metallicam diu decoquendo, metalla indurantur, & ex ea ſub terra, à natura componuntur, & ab artifice eadem methodo ſuper terram perficiuntur. Nam, addit Arnoldus in Roſario, materia prima metallorum & Philoſophorum eſt quædam ſubſtantia lactea, ſulphurea, mercurialis, continens in ſe humiditatem metallicam unctuoſam incremabilem, in qua habitat quinta eſſentia metallica coagulabilis, & illa eſt metallum placabile, ſeu vapor potentialis metallicus, per quem, & cum quo metalla generantur, multiplicantur, & à natura ſub terra, ſicut ab artifice ſuper terram perficiuntur.

Quod

Quod eſt humidum radicale in metallis incombuſtibile propter perfectam elementorum colligationem, ut *Sendivogius in ſuo Novo Lumine Tractat.* 2. ſubjungit. Quod inde ita arte noſtrâ paratum, ac in Phialam benè ſigillatam incluſum, cujus tres ſuperiores partes ſint vacuæ leviſſimô æqualíque Lampadis calore decoctum, usque dum poſt varios iterum ut in præparatione vidiſti, colores, ad perfectam rubedinem deveniat in maſſam rubro-obſcuram frangibilem, quam inde, ut ſuprà dictum eſt, ut in prima præparatione feciſti, iterum cum aceto noſtro, ſeu ſpiritu prædicto ſæpe ſolvendo & congelando, imbibendo & evaporando, & ita multiplicando, fuſibilem ut butyrum reddere debes, ac in fine aurô vulgi iterum corporaliter fermentare, ſcilicet ſpecificare, vel propriè loquendo colligare, & cæt. & ita Lapidem verè abſolutum habebis, & tincturam obtinebis, &c.

Et hæc omnia cum ſpermate metallico, per ſperma metallicum, ac ex ſpermate metallico, ex noſtro metallo vivo immaturo, extracto fiunt, quod eſt idem, quod ſuprà dixit Paracelſus, ut nunc edoctus nil aliud ſanè concludere poteris, ſcilicet cum metallis, per metalla, & ex metallis, metalla fiunt. Etenim, ut ait *Sendivogius in ſuo Novo Lumine Tractat.* 3. Hoc ſperma metallicum, cùm metalla omnia vulgi ſint mortua, ibi jam eſt exſiccatum, & ex ipſis extrahere eſt impoſſibile. Et ex corporibus corpora non generantur, ſed ex puro tantùm ſpermate, ut ſuprà dictum eſt, procreantur.

Hinc Marc. Eugen. Bonaccina Philoſophus Mediolanenſ. in ſuo Compendiolo de præparatione auri potabilis *cap.* 3. meritò contra ſophiſtas ita exclamat, dicens: O nimia dementia illorum, qui ex metallis vulgi, & mineralibus extrahere prætendunt mercurium pro materia Lapidis Philoſophici, cùm nîl ſit magis contrarium Philoſophorum omnium doctrinæ.

Unde ad majorem tuam veritatis hujus perſuaſionem, ſequentia auribus tuis percipe, & Nota Bene: Inquit *Laurent. Ventura Venetus cap.* 25. *quem in vol.* 2. *Theatri Chemici* ſimiliter ipſum invenies: Iſtorum, ait, duorum corporum, ſcilicet ſolis & lunæ cum mercurio conjunctio

in hac arte eſt neceſſaria ad album & rubrum elixir perficiendum, quia cum ipſis mercurius commiſcetur, & figitur, ( Nota ) ſed hoc minimè pervenit ad artificem duræ cervicis; nam hoc non intelligitur, ut dicit Roſarius, de ſole & luna, ac mercurio vulgaribus in natura metallica exiſtentibus, ſed bene quidem de noſtro Lapide, ſeu ſubjecto, quod omnium trium in ſe continet proprietates, illa conſiderantur. Et enim compoſitum (attende) ex corpore albo & rubro fixo, & ex ſpiritu mercuriali volatili; non autem ex his, ſicuti ſunt in ſua natura, fit elixir; niſi priùs corpus in ſuam ſpermaticam materiam per mercurium noſtrum, quæ eſt aqua ſui generis, reſolvatur, & inde unâ cum ſpiritu in unum quid inſeparabile conjungatur, & cæt. & ulteriùs addit ( obſerva ) ex qua re cognoſcitur, quòd Lapis noſter non ſit aliquod minerale, nec metallum vulgi, quia in illis præcedit vel calcinatio, vel ſublimatio, & in auro noſtro electrico immaturo ( ut ſuperiùs ibidem ſcripſit) diſſolutio ſemper prædicta præcedit, & cæt. & hæc ſunt verba Laurent. Ventur, quæ cùm ſint ſatis clara, explicatione non indigent. Combina ergo cum antecedentibus omnibus ita congruentibus ſophorũ omnium authoritatibus, & inde contradicas, ſi poteris?

Item vide *Bibliothec. Chem. Curioſ. prædict. Jo. Jacob. Magneti, Tom. 1. pag. 914. in Dialogo Joan. Braccheſchi Brixiani. Qui Dialogus, in Lib. quoque Veræ Alchemiæ, Artísque metallicæ ſimiliter in folio, á Grattarolo Veneto,* ex Italico idiomate in Latinum verſo, invenitur, ubi ex *Gebro, & Lullio* evidentiſſimè probatur, quòd aurum minerale, cæteráque metalla, cùm ſint ad illum ſtatum à natura deducta, nec ab ipſa natura, neque ullâ arte aurum meliùs fieri poſſit, nec alia ad hoc opus habilitare queant; unde nec fermentabilia, neque multiplicabilia, neque ex ipſis ullô modô primum ſperma aurificum, primúmque agens in hac arte quod quærimus. extrahi poſſit. Sed quòd hoc unicum ſal tantummodò ſit primum auri, argentíque ſemen, primúmque Philoſophorum agens univerſale, ac naturæ ad aurum, argentúmque conficiendũ, quod nunquam à natura fuit adhuc ſpecificatum, & quòd hic vapor ſiccus, & vapor humidus, primum metallorum ſperma, ambo, in ventre ſub-

jecti noſtri tantùm incluſi reperiantur,& cum ab artifice ſimul in colore auri eleventur, tunc à Philoſophis aurum vocentur ; quapropter tunc eſt verum, unicúmque auri ſemen, & vapor, ſive ſuccus radicalis, ſulphureus, incombuſtibilis, metallicus mirabilitèr in prædicto ſubjecto incluſus. Et ſapientes ſal hoc mirabile argentum nuncupârunt, ac animam ejus occultam, ſeu tincturam aurum, verúmque Lapidis fermentum eſſe dixêre, & cæt. Et hæc ſunt verba ex *Raymundo Lullio*, & *Gebro in dicto Dialogo Joann. Bracceſchi* relata, atque ex *Alberto magno* 3. *Mether.* Et ſicuti *Virgilius in* 6.*to Æneid.* de materia noſtra tractando, ſeu loquendo, cecinit :

*Accipe, quæ peragenda prius latet arbore opaca*
*Aureus, & foliis, ac lento vimine ramus, &c.*

Inde paulò pòſt, prædicta Virgilii Carmina ibidem ſapientèr explicantur. Item in eodem Dialogo, ſimiliter ex Lullio, ità legitur ( Nota bene ) Hâc in ſcientia partem vegetabilem ſpiritum eſſe, ac mineralem ſal eſſe ſcimus, & quòd in eo ſit occultum Philoſophorum ſol, ſeu aurum noſtrum, & cæt. ac ibidem ex eodem Lullio hæc alia verba leguntur ( Attende ) ſicut prima materia mineralis metallorum eſt unum ſal, ità etiam naturam imitari volentes, per Vulcanum convertimus metallum noſtrum immaturum in ſalem album lucidum, ùt argentum, quod à Philoſophis luna, ſeu argentum vocatur, & in ſuo profundo tenet occultum vaporem illum rubeum ſulphureum, ſol ſive aurum nominatum, & de hoc auro, & argento ſemper Philoſophi loquuntur: ideò non oportet fundamentum aliquod in hac ſcientia facere ſuper aurum, & argentum vulgi mineralia: quoniam hoc ſemper intelligitur ſal; nam omnes Philoſophi hanc medicinam fieri debere dixerunt ex re viliſſima, & aurum atque argentum mineralia non ſunt vilia, & cæt. Et hucusque Lullius loc. cit. relatus.

Hinc ait Hermes in perſona ſalis hujus animati loquendo : ſol meus, & radij mei intranei ſunt in me. Et hoc eſt ſomnium Rhaſis ad Eutheſiam, de homine neci dato corpus album ùt ſal, & cor aureum habente. Undè Riplæus in Accurationibus, & Practicis Raymundi-

nis

nis, inquit: aurum, & argentum Philoſophorum ſunt duæ tincturæ, ſive duo ſulphura album ſcilicet & rubrum in uno corpore tectæ. Propterea legitur in *Libello de Alchemia*, *Dialogi duo*, *ex Gebro*, *pag.* 92. Per aurum, & argentum intellige ſemper ſupradicta duo ſulphura album, & rubrum, ſeu corpus Androgynum ſolare, & lunare noſtrum exteriùs album, interiùs rubrum, argenti quoque vivi nomine ſignificatum.

Et de hoc ſale duplici animato mirabili, vide dictum Riplæum quid dicat in fine Concordantiarum Raymund. & Guidon. ubi incipit: Alia practica de ſale, & mercurio ſimul in liquorem lacteum diſſolutis, & reconjunctis, & cæt. Hoc eſt, ut modò non ignoras, de corpore, & ſpiritu ſimul colligatis, ut ſuprà dictum eſt. De quo artificio, ſive praxi, vide etium *Tertiam Partem Lib. Trium Verborum de Maſſa Solis, & Lunæ circa medium, ex Pandulpho.* Sive *Iſaacc. Holland. in ſuo Oper. Mineral. Lib. 1. cap. 65. 66. & ultra, &c.*

Ac de imbibitionum doſi, methodo, & menſura in prima ſalis præparatione ſervanda, vide *Pariſinum in ſuo Elucidario Lib. 3. in Appendice Practicæ Vol. 6. Theatr. & cæt.*

Ex tot prædictis ergò authoritatibus uniſonis ex omnibus ferè Philoſophis congruentibus relatis, qui omnes, quamvis natione ſint diverſi, ac in omnibus & per omnia in prædictis documentis ubique conveniant, clarè patet, quòd hæc ars ſit unica, & materia unica, ac regimen unicum, atque quòd omnes ſophiſtarum operationes, aliáque eorum ſubjecta, ſeu metalla omnia, mineraliáque & cæt. ſint vana & in hoc opere inutilia, ac quoque evidentiſſimè elucet hanc veriſſimam eſſe ſcientiam, etenim ſi vera non eſſet, impoſſibile foret, quòd omnes generaliter tam antiqui, quàm moderni, tam Græci, quàm Arabes, tam Latini, quàm Galli, & cæt. ut ex prædictis ubique notâſti, tam fuiſſent in doctrinis concordes. Nec ultra igitur locum habebunt Chemicolæ, unde prædictis ampliùs contradicere poſſint, niſi ſint totaliter cæci, vel mente capti ligandi. Ac inde omne dubium incredulis ceſſare debet, cum de hujus ſcientiæ veritate experientia nos docuit.

Hoc etiam interim ſequens obſcuriſſimum ſophorum ſophiſma,

ne fortè confundaris, explicare debeo: Inquit enim Morienus: cum corpus album fuerit calcinatum, pone in eum quartam ſui partem de fermento auri, & leniter ita cum aqua ſua decoque, donec unum fiant corpus ſine coloris diverſitate & cæt. Unde cum memoriam habeas, meminiſti eorum, quæ ſuprà ex Riplæo te docui, dicente in uno ſuo de Lapide minerali capite, quòd terra ſit fermentum aquæ, & è converſo aqua ſit fermentum terræ: ac ex Guidone de Montanor in Scala Philoſophorum in nono gradu aſſerente, quòd corpus, ſeu cinis noſter ſit fermentum auri, & aurum ſit aqua noſtra, & aqua noſtra ſit fermentum corporis: ergo nunc Morieni myſterium intelliges? etenim cum dicat Guido, quòd aqua noſtra ſit fermentum auri, nîl aliud Morienus indicare voluit, niſi quod poſtquàm corpus ſit optimè cum aceto noſtro apertum, ſolutum, calcinatum, & depuratum, inde quod quartam aquæ, ſeu ſpiritûs partem ſuper illud ſingulis vicibus ſucceſſivis ſemper imbibendo ponamus, donec poſt multas repetitas ſolutiones & coagulationes in igne leviſſimo evaporando peragendas & humectando, ad unam ſubſtantiam æqualiter albam ſine coloris diverſitate, lacteam, ut ſupra dictum eſt, denique deveniat.

Unde in fine concludendum eſt, quòd hoc unicum ſal alkali fixum metallicum noſtrum aurificum & Lunificum ſit unicum aurum & argentum ſapientum, unicúmque Lapidis fermentum tam ad album quàm ad rubrum, & ſpiritus ſit corporis fermentum, & quòd ſit verum ſemen auri, ac prima ſophorum, metallorúmque materia tam in orbe per tot ſæcula fruſtra quæſita, & a me unico unicè absque ulla invidia ad proximi beneficium ſincerè publicata. Ideóque *Bernhardus Penotus Aquitanus vol. 1. Theatr. in fine ſui tractatûs in concluſione totius operis, pag. 681.* poſt varias, ad ſimplices excæcandum, multorum ſalium deſcriptiones, denique inquit (NB.) unum unicum dico tibi, quod ſal alkali eſt, omnibus ſalibus dignius, & cum ſit Philoſophicè reſolutum, eſt oleum fixum metallorum, quod ſiccitas ignis congelavit, & cæt. Ideò cor tuum in hoc unico ſale alkali ponas, etenim eſt arcanum in hac arte præſtantiſſimum: quandoquidem omne fixum vertitur in fi-

xo, & in naturam fixi metalli. De quo Deus creator in æternum ex creaturis, in creaturis, & per creaturas benedictus sit semper, Amen.

Hinc *Sendivogius in suo novo Lumine Chemico tractat.* 12. de Lapide ejusque virtute, subjungit; & sic hoc locô verissimam Hermetis explicationem habebis, asserentis, patrem ejus esse solem, matrem verò lunam, & quod ventus portaverit illud in ventre suo (Nota) nimirum sal alkali nostrum, ex cælo proveniens, quod Philosophi sal armoniacum, sal tartari, sal vegetabile, & cæt. nominârunt, in ventre materiæ nostræ occultatum, & cæt. & vide ibidem ulteriùs in epilogo, seu conclusione dicti sui novi luminis, ac sedulô superciliô de hoc unico sale sapientiæ sapientum, quid ipse Sendivogius ibi concludat, attentè perlegas.

De quo sale aurifico vide etiam *Tractat. de vera ratione Lapidis progignendi supra citat. vol. 4. Theatr. pag. 396. 397. & ultra, &c.* Et quod sit unicum sal alkalicum sophorum, ex quo unicè nostrum elixir ad lapidem sapientum conficiendum præparatur, vide concordantiam in prima dispositione speculi Alchemiæ Arnoldi Villanovani.

Propterea dicit Philaletha in suo fonte Chemico ultra medium: hoc est unicum argentum vivum nostrum, non vulgi, sed liquor salis purissimi, quem mercurium nominamus & cæt. & sedulò perlegas annotationes *Nicolai Flammelli vol. 1. Theatr. ex Avicenna pag.* 767. Et pro veritatis confirmatione vide etiam instructionem de arbore solari anonymi cujusdam Galli authoris celeberrimi ad filium suum scribentis *vol. 6. Theatr. prædicti, pag.* 166. *sive Hydrolitum sophicum, seu Aquarium sapientum Part. 2. post Carmina.* Atque opus minerale magistri Isaacci Hollandi, ubi cùm suam percipias intentionem, ac rosas ex spinis seligere valeas, ibi facillimè omnia in hac arte necessaria comprehendere, atque addiscere poteris.

( o )

# Caput Duodecimum.

## *Quomodo vinum album, & rubrum Philosophorum* confici*tur. Prima basis in hac arte, ex quo aqua vitæ sapientum seu spiritus mercurialis sophorum, vel aqua ardens nostra extrahitur, & acetum nostrum præparatur, atque ex suo tartaro sal sapientiæ eruitur; & cætera sophorum arcana.*

ANtiqui Philosophi, sicuti tunc temporis vitrum erat ignotum, vinum Lullianum, ac acetum nostrum ignorabant, quia sicuti vitri carentes, non tam commodè, quamvis illud sciviſſent, propter multas distillationes, & rectificationes peragendas, aquam ardentem, & spiritum aceti ex chaote nostro obtinere potuiſſent, iraque aliam in præparatione materiæ viam habuerunt, quam viam siccam vocârunt, scilicet ex materia remota per lapideam, sive terream retortã distillatione sic câ spiritum acidulum eduxerunt, quo spiritu unico unicè tantùm into to opere utebantur. De qua via sicca multi quoque scripserunt, aciplusi sunt, & Georgius Canonicus Riplæus in sua medulla illam ita indicavit, cum dicat: videtur etiam aliô modô docere, quomodo hæc aqua, seu spiritus vini nostri haberi possit, qui dicitur mercurius, quam inde idem Riplæus satis apertè docet in cap. ubi incipit: Alia via vel forma distillationis, & cæt. & Rogerius Bacco in suo speculo dicit; e chaote naturali, corpus quod est magis ponderosum pone in distillatorio, & extrahe suum sudorem, seu spiritum, & tunc habebis in tua potestate unum ex nostris mercuriis, & cæt. cum duo sint mercurii nostri seu spiritus, unus est acidus, alius verò dulcis, quos ambos per viam humidam ex vino antea confecto faciliori modo obtinemus, de qua etiam methodo per viam siccam ut supra, vide *tractat. Gloria mundi vol.* 6. *Theatr. pag.* 516. quam viam siccam alii quoque recentiores calcârunt, & in eorum scriptis cum alia intermiscuerunt, & ita non parum confusionis inexpertis causârunt, quamvis in extractione tantùm spiritûs differat, ac in via sicca ex capite mortuo sal subinde eduxerunt, & nos in via humida sal ex tartaro vini eruimus, aliàs postmodum æquali methodo procedendo ambo perficiuntur. Nihilominus alias quo-

que

que præparationis vias ad opus abbreviandum alii invenerunt, & secundum artificis industriam aliæ in prima præparatione sunt breviores, aliæ longiores, quamvis tamen omnes unicam hanc semper sumpserint materiam, ut *Isaaccus Hollandus in suo oper. mineral. lib. 1. cap. 16. ita testatur.* Unde opus in principio, in præparatione materiæ videlicet, variari potest, sed post præparationem, unica semper est via, unum regimen, & tam in via antiqua, quàm in moderna, tam in via sicca, quàm in humida, eâdem methodô proceditur. Ut Philaletha, & cæt. declarant; ac in unico vase, unicoque igne perficitur. Temporis verò successu recentiores vinum, acetúmque nostrum adinvenerunt sapientes, sicuti quoque nunc hanc, nunc aliam in primo præparationis opere methodū breviorem, vitra, vasáque diversa nonnulli excogitârunt: hinc maxima inexpertis oritur confusio, quapropter ubique antiquam viam siccam cum humida, aliásque præparationis vias hinc inde cum communi commixtas invidi in suis scriptis miscuerunt, adeò ut scripta eorum inextricabilis labyrinthus appareant. Verum enim verò scias, quòd quamvis materiæ præparatio diversimodè, ac sub metallorum, mineraliúmque præparationis velamine à Philosophis describatur ubique, ut inter cæteros ex Philaletha, Riplæo, Lullio, & cæt. reperies cum de regimine saturni, de opere jovis, de regimine veneris, de opere martis, de opere Rebis, de regimine solis, lunæ, sericonis, melle, plumbo, tartaro, & cæt. tractantibus, semper de regimine salis nostri intellexeruut, & secundum colorum variationes in præparatione apparentium huic sali nomina imposuerunt, ut suprà declaravimus, tamen ad hunc unicū semper tendunt finem. Scilicet sal optimè à fæcibus depurare, volatilizare, & post varios colores illud perfectè dealbare, & suo cum spiritu intimè conjungere, quæ omnia in unico vase post primam primariam divisionem fieri debent, ut suprà dictum est.

De quo vino in hac arte valdè necessariò, ubicunque documenta ex Lullio, Parisino, Rupe-scissa, & cæt. abundantissimè reperies, ex quo, spiritus noster mercurialis, vel aqua ardens, seu menstruum vegetabile, ac etiam ùt spiritus aceti, quod est aliud menstruum resolu-

tivum

tivum cum quo corpus ſolvimus, mirô modô extrahuntur. Inqu
enim Pariſinus in ſuo Elucidario *Lib. 1. cap.7.* Inter omnia vegetabil
unum eſt, quod ex vegetabilibus præparatur, & optimum conficit
vinum, atque ex hac unica re quintam eſſentiam ſuam parant ſapie
tes, quæ eſt materia Lapidis noſtri occulta. Et ulteriùs ibidem addu
Lapis noſter eſt aqua ardens perfectè rectificata cum ſuo corpore con
juncta, à vino noſtro orta, per quam idem corpus calcinatur, reſolvi
tur, & purificatur. Et qui aliam putant aquam (Nota) illi nunquam bo
num finem aſſequuntur, & cæt. Itaque cùm dicant etiam Philoſophi
recipe ſal tartari, intellige ſemper noſtrum ex vino ſophico confectum

Philoſophi autem nonnulli recentiores quoque, ut dictum eſt
per viam ſiccam, diſtillatione ſicca, ut ſuprà docuimus, hanc aquam
obtinuerunt, ſed ego non conſulo. Sicuti etiam terram pluribus mo
dis alii præparârunt: alii enim per violentas diſtillationes, & repetitas
cohobationes puriſſimam mediam ſalis ſubſtantiam extraxerunt, de
qua methodo Lullius etiam ſcripſit. Alii more aquæ fortis ſal cum vi
tro triturato, ſeu cum eodem tartaro pulverizato, vel cum illa ſubti
alba terra inutili ex eodem ſale per ſolutionem & filtrationem ſepara
ta, impaſtârunt, quod inde vel ſublimârunt, vel per retortam tubula
tam medium ſalis aſtrum obtinuerunt, ut inter cæteros *Geber vol. 4.*
*Theatr. in ſuo Proceſſu, pag. 343. docet.* Alii per fuſionem in crucibulo, ub
viriditas illa à Philoſophis decantata, & ſub regiminis Veneris nomine
deſcripta, apparet, ſimiliter puram ſalis ſubſtantiam à fæcibus erutam
habuerunt, ut author Lib. de magni Lapidis compoſitione *Vol. 3. Theat.*
*pag. 33. indicavit, & cæt.* Sed omnes ſunt viæ quamvis breviores valdè
difficiles, & nimis periculoſæ. Unde conſulo, ut ne te tædeat operis
prædocti prolixitatis, & viam rectam, quam ſupra te docui, retineas
per quam omnes Philoſophi prudentiores ad optatum finem pervene
runt, ut ait Riplæus. Verùm enim verò non neſcio, quòd nonnulli
Philoſophi, ſed pauciſſimi aliam quoque humidam breviorem viam in
præparatione materiæ habuerint, de qua Chortolaſſeus in ſua Epiſto-
la ad Erneſtum Coloniæ Electorem funditùs ſcripſit, quamvis metho-

dum

dum non declaraverit, ſed quomodo fiat, alii quoque omnes tacuerunt, & pro ipſis reſervârunt, ut *Philaletha in ſuo Introitu Aperto cap. 19.* fatetur. Cùm verò de hac breviori ſalis præparationis methodo iſti pauci qui ipſam poſſederunt, nîl penitus ſcribere voluerint, ego quoque illam ignoro, itáque excuſatum me habeas, ſi hanc te docere nequeam; cùm neque meus magiſter callebat, imò non credidit, & mihi dixit, quòd iſti alliciant homines, ut procurent, ſi fortè eſſet poſſibile, aliam præparationis breviorem viam invenire, cùm communis ſit reverâ nimis diuturna & tædioſa. Hinc diſcipulus Anonymus præ-dicti *Joann. Chortolaſci*, *in ſuo Tractatu*, cujus titulus eſt: *Myſterium Occultæ Naturæ de duobus Floribus Aſtralibus*, *in Bibliotheca Chemica Curioſ. Jo. Jacob. Mangeti Tom. 2.* relatus, ſcripſit: Hìc maxima nunc oritur difficultas, pauci enim ſunt, qui (cùm nemo Philoſophorum hanc ſalis breviorem præparationis viam poſſidentium, modum aperire voluit) rectè ſciant, quâ methodô breviori Corpus hoc Phyſicum à duris ſuis vinculis ſit reſerandum, & occultum puriſſimum manifeſtandum, ac purum ſalis aſtrum centrale in apertum ſit producendum. Hinc eſt quòd omnes Philoſophi tam veteres, quàm Recentiores hanc ſalis præparationem in prima præparatione tanto cum ſtudio, quantô materiam ipſam, imò multò majori occultârunt, ùt ipſimet fatentur, dicentes: Omnia tibi revelavimus, exceptô hôc unicô artis ſecretô paucisſimis notô, quod nemini revelare licet, & cæt. Et reverâ niſi prædictam præparationis viam longam, communémque ubique deſcripſerunt. De qua Via præparationis breviori Geber in ſua ſumma dicit: Una eſt perfectior præparationis via occulta, atque facilis, quâ in hujus materiæ præparatione relevamur à tantis diuturnis laboribus, & oneribus ſolutionum, & coagulationum, paucisſimis filiis noſtris nota. Multi autem multa experimenta fecerunt, & hactenus, prout ſcio, nîl aliud invenerunt, niſi in Cellare humido aëroſo ſuper vitra plana hoc ſal ad ſolvendum imponere, tela coopertum, & purum ſolutum, fæcibúsque relictis, iterum evaporare, iterúmque in Cellare collocare, ac ita proſequendo, ac ſubinde cum ſpiritu aceti noſtri toties ſolvendo, &

congelando, purum oleum ſalis hujus nigro-rubrum in fine obtinere ſed hoc etiam non eſt breve inventum opus. De quo *Iſaace. Holland.* ſuis *Fragmentis Vol.* 2. *Theatr. pag* 129. De materia ſolvenda, & alibi, alloquitur: unde ad quam volueris, porrige manum. Quæ Cellar humiditas eſt unus de ignibus noſtris contra naturam, qui aliunde ſumtur, quàm à materia, & absque ſumptu habetur, ut Artephius, Riplæus Ros Aurificus, & cæt. ſcripſerunt; alii verò duo ignes noſtri naturæ contra naturam ex eadem materia ſumuntur, & absque ſumptu habe nequeunt. Ut ſuô locô funditus de ipſis tractabimus.

Unde Senior ita prædicta confirmat, dicens: Nîl majus occulu verunt Philoſophi, quàm juſtam materiæ proximæ præparationem quia eſt difficillima rerum in arte. De qua addit Agricola minor; primo præparationis opere multa jacet tarditas, & eſt clavis artis. ſimilia Lullius confirmat.

Sed ad practicam, viníque noſtri conficiendi methodum deſcen damus: In primis igitur maximam materiæ remotæ copiam ſumas; vinum tuum ſapienter conficias, at quomodo, vide Weidenfeld, qu propter quamvis ipſe non fuerit adeptus, multa revera intellexit, multa ſcripſit; vel vide *Quercetanum in Thetrad.* quod oretenus inde docebo. De quo vino ubique Lullius, Pariſinus, Rupe-ſciſſa, & ca ſatis ſcripſerunt, atque etiam in *Carminibus Vol.* 3. *Theatr. pag.* 742. d cetur. Quòd ſi poteris aliquem Philoſophum invenire apertis verb vini, acetíque methodum conficiendi docentem, beatus eris, quem ſi cilè multa perlegendo reperies: at ubi ſit ille, ſcribere non licet. Quo poſt factum diu prope calorem retineas, donec ampliùs fermentare no lit; inde divide ipſum in duas partes, ac unam pro aceto ſerva. Prima interim diſtilla, & binis ſaltem vicibus rectifica, & ita ſpiritum vit noſtrum, ac unum ex noſtris præſtantiſſimis mercuriis habebis, & phl gma ſuper partem pro aceto ſervatam projicias, ſive infundas, ac di prope calorem retine, donec bene aceteſcat. Deinde ex fæcibus vin ſive nigerrimo ſuo tartaro bene calcinato ſal erue, ut docet *Paracelſ. in ſuis Congeriis Chymiæ cap.* 11. & ita corpus quoque obtinebis, & ſpi tu

tum & corpus in tua poteſtate habebis. Ex alia quoque parte ſubinde, quam pro aceto ſervaſti, cum jam poſt longum tempus acedinem acquiſiverit ſufficientem, ſpiritum ſimiliter extrahas, quem unica vice tantùm rectificabis. Et ita omnia operi noſtro neceſſaria ex una ſola re provenientia, ut ait Geber, habebis.

Quod ſi poſtea rubrum vinum, certè meliùs ut ait Lullius, confi-cere cupias: materiam prædictam in gummi rubro-nigro per evaporationem Vulcano mediante reſtringas, quam inde ipſomet vinô albô calidô ſolvas, iterumque ſubinde ſimul commiſceas, & ita vinum rubrum aureum habebis, ac ponderoſius. Et vinum hoc eſt prima Baſis, artísque noſtræ principale fundamentum, ut ait Lullius, ſine quo nîl fieri poteſt in magiſterio hujus artis.

Hinc *Nicolaus Flammellus ex Roſario, in ſuis Annotationibus, Vol.* 1. *Theatri erga finem Voluminis inſert*: inquit: ſuccus lunariæ fit ex vino noſtro, quod vinum paucis in orbe notum eſt, & cum illo ſucco, ſcilicet ſpiritu fit noſtri corporis fixi diſſolutio, & fit aurum potabile noſtrum, mediante illo, & ſine illo nequaquam. De quo ſubinde corpore fixo, ſeu ſale noſtro, ex tartaro vini prædicti extrahendo, vide *Avicennam in declaratione Lapidis Philoſophici Filio ſuo Aboali, Tom.* 1. *Bibliot. Chem. Curioſ. Jo. Jacob. Manget. pag.* 633. *ultra medium.* Ubi incipit: volunt iterum Philoſophi, & cæt. quod ſal, ſeu lapis ſalinus noſter, addit ibidem Avicenna, eſt materia prima, proximáque metallorum, ac unica Philoſophorum in arte ſubſtantia, ſeu argentum vivum eorum ad Lapidem Philoſophicum conficiendum, nec aliud in orbe. Unde Lullius de hoc unico ſophorum vino, ſaléque ſuo in hac arte neceſſario, *in Lib. de Medicin. ſecret. pag.* 336. ſubjungit: Hucúsque non diximus tibi rem ſecretiſſimam, quæ eſt quinta eſſentia noſtra incorruptibilis corpus noſtrum prædictum diſſolvens, extracta à vino albo vel rubro: (ſemper noſtro intelligas) quæquidem quinta eſſentia, eſt principale fundamentum, myſteriúmque artis noſtræ occultiſſimum, ac principalis Lapidis noſtri materia, metallorúmque proxima ſubſtantia valde in hac arte neceſſaria, ſine qua nîl fieri poteſt: unde mi fili, ſi habueris ipſam, habebis to-

totius Lapidis noſtri magiſterium, & ſine qua nihil. Quia addit *Bernhardus, pag.* 43. *ſuæ Epiſt.* Corpora non diſſolvit aqua, niſi illa met, qua fuerit ſuæ ſpeciei, & in corpore ſuo inſpiſſari, figi, ſeu congelari poterit: ſolvens enim à ſoluto, ſeu ſolvendo, differre tantùm debet proportione, ac digeſtione, non autem materia? & cæt. Ideóque quia ſpiritus & corpus ex eodem ſubjecto procedunt, dixerunt Philoſophi: ſolvite aurum (nempe noſtrum, ſcilicet corpus) aquâ ſui generis) natura enim, ſequitur Bernhardus, non emendatur niſi in ſua natura, non poteſt igitur materia noſtra corporalis aliter quàm in ſua propria emendari materiâ ſpirituali, & cæt. Unde Chemicolæ conſiderare debent quòd ſi corpus eſſet aurum vulgi; ubinam inde aqua ſui generis haberetur? & ex aliis metallis, quomodò ex ipſis aqua extraheretur?

Propterea hoc eſt certum, quòd ſi ſpiritus non eſſet aqua ſui generis homogenea, nîl unquam in ſuo corpore operaretur, neque ſecum inſeparabiliter in æternum conjungeretur? natura enim natura gaudet, natura naturam continet, & natura naturam amplectitur. Habemus naturale exemplum inter virum & mulierem: ſemen enim viri, ſi non eſſet ejusdẽ naturæ cum muliere, quamvis ſexus ſint diverſi, nîl unquam in illa operaretur, nec cum ſemine alieno embrionis conjunctio fieret in ipſa. Unde vide *Lullium cap.* 60. *ſui Teſtam.*

Chymiſtarum autem aquæ hoc facere nequeunt, quia non ſunt aquæ ſui generis, imò contrariæ, & ita metalla deſtruunt, & ſuam ſpeciem diſſipant, quamvis etiam metalla eſſent ad hoc apta, quæ non ſunt? Itaque meritò à *Lullio* 9. *ſuæ Epiſt.* Accurtator: Chymiſtarum aquæ, aquæ mortis vocantur? & è contra aqua noſtra, aquavitæ nuncupatur; ut *Pariſinus Vol.* 6. *Theatri pag.* 231. *confirmat.*

Hinc *Morienus pag.* 52. de Chymiaſtris loquendo, ait: ſinas ſtultos circa hoc magiſterium aliam aquam, & materiam quærere, & quærendo errare, quoniam abſque ipſa ad ejus effectum nunquam pervenient, usquedum ſol & luna in unum corpus in cælis redigantur, quod abſque Dei præcepto evenire nequit, ac tantummodo in terris per unicam aquam noſtram, arte noſtra, Deo permittente, fieri poteſt.

Hinc

Hinc ergo clarè elucet, quòd prima Baſis totius hujus artis principalis in ſpiritu vini Philoſophici ſuô ſale acuatô & conjuncto, conſiſtat? ſtude ergo ad hoc vinum inquirendum, & ſuum tartarum diſanimandum, quoniam non eſt vinum commune, ut fatui putant? ſed Philoſophicum, & occultiſſimum, ut ſupra ex Flammello audiviſti. Et etiam attendas ad hunc ſalem acquirendum: hac enim operatione abiêrunt flumina in ſiccum, & apparebit piſciculus ille echenius lucens ut argentum nobis valde charus, quamvis amarus, quem fluminibus exſiccatis in profundo reperies. Quare ait *Job in fin. cap.* 41. Non eſt enim ſuper terram virtus, quæ comparetur ei. Unde in prædictis totum tuum ſtudium impendas: Etenim

*Non venit ex molli, veneranda ſcientia, lecto.*

Itaque inquit *Riplæus cap.* 2. De lapide vegetabili: vinum commune eſt calidum; ſed eſt aliud vinum vulgo-chemico ignotum multò calidius, cujus tota ſubſtantia propter abundantiam ſuæ igneitatis, & aëreitatis facillimè inflam̃atur in igne, ideò vinum ardens & aqua ardens vocatur, in cujus tartaro nigro unctuoſitas metallina incremabilis latet (ſcilicet ſal prædictum) cum qua aqua ardente, addit *Riplæus in* 3. *porta*, Lapidē noſtrum, ſcilicet ſal, vel terram noſtram revivificare debes, unde vide ut eam ſæpius per ſe diſtilles, antequam cum ea opereris, & cæt.

Et inde ex fæcibus dicti vini, ſeu tartaro nigro calcinato, fac ut docet *Paracelſus in ſuis Congeriis Chymiæ cap.* 11. ubi inquit: arcanum tartari ſimiliter eſt amovendum, ut ſola puráque media ſubſtantia (alba ſalina videlicet) remaneat, quam inde facilè mediante ſpiritu in aquam Philoſophicam viſcoſam permanentem convertere poteris, & cæt. Quæ aqua viſcoſa unctuoſa ſalſa amara fætens, ex corpore ſoluto confecta, eſt illud menſtruum fætens antea reſolubile; poſt autem mediante ſuo ſpiritu ſolutum, & in oleum redactum, tunc eſt menſtruum fætens, à Philoſophis tam decantatum. Et ſpiritum prædictum acidum cum quo ſolvitur corpus, menſtruum reſolutivum Philoſophi vocârunt, atque ſubinde cum ſpiritu vini noſtri corpus jam, ut ſupra, ſolutum inſeparabiliter conjungitur. Quæ conjunctio, ſive univerſalis commix-

tio, eſt prima magiſtra clavis in arte, ut *Richardus Anglicus cap. ultimo ſui Correctorii declarat.*

De quo prædicto autem nigro tartaro vini noſtri combuſto, ex quo ſal hoc eruitur, ait Lullius: hic tartarus eſt nigrior tartarô ex nigris uvis Cataloniæ genitô, quo circa abipſomet Lullio, atque Riplæo, nigrum nigrô nigriùs vocatur. Et hic tartarus vini noſtri eſt, de quo dicit idem *Lullius Lib.* 1. *ſui Teſtam. Noviſſimi*: calcina fæces vini, vel tartarum ejus, & imbibe cineres, ſcilicet ſal ex eo erutum, cum aquavitæ rectificata, & ita acuabis illam, & cæt. ſcilicet imbibe ſal ejus cum ſpiritu, ſeu aquavitæ noſtra, quæ eſt aqua ſui generis prædicta. Hinc addit Lullius ibidem; & per hunc modum augmentabis, & perficies ſal vegetabile vini noſtri cum ſua propria aqua; ſili hæc acuitio fit ſemper cum aqua ſua, ſuoque ſale conjuncta, & de hoc ſale vegetabili in clavicula noſtræ magiæ naturalis figuratè deſcriptô intelleximus, ubi diximus (Nota Ben.) acuas ſpiritum, ſeu menſtruum tuum cum vegetabilibus pertinentibus, quæ ſunt apium, ſquilla, ſolatrum, piper nigrum, & cæt.

Unde nota quòd ipſemet Lullius ſe declaret, fateatur, & aperte dicat, quòd nomina prædicta ſali noſtro impoſita, ſcilicet ſquilla, piper ſolatrum, & cæt. ſint fictitia, & illuſoria, ſed de hoc unico ſale minerali, animali, & vegetabili, ſub prædictis nominibus occultato ipſe intellexerit, quo tantùm ad ſuum ſpiritum, ſeu aquam ſui generis acuandam indigeamus. Unde *Riplæus cap.* 2. de Lapide vegetabili circa medium nos ſincerè animadvertit, dicens: quòd Lullius ſub pallio Philoſophiæ hoc unicum ſal, cum quo tantummodo ſpiritum acuere debemus, & ſimul conjungere, cum nominibus prædictis illud abſconderit, ut ipſemet Lullius, ut ſupra notaſti, fatetur. Et pro rei confirmatione, vide *Arcanum Philoſophorum Vol.* 4. *Theatr. pag.* 563. Atque *Theobaldum de Hoghelande pag.* 62. 63. *vel Harmoniam Chemicam in prædicto Vol.* 4. *Theatr. pag.* 727. & ibi, quid ſignificent euphorbium, apium, ſquilla, piper, chelidonia, & cætera nomina huic unico ſali à Lullio figuratè & cabaliſticè impoſita, videbis. Et ita ſophorum cabalæ, atque myſteria pe-

diu

diuturnum ſtudium dilucidantur,& intelliguntur; quapropter ipſimet quæ in uno loco occultârunt, alibi detexerunt, ut ſupra fecit Lullius. Et ita ſemper ſimiliter intelligas,quando de ſale armoniaco, ſale herbarum, tartaro Bononienſi, ſaccaro, vino, melle, ſive favo, urina, rotella, nitro, vitriolo, & ſimilibus Philoſophi loquuntur, ubi ſimplices halucinati plures eſſe materias credentes, veram ac meliorem eligere neſciunt, & quòd Philoſophi in omnibus hujus modi rebus auro vulgi commixtis laborâſſe putant, & ſunt decepti. Verùm ſi regulam ſupradictam generalem teneas, ſcilicet quòd ubicunque de corporibus ſolidis, lapideis, metallicis, calcibus, & cæt. Philoſophi loquantur, nil aliud ſemper velint, nec intelligant,quàm unicum hoc ſal; & cum de fluidis omnibus, aquis, ſpiritibus, oleis & cæt. tractent, ſemper hunc unicum ſpiritum duplicem noſtrum putent, certè non errabis.

Si autem more antiquorum absque vino, & aceto per viam ſiccam, ſpiritum Hermaphroditum habere cupias, qui eôdem tempore ſolvit, & dealbat,& cæt. methodum obſerva ſequentem in *Tractat. Gloria mundi Vol. 6. Theatr. pag.* 516. edoctam, ubi incipit *Numer.* 11. Alia concordantia, & cæt. & ita aceto non indigebis, cum in hac via ſpiritum extrahes acidulum,quo corpus ſolvere, rubificare, & dealbare eôdem tempore poteris; ſed non conſulo: accipe enim,inquit,hanc unicam rem, & per alembicum aquam extrahe, & rectifica, & cæt. Et ex capite mortuo in fundo retortæ remanente, in cinerem antea perignem redacto, ſal erue, & cætera ibidem perlegas, quæ author proſequendo te docet; ſicuti ſimilia pluribus in locis ex antiquis invenies, ut inter cæteros hanc viam quoque ſiccam, nempe ſpiritum acidulum per diſtillationem ſiccam retortâ mediante extrahendi methodum, author *Anonymus Vol.* 3. *Theatr. Lib. de Alchem. cap.* 17. deſcripſit, ubi poſt multa,dicit; & in continenti quo iſta terra ( ſcilicet ſal ) in aquam iſtam cadet, jam ebullire incipit, & cæt. quia ſicuti ſpiritus hâc via extractus eſt acidus, & ſal eſt alkalicum, ita ſimul commixti ebulliunt, atque ferveſcunt, ut etiam penes Riplæum, Rogerium Bacconem in ſuo ſpeculo, & cæt. prædicta reperies. Ego autem ut dixi, ut huic viæ adhæraa-

hæreas, non consulo, quare absque vino, ex 50. materiæ libris, vix me
diam spiritûs libram obtinebis, & maxima cum difficultate; & in hac
arte magnâ spiritûs copiâ indigemus, ut *Isaaccus Holland. in suo opere Mi*
*neruali Lib. 1. cap. 30. & cap. 38.* & alibi, testatur. Deinde post spiritûs
extractionem, ex capite mortuo calcinato, ut supra dictum est, etiam
hâc viâ sal eruere poteris, & sicuti ex tartaro nigro vini, ut audivisti,
eruitur. De qua materia in tartarum nigrum per ignem redacta, in
Anonymus in Consilio conjugii de massa solis & lunæ erga finem pri
mæ partis, scripsit; hæc autem, inquiens, albedo salis non habetur, ne
fit primo sine magna nigredine materiæ combustæ, in cujus ventre
albedo ista salis candidissimi nostri, & cæt.

Quod sal tartari nostri una cum spiritu vini simul ambo conjuncta
sunt illæ duæ res ex una re provenientes, quæ inde Rebis vocatur, sc
licet bina res, & tunc est materia pròxima Lapidis nostri, de qua vid
dicta sapientum *Vol. 3. Theatr. pag.* 859. Atque *Philaletha in suo Introit*
*aperto cap.* 24. Et dicitur Rebis, scilicet corpus & spiritus, sive aqua &
terra in unum conjuncta, nempe in terraqueam massam ambo in unum
corpus sine divisione colligata. Hinc Ovuenus ait:

*Terra atque unda globum faciunt, quis crederet? unum.*

Cum autem corpus hoc sit duplex, scilicet animatum, ut supra dictum
est, & sol & luna, sive corpus solare & lunare vocetur, & spiritus etiam
aquavitæ dicatur, ita dicit Lullius: hoc verò compositum, sive mag
sterium ex tribus consistit, scilicet corpore, anima, & spiritu, hoc est, so
le, luna, & aquavitæ. Velut addit ros aurificus: Lapis noster fit ex au
ro, argento, & mercurio Quod est unum per idem. Itaque *Garla*
*dius cap. 13.* ait: hic lapis triplex est & unus, quatuor habens natura
& tres colores principale, scilicet nigrum, album, & rubrum, & ex spi
ritu, anima, & corpore constat.

Nunc ergo jam habes spiritum & corpus, & consequenter ani
mam, cum anima rubra aurea in ipso corpore lateat occulta; & habes
masculum & fæminam; aquam & terram; agentem & patientem.
damum & Evam. Kibricum & Bejam. Sulphur & Mercurium.


teriam & Formam. Solem & Lunam. Solvens & Solutum, & cæt. ita à Philoſophis iſta bina res nuncupata, quæ omnia unum ſignificant, & ſunt Philoſophica ſynonima, quas duas res, ut dictum eſt, inſeparabiliter in unum colligare debes ad opus ſecundum decoctionis, ſeu fixionis tuum incipiendum. Hoc eſt, ut ait *Philaletha in ſuo Introitu aperto cap. 6.* ſolvens & ſolutum, agens ſcilicet & patiens in hoc opere intimè conjungi debent ſine ulla ulteriori ſeparatione: Unde ſi tu hanc aridam terram aqua ſui generis irrigare ſciveris, ut ſimul inde conjungantur in unum, beatus eris, & cæt. Hoc opus hic labor eſt; Etenim ſolem & lunam, ſive cælum & terram ſimul in unum colligare, non eſt leve, nec breve Philoſophorum opus, ut ignari putant: ſed, ut idem *Philaletha loc. cit. cap. 8.* declarat, ſatis laborioſum, & tædioſum, propterea meritò Herculeus labor à Philoſophis vocatur. Ut *Fridericus Gualdus in Critica mortis in ſua Epiſt. pag. 118.* Augurellus, Paracelſus, & cæt. teſtantur. Unde legitur in tractatu arcani Hermeticæ Philoſophiæ Canon. 42. In Philoſophica primâ materiæ, ſive mercurii noſtri præparatione, Herculeus labor operanti incumbit, nam ſine Alcide expeditionem Cholchicam fruſtra tentâſſet Jaſon, & cæt. In qua corporis, ſpiritúsque difficillima ac diuturna conjunctione, Philoſophi, quod Draco cum cauda ſua caput ſuum devoret, dixerunt: quapropter corpus ſpiritum ſemper bibendo devorat; Hinc *Senior Vol. 5. Theatr. pag.* 233. inquit; ſpiritus eſt Draco, & ſal eſt cauda ejus. Quid ergo lucidius? hanc diuturnam, difficillimam, tædiosámque primam materiæ præparationem, ſive cæli terræque conjunctionem, Rhaſis in lib. præceptorum, pondera Philoſophorum propriè vocavit, quæ Philoſophi præ cunctis aliis arcanis magis occultârunt, ut ex variis eorum ſcriptis elucet, cum ubique inexpertis diſcordes eſſe videantur, quamvis unanimes unum ſentiant, quapropter hanc mirabilem conjunctionem ſub nominibus infinitis metallorũ, & aquarum fortium, ſalium, corporúmque diverſorum aquis diverſis, ſpiritibúsque multis conjungentium, palliârunt. Sicuti etiam de tempore hujus primi operis conjunctionis pauci convenerunt, quia ſi unus breviorem viam invenerit, alius diu


desudavit. Via autem hujus primæ præparationis plana communis fere per triennium extenditur, atque perdurat, & quandoque plus, secundum materiæ quantitatem, artificis attentionem, & praxim. Hinc *Paracelsus in suo Processu Vol. 4. Theatri pag. 359.* ait: valde autem prolixius est illud primum materiæ præparationis opus, ita ut per biennium usque, & ultra extendatur, sed post primam tam diuturnam præparationem, in uno vase decoquendo, unicoque regimine ex se perficitur: itaque primum opus, Herculeus labor vocatur, secundum verò opus muliebre & lusus puerilis nuncupatur, quare in secundo decoctionis opere, non alio indiget artifex, nisi attentione, ne ignis moriatur, quod omnes pueri, & mulieres facere queunt.

Quam prædictam primam præparationem, seu materiæ proximæ conjunctionem, ita in sua clavi aureæ portæ docet Riplæus: sæpiùs, inquiens, cum nostra aquavitæ lava terram, & desicca, seu evapora sensim, & alternatim: fac ita conjugium inter corpus & spiritum, quod si ingeniô, naturalíque commixtione hoc facere poteris, in dissolutione corporis congelabitur aqua (scilicet post imbibitiones omni vice inde in evaporationibus semper subtilior spiritûs pars in corpore figetur, & aqua Phlegmatica evanescet) tum peribit corpus dissenteria sanguinem suum effundens, & cæt. (quia cum corpus spiritu aceti nostri imbibas, primò fit nigrum cum aliqua modica viriditate mixtum, quod est primum caput corvi sophorum, deinde suum internum rubrum sanguinem, seu tincturam verè effudit, & sic quoque acetum totum in purum sanguinem vertitur) cum verò per multas repetitas imbibitiones, & consecutivas evaporationes, humectationes, & exsiccationes, solutiones & coagulationes, filtrationes & depurationes acetô nostrô diu peragendas, sal tuum optimè a fæcibus albis in filtro remanentibus depuratum, radicaliter solutum, & in oleum rubro-obscurum redactum densum lucidúmque perfectum, tunc est laton sapientum, unde iterum iterúmque cum spiritu vini, seu aquâ secundâ nostrâ imbibendo, & evaporando, solvendo & congelando illud dealbari debet, donec in unum corpus lacteum indivisibile simul concrescant. Et hoc est dealbare La-

tonem

tonem rubrum, ut Artephius in ſuo Libello ſecreto paulò poſt principium prædictis verbis teſtatur. De quo Latone ita dealbando, vide etiam *Vol. 5. Theatr. Anonym. De maſſa ſolis & lunæ part. 1. pag.* 442. Et tunc erit terra foliata noſtra, quæ ad minimum caloris gradum liqueſcit, & in lac virgineum Philoſophorum revertitur. Quod eſt verum ſperma metallorum, & materia Lapidis noſtri proxima, & immediata ad ſecundum fixionis opus incipiendum jam parata. Ac iſta præparatio ſemper in ſimili vaſe vitreo fit, de quo vide *Iſaacc. Holland. in ſuo oper. Mineral. Lib. 2. cap. 3.* quod vas etiam Riplæus in ſua medulla, ut ſupra conſtructum eſſe demonſtrat, cum dicat: hîc vaſa reſolutoria lutari non debent, ſed ſolummodo in evaporatione, poſt imbibitionem, & longam triturationem, ac impaſtationem peractam, leviter cum panno lineo ſint cooperta, & cæt. De quo vaſe & forma ejus pauciſſimi loquuntur. Riplæus verò, & Artephius illud ſatis indicârunt, ut inferiùs demonſtrabimus. Itaque Magnus Georgius Phædro in ſua jatrohemia de vaſe ſimili loquendo, quo in præparatione indigemus, inquit: Hôc locô alembicum non eſt neceſſarium. Quapropter ſufficit etiam cum charta illud cooperire, ne pulveres, donec ſit in evaporatione, intromittantur, & ita ſuaviter ſuperfluum evaporare, ut aqua fontis, inſipidum nulliúsque valoris projiciendum, quod exhalabit, quamvis Philoſophi diſtillari jubeant, quod cum parvo alembico ita ſuperpoſito, ſive ſuper illud vas adaptato fieri poteſt ad latonem nempe dealbandum, ſed non eſt neceſſarium, cum humiditas aquoſa, quæ ſurget, & exhalat, nîl valeat ultra. Quâ de causâ, quia nonnulli hoc vaſe cum alembico uſi fuêre, hanc evaporationem, & cohobationem, diſtillationem & cohobationem vocârunt. De quo vaſe verò ſimplici præparatorio libello ſecreto: recipe aurum crudum calcinatum (ſcilicet aurum noſtrum crudum nondum à natura decoctum, atque digeſtum, ſal noſtrum videlicet, ut modo non ignoras) & ipſum pone in aceto noſtro in vaſe vitreo (not.) rotundo quatuor digitorum alto, vel parum plus & cæt. Ac Riplæus





*in ſuis Axiomatibus Vol.2. Theatr. pag.101.* addit: In uno vitro ovali hæc omnia in præparatione materiæ fieri debent. Et ſupra notâſti, quòd ipſemet Riplæus in ſua medulla dixerit: quòd vaſa reſolutoria, ſive præparatoria Alembico non indigeant, ſed ſufficit illa cooperire cum tela, ne in evaporatione pulveres intromittantur. Ergo unicum eſt vas ubi verè omnia fiunt à Philoſophis omnibus decantatum, à paucis verò demonſtratum, & nîl aliud eſt, quàm ſcutella vitrea à me delineata, vel mortariolum vitreum, ùt ſuprà quoque dixit Riplæus. Latone verò dealbatô, ac inde ad Lacteam conſiſtentiam deductô, ſi velis, per duos menſes in Pellicano, vel alio ſimili vaſe circulatorio Lac illud circulare poteris, ac in fine hypoſtaſi ſeparare, ut magìs ſubtilizetur, & majus lucrum in projectione habere poſſis, & tunc erit quinta eſſentia illa fragrantiſſimi odoris à Pariſino, Lullio, & Rupe-ſciſſâ deſcripta, cum qua ſecundum decoctionis, ac fixionis opus in Phialam incluſa, poſt tot diuturnos labores in primo præparationis opere, peractos, absque ullo ulteriori labore perficiendum, atque abſolvendum, in nomine Domini incipere poteris. Hinc dicunt Philoſophi, dealbate Latonem, & frangite libros: quia certum eſt, quòd poſt Latonis dealbationem, omnia intellexiſti, omniáque difficiliora peregiſti, nec amplius libris indiges chymicis, & in ſecundo decoctionis opere nullam amplius ultrà moleſtiam, nullúmque laborem habebis. Unde cum Riplæo in ſua Epiſtola ad Regem Eduardum concludo, dicente: Solus ille facillimè arcanum noſtrum invenire poterit, qui ſapienter ſubjectum illud gubernare valeat, quouſque naturalis immunditia ab ejus ſale extremè purgetur, donec ſcilicèt mediam puriſſimam ſubſtantiam ejus albiſſimam obtineat: etènim in hac ſubtiliſſima ſalis noſtri, ab illo ſubjecto extracti, depuratione totum artis noſtræ magiſterium conſiſtit, ac in fine in dealbatione Latonis hoc pendet; quæ radicalis depuratio, corporísque ſolutio, ac Latonis dealbatio fieri nequit, niſi igne noſtro naturæ, & contra naturam mediante, quem in ſequenti capite planè docebo, &c.



Ca

# Caput Decimum Tertium.

## *De Igne occultissimo Philosophorum triplici, cæterísque rebus aliis in hac Arte abditissimis.*

NUnc de occulto triplici Philosophorum igne, cæterísque hactenus abditis rebus, furno, sive athanore nostro, aliisque mysteriis in hac arte modernis Chymicis penitus ignotis, à nemine usquedum revelatis, sermonem meum instituam, ut completè tantum opus per tot sæcula sepultum bene intelligas; & ne ampliùs mireris, si inter tot millenos, millenósque homines in hac arte introductos, omnibúsque viribus hanc scientiam inquirentes, vix decem, prout scio, inveniantur Adepti, cum omnes ubique Chymici moderni tam procul à veritate aberrent, nec principia intelligentes, tam in materia, quàm in praxi in omnibus, & per omnia in principio, medio, & fine discordent, ut evidentissimè audivisti; unde mihi nunc aurem tuam inclina, & verba mea bene pondera.

Sicuti apud Platonicos triplex notatur ignis, scilicet lucens & urens; lucens non urens: & urens non lucens, ut *Lavat. Histor. Nat. lib. 11. quæst. 3.* Ita apud Hermeticos triplex est ignis, imò quatuor sunt ignes in hoc opere necessarii: scilicet ignis naturalis, ignis non naturalis, sive occasionatus, ignis contra naturam, & ignis elementaris. Philosophi autem eorum more solito sæpè sæpiùs unum cum alio miscuerunt, & simul confuderunt, ut fecit Artephius in eorum descriptione, sicuti inferiùs videbis. De tribus autem primis prædictis à Philosophis invidis occultatis nobis hic erit sermo, quia quartus ignis sicuti omnibus communis parùm vel nihil computatur in arte. Unde de prædictis confusè à sapientibus indicatis profundè tractabimus, qui juxta mentem exponentium maximâ cum attentione, secundùm circumstantias adjacentes reique adaptationem sedulâ fronte sapienter interpretandi sunt. De quibus satis distinctè Riplæus inter alios in fine suæ medullæ, ac in 3. porta, alloquitur, ac ex Lullio in ipsa medulla sua diversas eorum operationes explicat. Qui ignes semper duplici sensu intelliguntur; scilicet, quia

ignis naturalis est etiam ille naturaliter in intimis Thalamis nostri primi subjecti inclusus, ligatus, & congelatus, hoc est, sulphur nostrum aureum vivum, & naturæ, anima rubra Lapidis in corpore salino prædicto occulta, ac tinctura nostra, & idem est ignis, quo natura indesinenter in omnibus suis mirabilibus operibus, in tribus suis regnis utitur, utpote principali, unicóque universali agente in toto sublunari creato: sulphur, inquam, naturæ, & Lux illa Hermetica concentrata in tenebris chaotis nostri sepulta, à me Clarificata, ignis vivificus, à Basilio Valentino omne in omnibus vocatus. Ac Zoroaster, & Plato illum mundi animam nuncupârunt.

Et item, quoque ignis naturæ apud Hermeticos est aqua ardens Philosophica. Ignis non naturalis, similiter duplex est, scilicet, ignis idem humidus & calidus aquæ nostræ prædictæ, quâ de causa dicitur etiam fimus, balneum, stupha, venter equi, & ignis primi gradûs, & cæt. ut inferiùs clarè probabimus. Qui ignis non naturalis, & primi gradûs aliô modô quoque intelligitur, & à nonnullis consideratur, nempe per motum repetendæ triturationis, seu rotationis tot vicibus imbibendo & evaporando peragendæ occasionatus. Hoc est per motum pistilli vitrei sæpè triturando excitatus, cum motus sit causa caloris. Quamvis alii, ignem primi gradûs, ignem cinerum in evaporatione adhibitum quoque vocârunt, vel quando manus absque læsione diu in fundo vasis teneri possit. Et hæc sunt æquivoca sophorum, quæ secundùm circumstantias adjacentes intelligenda sunt.

Ignis contra naturam duobus quoque modis pariter intelligitur & nostrô modô distinguitur: Primus omniúmque principalis est spiritus aceti nostri, ut ex prædictis Philosophis multis, atque Riplæo in medulla, Comite Trevisano, & cæt. concipimus, qui, spiritum vini ignem naturalem, & spiritum aceti ignem contra naturam nuncupârunt, ac inter unum, & alium intelligibilem pro sapientibus distinctionem fecerunt: sicuti inter alios Riplæus, ubi incipit: sequuntur accurtationes, & cæt. inquiens: ( Not. Ben. ) fige mercurium nostrum seu spiritum album & rubeum in tuo Lapide, scilicet corpore salino, & cæt.

quia

quia in istis duabus aquis, tunc duo simul conjunguntur ignes, nempè naturalis, & contra naturam, &c. Unde scias, quòd spiritus aceti ab operatione sua, quia corpus rubificat, mercurius rubeus, & aqua rubra vocetur, & spiritus vini aqua alba & mercurius albus similiter ab operatione sua, quia laton albificat, quoque dicatur, & ambo quoque ignes Philosophici, ut suprà notâsti, nuncupantur, ut inferiùs suô locô lucidius explicabimus, & de sophorum cabalis obstupescès, & mihi in corde tuo benedices, ut spero, cum nullus ante me similia explicare voluerit. Itaque supra dixit Riplæus, fige mercurium album & rubrum in tuo Lapide, quapropter, ut supra dictum est, primò corpus acetô solvitur, & subtilior aceti pars in ipso corpore figitur, & rubescit. Ac subinde eôdem modô corpus spiritu vini volatilizatur, & albescit, & subtilior ipsius quoque spiritus pars iterum in corpore figitur. Et inde subjungit Riplæus; quia in istis duabus aquis conjunguntur ignes naturalis, & contra naturam, quia ambo sunt etiam ignes nostri.

Secundus verò ignis noster contra naturam, & humiditas cellaris aërea subterranea, qui dicitur ignis mineralis, ut Artephius in suo Libello secreto inter alia nomina illum vocavit. Sive ignis aëris, utà *Laurent. Ventur. cap.* 21. nuncupatur. Vel ignis humidus obscurus, & subterraneus, ut ab *Alphidio Vol.* 3. *Theatr. pag.* 145. nominatur, qui non procedit, neque sumitur ab ipsa materia, & sine sumptu in propria domo habere possumus, ut idem Artephius, atque Riplæus in fine medullæ scripserunt, & cæt.

Et hoc Philosophi dixerunt, quia sal nostrum in ista cellaris aërea humiditate eôdem solvitur modô, & purificatur, ut in ipsomet spiritu aceti igne verè nostro contra naturam principali, & à fæcibus eôdem modô depuratur. Hinc *Isaaccus Hollandus in suis Fragmentis Vol.* 2. *Theatri, pag.* 129. De materia solvenda, ait: quòd materia primò in aqua roris sui solvi debeat (spiritu aceti videlicet, cum nîl aliud ipsam solvat) & inde per se (post aceti evaporationem) solvatur in humido, scilicet, vase refrigerato, in cella frigida, & humida, calida & aërosa collocetur, & cæt. & ita docet Isaaccus.

Ad-

Addit Arnoldus in ſuo teſtamento: ſolve materiam tuam in aëroſo Hypocauſto calido & humido. De quo vide etiam *Vol. 6. Theatr. pag. 60. tractat.* de igne & ſale, quapropter quamvis author ille non fuerit Adeptus, tamen de hoc igne humido aëreo cellari bona dat documenta.

Inquit enim ros Auriſicus *cap. 1.* coque igitur materiam tuam (& hic ſemper de materia proxima ſcilicet de hoc ſale intelligas) ſub calore humido terræ, nam hic eſt ignis noſter contra naturam ſecretiſſimus; Etenim Raymundus, in ſubterraneo calore in componendo decoquere præcipit: quare hæc aërea cellaris humiditas aëris calore commixta ſimiliter corpus ſolvit, putrefacit, diruit, & calcinat, ut ſpiritus igneus aceti noſtri peragit, & cæt.

Item *Lullius in ſuo Teſtam. Noviſſim. Lib. 2. de practica cap. 9.* ſubjungit: pone materiam tuam in loco digeſtionis, ſcilicet in foſſa, quæ ſentit de natura Bufonum (hoc eſt, in cellare ſubterraneo) ubi verè Bufones oriuntur, & creſcunt.

Et ignis elementaris, ſeu materialis ſimiliter dupliciter conſideratur, nempe carbonum in primo præparationis opere, & lampadis in ſecundo. De quibus primariis tribus ignibus, naturali, non naturali, & contra naturam in opere noſtro ſummè neceſſariis, ſimul tamen, ac obſcurè commixtis atque confuſis, ita ab Artephio Arabe in ſuo Libello ſecreto deſcriptis, attende (ex quo Pontanus hùnc ignem excerpſit, tranſcripſit, & ſibi appropriavit) inquit enim Artephius loc. citat. ignis hic noſter ſecretus triplex eſt, ſcilicet naturalis, non naturalis, & contra naturam, & eſt humidus, inviſibilis, alterans, penetrans, digerens, inſtrumentum movens ad putre faciendum & reſolvendum (Nota) mineralis, æqualis, & ſubterraneus, (& ecce cellare) aliunde ſumitur quàm à materia, (& ecce iterum cellaris humiditas, quapropter alii duo ignes naturalis, & contra naturam, ſcilicet ſpiritus vini, & ſpiritus aceti noſtri ex eadem ſumuntur materia) omnia cum tempore diruit, calcinat, & putrefacit, & eſt vaporoſus, aëreus, non violentus, circumdans, calidus, humidus, ſiccus & frigidus, & ſine ſumptu habe-

re possumus, & cæt. Et ecce iterum cellare subterraneum humidum; aëreum calidum, & frigidum, quod verè sine sumptu in propria domo habere possumus: Etenim quamvis ipse more Philosophico omnes ignes simul confuderit, & de spiritu igneo nostro duplici hic confusè promiscuéque descripto quoque intellexerit, spiritus isti tamen sine sumptu haberi nequeunt, nec aliunde quàm à nostro eôdem subjecto sumuntur. Itaque etiam de cellari intellexit, &c. Hinc Riplæus in fine medullæ inquit: Ignis noster contra naturam non est de materia ipsa, neque ab ipsa procedit. Et ita de hac cellari humiditate significavit, &c. Unde de nostris primariis ignibus nunc planissimam faciam explicationem: acetum ergo nostrum est ignis noster contra naturam, & spiritus vini est ignis naturalis, & non naturalis. Cum spiritu primo aceti nostri corpus solvimus, & aperimus, ac inde cum spiritu secundo vini illud volatilizamus & simul cum ipso spiritu conjungimus. Itaque spiritus acidus vocatur aqua prima, & spiritus dulcis aqua secunda nuncupatur, ut inferiùs declarabimus.

De quo igitur aceto, inquit *Riplæus in cap. 1.* de Lapide minerali circa medium, quia ut dictum est, est ignis noster contra naturam, cum quo corpus primò dissolvimus: cum igne contra naturam, inquit, fiat corporis dissolutio. Deinde in sua tertia porta subjungit: fac ergo ignem tuum intus vas, qui comburit, & calcinat materiam tuam efficaciùs, quàm ignis elementaris, &c. Hoc est, intus vas sal cum ipso aceto igneo sæpè imbibendo diruas, & cæt. De qua aceti nostri necessitate, vide *tractat. de Auro medico, Dialogum Scholasticum in fine paginæ 893. vol. 5. Theatri.* Unde ubicunque Philosophi de igne nostro loquuntur, semper tam de spiritu aceti, quàm de spiritu vini æqualiter amb. necessar. intelligunt, hâc tamen cum differentia, quòd cum de igne contra naturam tractent, semper vel de aceto in imbibitione, vel de cellari in solutione intellexerunt, & secundùm sensum percipitur. Cũ verò de igne naturali ipsi scribant, jam ut plurimum de spiritu vini putârunt, sed quandóque de sulphure igneo in corpore latente, & quandóque etiam de ipso corpore intelligunt, unde opus est juxta mentem exponentis intentio-

nem percipere, quam facile ſedulâ mente perlegendo concipere poteris. Qui ſpiritus tam aceti, quàm vini etiam univocè ignis, & aqua noſtra ſingulariter ambo vocantur. Hinc *Artephius in ſuo præcitato Libello ſecreto ambos pag.* 54. unico verbo ita nominavit, dicens: aqua noſtra eſt ignis naturalis & contra naturam, & in ſua de triplici ſophorum igne deſcriptione, ſuprà audiviſti, quòd ipſe Artephius omnes ignes univocè ſimul commixtos, & confusè deſcripſerit. De qua aquæ noſtræ duplicis neceſſitate, vide *Joann. Seger: Weidenfeld lib. de ſecretis Adeptorum* ab ipſo quamvis non Adepto, fideliſſimè collectis. *Lullium in Ambobus Teſtament. Pariſinum in toto ſuo elucidario. Rupe-ſciſſam lib.* 5. *eſſent. Nicolaum Flammellum in ſuis Annotationibus vol.* 1. *Theatr. infin. exiſtentibus Iſaaco. Holland. in toto ſuo oper. mineral. & præſertim lib.* 2. *cap.* 128. *Harmoniam Chemicam vol.* 4. *Theatr. pag.* 723. *& cæt.* qui omnes unanimi voce teſtantur, quòd ſinè hoc ſpiritu duplici Philoſophico nîl unquam in hujus artis magiſterio fieri poſſit, cùm non tantùm ſpiritu vini, at æquè & ſpiritu aceti noſtri in opere Philoſophico indigeamus, quapropter ſpiritus vini noſtri, quamvis igneus quoque ſit ad radicalem corporis ſolutionem peragendam, non eſt ſufficiens. Habemus exemplum: ſi verb. grat. ponamus ſal aliquod, vel ſaccarum in ſpiritu vini rectificato, certè nunquam ſolvitur? à fortiori ergo ſal noſtrum metallicum fixum & alkalicum, quod ſi etiam in igne fundere vellemus, tardiùs aurum funditur; quomodo in ſpiritu noſtro quamvis penetrantiſſimo illud ſolveremus? & operis noſtri principium eſt Lapidis ſeu corporis ſolutio, ut omnes conteſtantur Philoſophi, de qua veritate vide *Annotationes Nicolai Flammelli loc. ſupr. citat.* ubi ex omnibus ibi relatis congruentibus iſta prima ſalis noſtri ſolutio jubetur. Et vide quoque *Richardum Anglicum cap. ultim. ſui Correctorii.* Itaque neceſſariò ſpiritu quoque acido in primis & ante omnia ad hoc corpus ſolvendum indigemus; ubi Flammellus ipſe tamdiu in hoc errore verſabatur, & niſi Abraham Judæus ipſum illuminâſſet; nunquam opus noſtrum perfeciſſet, quamvis omnia alia ſciviſſet. De quibus duabus aquis, ignibúsque noſtris Chymici vulgares nec ſomniârunt, & hæ duæ aquæ ſunt operis Philoſophi-

ci principium, ac indiſpenſabile primum artis fundamentum: cùm ergo nec principium intelligant, quomodo finem attingere præſumunt?

Quâ de causâ ſpiritus aceti, aqua prima vocatur, & ſpiritus vini, aqua ſecunda nuncupatur. De quo duplici ſpiritu, & præſertim de ſpiritu aceti prima aqua noſtra, ait Clangor Buccinæ: hic ſpiritus præparans duplex eſt, quorum primus eſt vapor non viſcoſus, acedinis multæ, ſubtilis valdè, vim magnam penetrandi habens, & cæt.

Secunda verò aqua noſtra pluribus decoratur nominibus, ut inferiùs demonſtrabimus, quamvis etiam ignis quoque noſter ubique vocetur, ut ſuprà dictum eſt. Legitur enim in *Tractatu quinto Roſarii Abbreviati vol. 3. Theatr. pag. 671.* Aqua noſtra viva eſt ignis noſter aurum comburens, & cæt. & hîc de ſpiritu aceti intelligitur. Et ibidem ulteriùs ex *Gebro, pag. 724.* notatur: hoc opus, inquiens, ſolùm fit per noſtrum ignem, ſcilicet per mercurium noſtrum, noſtram aquam vivam videlicet, (& hìc de ſpiritu vini intelligendum eſt) inde ſubjungit; & per noſtrum quoque acetum perficitur, & cæt. Et quòd unicè corpus Phyſicum acetô noſtrô ſolvi poſſit, vide *vol. 4. Theatr. Catalog. Authorum pag. 572.*

Addit *Riplæus in ſuo primo Cap. de Oper. Mineral.* Hæc aqua eſt ignis, vas, Balneum, & cæt. intra vas vitreum operans, & non extra, & cæt. Et dicitur vas naturæ, ſeu Balneum, quia in ipſa aqua veluti in vaſe ſuo naturali ſal hoc includitur, & perficitur, liquefit, ac in primum ſuum ſperma deducitur. Item in Annotationibus *Nicolai Flammelli vol. 1. Theatr. pag. 761.* ex Roſino, dicitur: Aqua noſtra tanto eſt igne calidior; quanto ignis eſt calidior aqua. Et ibidem ulteriùs ex Roſario, ſcribitur: aqua noſtra eſt fortior igne, quia de corpore facit merum ſpiritum, quod ignis facere nequit: nam ſpiritus eſt totus ignis. Ut ita quoque confirmat *Lullius in ſuo Teſtam. cap. 59. & cap. 62.*

*Senior Tom. 5. Theatr. in fine pag. 203. ſubjungit: aqua Philoſophorum eſt ignis eorum. Et Laurent. Ventur. cap. 20. & cap. 26.* ex Turba Philoſophorum, ait, oportet æs noſtrum, ſcilicet corpus, comburere cum aqua noſtra, ut ſimul cum ipſa liqueſcat.

Hinc *Menardus in Turba Sermon.* 25. inquit: noſtro regimine, ſi hoc intellexeris, corpora fiunt incorporea, ſi diligenter igne noſtro teras, & ſcias, quòd mercurius noſter (ſcilicet ſpiritus) ſit ignis corpora comburens, & cæt. Et vide ibidem *Lucam Sermon.* 12. Addit *Senior loc. ſupra citat. pag.* 204. *ex Hermete*: Ignis Philoſophorum, quem tibi monſtravi, eſt aqua eorum, & eſt ignis, & non ignis.

Legitur ex 57. Regulis Philoſophicis *Tom.* 2. *pag.* 135. in principio: Hæc aqua noſtra aurea eſt ignis noſter. Et ulteriùs ibidem in fine dicitur: ignis Philoſophorum eſt aqua eorum, ſi ſciveris ergo ignem igni, mercurium mercurio conjungere, ſufficit tibi. Author enim prædictus ita dixit, quia, ut ſuprà perlegiſti, corpus etiam, ignis interni causâ, corpus igneum, & ignis fixus, atque argentum vivum vocatur. Itaque etiam Riplæus in Concordantiis Raymundi & Guidonis, ut ſuprà concordat, dicens: accipe ignem, & pone ignem in igne, donec ignis in igne liqueſcat, & cæt. Scilicet: accipe corpus igneum, & pone in ſuo ſpiritu igneo, donec ſimul cum igne noſtro liqueſcat, & in oleum vertatur. Unde ita quoque, ut ſuprà dixit Philoſophus, intelligitur, nempè, ſi ſciveris corpus igneum ſpiritui noſtro igneo, qui eſt mercurius noſter: ac iſtum ſpiritum mercurialem, ſuo corpori mercuriali conjungere, ſufficit tibi ad Lapidem perficiendum; nam, ut ſuprà notâſti, quòd quandóque tam corpus, quàm ſpiritum, ignem & mercurium ambo Philoſophi nuncupârint, ut tibi ſuprà notificavi. Quâ de causâ, ut diximus, juxta mentem proferentis, & ſecundum ſenſum, ſive circumſtantias adjacentes, ſophorum intentionem concipere debemus. Et enim Geber ferè ubique de hoc corpore tractando, ſemper ipſum argentum vivum, ſulphur, aurúmque nominavit, & cæt. Et de hac veritate vide *vol.* 5. *Theatr. pag.* 9. *& pag.* 10. *ſeu Turbam Philoſophorum Serm.* 11. *& Serm.* 12. ubi ſub nomine argenti vivi hoc corpus deſcribitur. Et *vide Libell. de Alchem. Dialogi duo*, *pag.* 92. ubi apertè explicatur. Hinc Author *Roris Aurifici cap.* 17. inquit: Gebrum autem inexperti non intelligunt, verùm enim verò teſtor vobis, quòd ipſe, ubicunque de argento vivo, auro, ſulphure, arſenico, auripigmento & cæt. loquatur,

nîl aliud intellexerit, nisi unicum corpus prædictum, argenti quoque vivi nomine declaratum.

Et spiritus vini nostri simil ter multis cum nominibus, imò infinitus denunciatur, ut inferiùs videbis; etiam ignis albus, mercurius albus, seu aqua alba, ad spiritus aceti distinctionem, qui è contra, ignis rubeus, mercurius rubeus, & aqua rubra, & cæt. vocatur, ut locô suô declarabimus.

Addit *Riplæus cap.* 3. ubi inquit: quô pactô vitentur errores, & cæt. Pro igne Lapidis intellige aquam. Pro mercurio intellige quoque aquam. Et pro mercurio sublimato (Nota) intellige aquam cum calce sua exaltatam (scilicet spiritum cum suo sale volatilizato in corpus lacteum exaltatum. Nam hæc est sublimatio nostra) quæ iterum unâ cum sale congelari debet in salem mirabilem, qui dicitur quoque sal petræ, sal tartari, vitriolum, & cæt. & ita Riplæus, &c. Hinc attende:

Unde iste noster mirabilis ignis naturalis, vocatur etiam quinta essentia, menstruum vegetabile, mercurius, ros majalis, urina, lunaria, fimus equinus, aquavitæ, aqua ardens, vinum adustum, vindemia, sterquilinium, stupha, aqua secunda, aqua alba, ignis albus, mercurius albus, balneum Mariæ, balneum regis, sigillum Hermeticum, clausura, aër, aqua lunaris, oleum lunæ, uterus matris, Eva, vas naturæ, & cæt. sine qua nominum perfecta cognitione, nemo sophorum intentionem unquam comprehendere potest, etenim est impossibile intelligere, ubi de balneo Mariæ, ubi de fimo equino, ubi de vindemia, ubi de aqua secunda, igne albo, oleo lunæ & cæt. quæ diversæ apparent res, quid Philosophi concludere velint? in quo ergo vase naturæ, seu ventre matris, balneóque nostro, quæ omnia unum sunt, scilicet spiritus, in ipso spiritu, ignéque nostro naturali, seu aqua nostra secunda, materiam præparatam nempè corpus lacteum prædictum ad butyri consistentiam redactum, unâ cum suo spiritu congelatum, ut suprà dixit Riplæus, (quod est gluten aquilæ nostræ, seu gummi nostrum, sive infans noster) sigillare & includere debemus, ut nutriatur, & crescat, sicuti Artephius, Philaletha, Lullius, & cæt. prædictis, similibúsque verbis Philoso-

losophicè usi sunt, dicentes: sigillate infantem in ventre matris suæ, & cæt. Hoc est, imponite, & includite ipsum corpus butyrosum præparatum in suum vas naturale, ut addunt Morienus, Laurent. Ventur. Lullius, & cæt. scilicet in suum met spiritum seu aquam prædictam, quâ de causâ, ut suprà perlegisti, aqua hæc, clausura, sigillum Hermeticum, & uterus matris quoque nuncupatur. Ut lucidè in Aurora consurgent. *cap.* 8. declaratur. Et vide de hoc puncto, apertè quoque demonstrato, *Lullium in sua Theorica cap.* 48. *& cap.* 66. sive *Laurent. Ventur. cap.* 15 *& cap.* 16. vel Marc. Eugen. Bonaccin. in suo Compendiolo de aur potabili *cap.* 29. *& cæt.* Hinc dicitur in Turba: accipe rem dealbatam ædifica ei domum (vitream videlicet, seu Phialam) rore suô circumdatam, & cæt., scilicet Phialam spiritu madefactam, intelligit, ne materia butyrosa dealbata vitro adhæreat, cum secundum decoctionis opus videlicet incipias. De quo artificio vide *Philaletham in suo Introitu Aperto cap.* 16. Atque *Laurentium Ventur. similiter cap.* 16. quod infe riùs lucidiùs demonstrabimus.

Alius quoque ignis contra naturam, scilicet spiritus aceti nostri subinde, dicitur aqua acidula, aqua fortis, spiritus vitrioli, spiritus nitri, aqua regia, oleum solis, aqua rubra, aqua prima, mercurius rubeus, ignis rubeus, acetum acerrimum, uva acerba, aqua maligranati, succus Raphani, & cæt. & dicitur aqua prima, & aqua rubra, quamvis sit alba quia ipsâ ad corpus primò solvendum, ut dictũ est, nos utimur, & inquasolutione, quia tingitur ut sanguis, aqua rubra, seu sanguis appellatur.

De quibus privatis innumeris nominibus, tam corpori, quàm spiritui à Philosophis impositis, vide *Seniorem in toto suo Tractatu ità titulatum: Vol.* 5. *Theatr. Chymic. prædicti.* Sive *Lullium in suo Testament. Novissimo pluribus in capitibus*, & præsertim *Lib.* 1. *Part.* 1. Vel *Riplæum cap.* 13. *de nono modo per Aquam Philosophicam, & cæt.* seu *Harmoniam Chemicam Vol.* 4. *dicti Theatri cap.* 1. *usque ad pag.* 727. aut *Turbam Philosophor. in Sermon.* 13. *ex Pythagora. Belum Sermon.* 20. *& cæt.* Atque *Isaacc. Holland. in suo Oper. Mineral. Lib.* 1. *cap.* 126. *& cat. &c.*

Et de quo aceto ùt suprà nuncupato, vide *Annotationes Nicolai Flam-*

*Flammelli ex Gebro, Vol. 1. Theatr. pag. 761.* Qua de causa, ait *Lullius in Part. 1. sui Testam. Noviss. citat.* Hæc nomina multa errare fecerunt insipientes, credentes varias significare res, & sunt decepti. Quoniam quæcunque nomina tam corpori, quàm spiritui Philosophi imposuerint, semper unum significant : hac tamen cum differentia, quòd omnia fluida, spiritum, & omnia solida corpus notificant, &c.

Hinc legitur in *Allegoria super Turbam Distinctione 27.* Quòd Philosophi ad simplices decipiendum, omnibus cum nominibus mundi tam corpus, quàm spiritum nominaverint. Sicuti *Lullius cap. 25. sui compendii Artis Alchymicæ*, spiritum aceti nostri, aquam nigriorem acutam vocavit. Et quare sic? quia, ut diximus, animam ex sale nostro extrahendo, rubro. nigro colore tingitur, & ab ista sua operatione, dicitur aqua rubra, quamvis sit alba, ut hisce verbis *Senior Vol. 5. Theatri, pag. 214. pag. 236.* testatur. Et ita quoque ignis rubeus, & aqua solaris, nuncupatur. Et econtra spiritus vini similitèr ab operatione sua dicitur aqua alba, Ignis albus, & cæt. quia corpus ab aceto nigrificatum, seu Laton noster, dealbat. Qui spiritus vini, vocatur etiam urina, ùt ità vocârunt illum *Parisinus, in suo Elucidario Lib. 2. cap. 4. Lullius in suo Testam. cap. 62.* atque *Author Lib. de Alchem. Vol. 3. Theatr. pag. 22.* ac idem *Parisinus loc. citat. cap. 1.* spiritum aceti nostri, aquam fortem, & aquam Regis appellavit.

Nunc ergò sequentia benè perpendas. Jam suprà audivisti, quòd aqua nostra sit ignis noster, qui spiritus vini videlicet, Fimus equinus, vas, uterus matris, sigillúmque Hermetis, & cæt. quoque vocetur? & quòd corpus, sulphur igneum, & calx viva, & cæt. etiam dicatur? unde de his nominibus ne obliviscaris, observa, ut in sequenti capite ænigma Lullianum nemini Chymistarum, nisi nobis notum, intelligere queas.

Inquit interim Riplæus, ac tribus vicibus ad nostram eruditionem sequentia repetit: Prim. in sua clavi aureæ portæ: Secund. in Concordantiis Raymundi, & Guidonis; Tert. in Accurtationibus, & Practicis Raymundinis, (Nota ergo Bene,) qui ignorat, inquit, calorem nostrum

& Latonem nostrum dealbat Solificat tanificat.

ſtrum naturalem, ignem nempè noſirum, balneum noſtrum intra va
vitreum ſemper continuò operans, & non extra vitrum, ( & eccebal
neum Mariæ ſophorum) ſterquilinum noſtrum, ignem nempe noſtru
naturalem calidum & humidum, ventrem equi, ſeu fimum equinu
noſtrum, aquam noſtram ardentem, ignem in ventre ſuo ferentem, n
unquam in arte noſtra lucrabitur. *Alanus vol. 3. Theatr. pag.* 727, ex Se
niore, ſcripſit: aqua noſtra eſt ignis noſter aurum magis comburen
quàm ignis elementaris, ( & pro auro puta ſemper corpus prædictum
quæ aqua omni igne potentior eſt, ſiquidem aurum in ſpiritum verti
quod ignis elementaris præſtare nequit. Et paulò poſt ibidem addit
O fili ob id putrefactioni, ac ſolutioni, diligenter intentus eſto, (Not
ut in ventre equino decoquendo, hoc eſt, in mercurio noſtro, ſcilice
aquâ noſtrâ exili calore: qui quidem mercurius noſter, ſeu aqua noſtra
fimus equinus vocatur, & cæt. Unde de hoc fimo equino ne obliviſca
ris, ut ſuprà te rogavi. Et hoc per ſimilitudinem Philoſophi dixerun
quia fimus equinus eſt calidus & humidus, & æqualem præbet calo
rem, ſicuti aqua noſtra, ſeu mercurius, vel ignis noſter, itaque ſpiritu
vini noſtri ignis naturalis, ſive calor naturalis, ut ſuprà dixit Riplæus
vocatur. Et de hoc documento vide *Inſtructionem de arbore ſolari, vol.*
*Theatr. pag. 183. cap. 6. & pag. 191. cap. 9.* Ac quòd ignis noſter, ſcilice
aqua noſtra, fimus equinus, vas naturæ, & cæt. quoque dicatur, vid
ex multis *Philoſophis ibi citatis vol. 1. Theat. Theobaldum part. 3. pag.* 179. 18
*Artephius item Arabs in ſuo Libello ſecreto pag.* 52. 53. *ait*; Hic ignis no
ſter eſt aqua noſtra, fons aquæ vivæ noſtræ, balneum regis noſtri, vas
& cæt. Itaque Bernhardus ſuam vocavit fontinam.

Addit igitur *Theobaldus de Hogheland, vol.* 1. *Theatr. pag.* 177. *ex Mo*
*riено*: quòd hæc aqua non tantùm ignis, fimus equinus, & cæt. ut ſupr
vocetur, ſed etiam vas naturæ, ſophorúmque dicatur: etenim, inquit
Iſtud vas, cum unum dicant eſſe Philoſophi, ejus inventio non parum
impedimenti inquirentibus adfert: neque veriſimile videtur in unico
( poſt primariam diviſionem) vaſe tam diverſa artis regimina exerce
poſſe, niſi Philoſophica iſta eſſet aqua, quæ nonunquam pro eorum
quoque vaſe capitur, ſi benè verba eorum intelligantur, & cæt. Quam

Quamvis veriſſimum ſit, ut ſuprà lucidiſſimè declaravimus, quòd omnia, poſt primariam diviſionem, in unico vaſe vitreo fiant regimina, licet à Philoſophis in tot capitibus diſtinctis ad ſimplices hallucinandos ſeparatim ſint deſcripta. Scilicet cap. de ſublimatione, calcinatione, diſtillatione, & cæt. Alii quoque nonnulli triunicum etiam hoc vas eſſe dixerunt, de quo triunico, vel triplici vaſe vide *Rogerium Baccone m in ſuo ſpeculo Alchemiæ cap.* 5. ſed quomodò hoc intelligatur, attende:

Ait enim Ariſtoteles in Lumine Luminum, quòd materia Lapidis in triplici vaſe ſit decoquenda. Unde hoc triplex ſeu triunicum vas ita intelligitur: primum ſcilicet, & principale vas eſt aqua noſtra, & dicitur vas naturæ, ac ſophorum, ſive vas Hermetis, ut ſuprà perlegiſti, in quo vaſe naturæ, ſeu ventre matris ſuæ corpus butyroſum prædictum in globulis variis diviſum imponitur, ut vult *Philaleth. in ſuo Introitu apertocap.* 16. vel in Lapillis compartitum, ut docet *Laurentius Ventura ſimiliter cap.* 16. & ibi ſigillantur, & includuntur: Antea videlicet, cum neceſſe ſit modicum ſpiritum in Phialam infundere, ne globuli butyroſi vitro adhæreant, & ne materia comburatur, ut addit *Exumenus in Turba Sermon.* 53. & iſte modicus ſpiritus, in quo dictæ Pillulæ butyroſæ includuntur, ac in utero matris ſuæ ita poſitæ, venter dicitur matris, & vas naturæ. Et ecce unum vas: Secundum inde vas eſt ipſum vitrum, ſeu Phiala, in qua prædictum aurum, argentúmque noſtrum, ſive ovum noſtrum butyroſum introducitur. Et ecce duo vaſa. Ac tertium ſubinde vas, eſt ſcutella quædam terrea, ſive cuprea cum cineribus compreſſis, ubi vitrum in furno, ſeu Athanore noſtro collocatur, ne immediatè calor externus vitrum tangat, ſed à ſcutella illa cum cineribus internis defendatur, ac æqualem calorem in circuitu ſentiat, & primò ſcutellam illam calefaciat. Et ecce tria vaſa, quæ triunicum vas conſtituunt, ac unum conſideratur, ſcilicet vitreum. Et de hoc triplici, ſeu triunico vaſe intellexit Ariſtoteles, de quo modo inſtructus, vide *Arnoldum in ſuo perfecto Magiſterio vol.* 3. *Theat. capit. de decoctione Lapidis, pag.* 138. ubi incipit: Igitur ad practicam deſcendamus, & cæt. Atque *Lib. trium verborum pag.* 49. vel *Laurent. Ventur. cap.* 15. & *cap.* 16. *ſeu*

*Harmoniam Chemicorum, ex Davide Lagneo vol. 4. Theatr. Chemic. pag. 76 & cæt.* & cum antecedenti mea explicatione ſedulo combina, & ita hoc triplici vaſe, vaſe quoque naturæ computato, ſatis eris edoctus.

Ac idem *David Lagneus loc. ſupra citat. pag.* 724. ex Roſario, ſcr pſit: aqua Philoſophorum vas naturæ, & Hermetis vocatur.

Inde *Raymundus Lullius in Elucidatione ſui Teſtamenti cap.* 3. ſubjun git: vas noſter immortalis eſt ignis, qui præbet ignem ſemper æqua lem, & cæt. & ulterius ibidem addit; hæc aqua ignea (Nota, & me mento quæ ſupra diximus) eſt etiam clauſura, ſigillum Hermetis, & ſa pientum, eò quod ſapientibus tantummodò notum, & nusquam a aliquo Philoſophorum proprio nomine expreſſum, neque revelatum ſed in ſapientia reſervatum, & cæt.

Unde Philaletha in ſuo Fonte Chemico circa medium, dicit: cum de vaſe noſtro loquamur, intellige aquam noſtram, & cum de igne tra ctemus, itidem aquam noſtram intellige.

Ac denique cum Authore Scrutin. Hermeticæ Philoſophiæ, ſe non plus ultra veritatis *cap.* 17. *& cap.* 18. concludo, dicente; vas no ſtrum eſt aqua noſtra, illa eſt fons, illa eſt ignis noſter, illa eſt balneu noſtrum, ſigillum, fimus, clauſura, venter matris, mercurius, & cæ illa denique totum, & ſine illa vanitas vanitatum, & omnia vanitas hac arte, & cæt.

Et hæc omnia prædicta de igne noſtro naturali ſufficiant. A in ſequenti capite de igne contra naturam lucidiori ſermone tracta mus, cùm ſit ignis principalis ſophorum Chymicis omnibus vulga bus penitus ignotus, ſine quo nec Flammellus, & erat de noſtris, opu ante incipere potuit. Atque etiam de igne compoſito, aliísque Phil ſophorum myſteriis pauciſſimis notis, ac de furno, ſive Athanore noſtro, & cæt. agemus, aliáque dilucidabimus, &c.

( o )

Ca

# Caput Decimum Quartum.

## *De igne contra naturam, ac de igne compositio sophorum; de Furno Philosophico, exterisque sapientum Arcanis.*

IGnis nostri contra naturam scientia, est Arcanum tam reconditum in hac arte, & tam à Philosophis occultatum, quòd Chymici moderni nec de ipso mentionem faciunt, neque ullibi in orbe notum, nisi solis Adeptis, & in opere Philosophico ignis hic est tam necessarius, ut sine ipso absolutè nîl fieri possit in magisterio hujus artis, cùm nîl inveniatur in orbe, quod corpus Physicum nostrum radicaliter solvere possit, nisi hic unicus ignis contra naturam, & sine qua solemni, universali, radicalique hujus corporis solutione, est fatuitas opus incipere, ut suprà de Flammello perlegisti, qui quamvis antea omnia reliqua minutim sciviſſet, nisi postea de hoc igne notitiam habuisset, frustra semper initium tentâsset. Unde cor tuum, mentémque tuam ad hunc ignem inquirendum, atque comprehendendum in hoc capite ponas, & verba mea ne pertæsus despicias. Attende:

Hic ergo ignis contra naturam sapientum nîl aliud est, quàm occultissimus aceti spiritus Philosophicus corpus dissolvens, ex eodem remoto subjecto nostro sapienter extractus, ut suprà satis te docui, sine quo, vera radicalis corporis solutio, ut dictum est, minimè fieri potest, & sine qua solutione nunquam ullô modô lapis noster perficeretur in mundo. De alio igne contra naturam prædicto, scilicet cellaris aërea humiditate, possumus excusari; de hoc autem minimè.

Quod tamen acetum non est vulgare, neque vulgari methodo confectum, ut Alchymistæ fortè sibi imaginantur, sed Philosophicum, sicuti quoque vinum prædictum, ut *Isaacc. Holland. in suo oper. mineral. Lib. 2. cap. 101.* apertè declarat, & maximo cum ingenio, ac artificio præparatum, ac à Philosophis more solito variis, multísque nominibus decoratum, ut suprà notâsti, cum quo tantùm aurum nostrum radicaliter solvitur, quia est aqua sui proprii generis. Et hæc vera solutio non fit jam statim; sed leniter, suaviter, sæpe solvendo & congelando,

ut suprà satis demonstravimus. Hoc etiam non sufficit, sed hac prima operatione peractâ, oportet illud sal volatilizare, & latonem bene dealbare, & diu desudare antequam ad perfectionem reducatur. Hinc *Lullius in suo Testamento cap.* 29. inquit: Habeas in prima latonis dealbatione patientiam, quoniam ibi est magna tarditas. Et Riplæus in cap. de compositione aceti acerrimi vegetabilis, hanc diuturnam prolixitatem, ita æquivocè indicavit, dicens: imbibas hoc depuratum corpus, sive latonem solutum 15. vicibus, ac centies si velis ( Nota ergo centies, & cape intentionem )

Unde *Philaletha cap.* 7. *& cap.* 8. in suo Introitu aperto, satis prolixum hunc Herculeum laborem esse confirmat: & inde subjungit: sciat in primo præparationis opere, quòd absque multo, ac diuturno labore nihil efficies. In secundo verò decoctionis regimine natura sola opus exequitur absque ulla manuum impositione, solô igne suavi externè adhibitô, ubi est quies placidissima, opus verè mulierum, & ludus puerorum, & cæt. De quo vide etiam *Laurent. Ventur. cap.* 27.

Unde in ista prima tædiosa, & diuturna præparatione, primò corpus prædictum cum spiritu aceti nostri, scilicèt igne nostro contra naturam multis vicibus solvendo, & congelando, imbibendo, & triturando, filtrando, ac suaviter inde evaporando, tamdiu subtilizare debes, donec in oleum nigro-rubrum, lucidúmque notabilitèr concrescat ( cùm semper post superfluæ humiditatis evaporationem, subtilior aceti pars in ipso corpore figatur ) & corpus spiritu acidulo impregnatum sit æqualitèr, & radicalitèr solutum. Deinde cum spiritu vini nostri iterum, iterúmque solvendo, & congelando, humectando, & exsiccando, lenitèr hebdomadatim decoquendo, seu evaporando, & cæt. donec Laton instar marmoris coruscantis perfectè dealbetur, & in terram stellatam, seu foliatam luculentam vertatur, ac denique in Lac Virgineum nostrum deducatur. Nam dealbato hoc Latone, gratias age Deo submissas, quia jam Hermetis arcem superâsti, claude libros, involve scripta, desine studium, jam es Adeptus.

De quo Latone nigro-rubro cum aqua secunda dealbando, vide

*Vol.*

*Vol.* 4. *Theatri*, *pag.* 996. *Petrum de Silento*, ac ipsum sedulâ fronte ibi perlegas, & doctus eris. Sive vide *Laur. Ventur. cap.* 19. Et tunc ignem nostrum compositum habebis, à Lullio ità descriptum; cujus obscurissimum sequens ænigma, ut facilius authores perlegendo eorum Cabalas, mysteriáque occultiora percipias, hîc exponam, cujus inde clara subsequens explicatio tuam satis illustrabit mentem, ut subinde similia, ac obscuriora ubique intelligere possis, Et mecum indè benedicas Deum, qui tribuit mihi intellectum, *ut Psal.* 15. *vers.* 7. ut te docere valeam.

Ex prædictis ergo meministi eorum, quæ suprà in antecedenti Capitulo demonstravimus, quòd hoc scilicet Corpus Physicum inter tot alia nomina, etiam Calx viva vocetur, ùt ex multis superiùs probavimus: ut etiam pro rei confirmatione, *Riplæum in suis Axiomatibus Vol.* 2. *Theatr. pag.* 111. videre poteris. Et quòd spiritus, fimus quoque equinus dicatur : ut etiam ita reperies *in Tom.* 4. *dicti Theatr. pag.* 766. ex *Davide Lagneo cap.* 8. scilicet, quòd hic spiritus inter alia nomina Fimus quoque equinus vocetur. Hinc ex Desiderabile *pag.* 37. legitur: Calx viva nostra solo suo igne nutritur, scilicet Fimo equino ( Corpus nempe nostrum Physicum calcinatum, solo suo spiritu conjungitur ) Unde cùm verba sint interpretanda juxta mentem proferentis, sequens obscurissimum Lullianum ænigma sit pro te norma fidelis, ut alibi sophorum mentem concipere valeas, & me tecum sincerum esse perpendas.

Inquit enim *Lullius in elucidatione Testamenti cap.* 4. Licèt triplicem ignem, scilicet naturalem, non naturalem, & contra naturam de nostro igne in libris nostris pertractaverimus, unum alium ignem compositum significare volumus, & est maximum in arte arcanum difficillimæ cognitionis, cùm non sit humanum, sed Angelicum hoc cæleste donum comprehendere, & revelare. Fili ergo aures inclina ad nostrum compositum ignem & duabus rebus præparatum percipiendum (nempe ex *Rhebis* suprà dicta; unde Not. Ben. )scilicèt ex Fimo equino, & Calce viva, quarum compositio nostrum causat ignem perfectũ, & ità fit:

Recipe Fimum equinum benè digeſtũ partem unam : Calcis vivæ optimè mundatæ partem aliam Doſi convenienti : His compoſitis, ac ſimul intimè paſtatis, atque conjunctis, vaséque noſtro impoſitis, ità divinũ hunc ignem noſtrum compoſitum habebis ſine luce, & ſine carbone, & cæt. ità *Lullius*. Attendas ergo, & ſequentia cum ſupradictis ſapientèr combina.

Unde jam ſuprà audiviſti, quòd Fimus equinus ſit idem dicere, quàm ſpiritus, ſeu aqua noſtra, ità aliísque nominibus ùt ſuprà metaphoricè nuncupata. Et quòd corpus, calx quoque viva nominetur, notâſti : cum quibus optimè mundatis, digeſtis, & præparatis, ſimúlque indiviſibilitèr conjunctis, amalgamatis, atque paſtatis Lapis perficitur. Nempe ùt ait Poëta Philoſophus : *Et duo quæ fuerant, unum quoque corpore fiant.* Ergo nîl aliud Lullius indicare voluit, quàm corpus & ſpiritum ſimul conjungere, &c. Hinc de prædicta corporis, ſpiritúsque impaſtatione, ùt ſuprà dixit Lullius, addit *Laurent. Ventur. cap.* 25. Et ideo patienter ſuſtine, coque, tere, & reitera, quia quantò magìs teris, tantò magìs mollificas, ſic enim ſpiritus cum corpore impaſtatur, quæ autem impaſtantur, cum tempore ex toto reſolvuntur, & hæc impaſtatio ſit cum leni aſſatione, & cæt. Unde legitur in *Allegoria ſuper Turbam*, *Diſtinction.* 12. *Tom.* 5. *Theatr. pag.* 76. Ideóque (Nota) Calx viva Philoſophorum, & corpus Phyſicum eorum ſuo ſpiritui conjunctum ; Hæc enim compoſitio, ſeu impaſtatio ex corpore & ſpiritu fit : Et Philoſophi Corpus hoc Lapidi comparârunt, ſpiritum verò Igni, & Fimo, & cæt.

Corpus ergo eſt Calx viva Lulliana, ſpiritus verò Fimus equinus & ambo ſimul paſtata ignem compoſitum ab ipſo Lullio ſuprà deſcriptum conſtituunt : Et hìc quoque vides, quòd hoc Sal, ſeu Corpus Lapis per ſimilitudinem vocetur, ùt ſuprà ex *Gebro*, *Arnoldo*, *&c.* ſimiliter probavimus. Hinc non ſine cauſa Philoſophi ipſum Lapidem appellârunt, de quo hactenus nullus Chymiſtarum rationem invenire potuit ; ùt ſimiliter in ſcrutinio Hermeticæ ſcientiæ *cap.* 9. ita declaratur, & hoc verbum *Lapis* definitur, ſcilicet Sal in formam Lapidis appa-

rens.

rens. Unde ut benè concipias, quòd quamvis Philosophorum dicta variata videantur, tamen quòd semper, & ubique congruentes unum sentiant, & ad unum tendant finem, hoc aliud Riplæi documentum observa. Inquit enim Riplæus in *Prima sua Porta*: quò ad proportionem, ne opus tuum corrumpas, sint tua corpora subtiliter limata, & cum mercurio tum æquali portione subtilizata (scilicet donec corpus subtilitèr trituratum æquè sicut spiritus subtilizetur, & volatile fiat, & simul dupliciter æquali proportione concrescant) Unum Solis, duo Lunæ, donec hæc omnia in pultem redigantur, & cæt. (nempe una pars corporis, in quo duæ partes spiritûs gradatim in ipso corpore figantur, ùt pars volatilis superet partem fixi, ut ità fixum volatile fiat) de quo documento vide *Isaac. Holland. loc. cit. cap.* 38. *Lib.* 1. *& cæt.*

Hîc ergo, corpora limata cum Mercurio subtilizata, nîl aliud significat, nisi quòd unam corporis triturati, seu solis nostri partem sumamus, & cum duabus mercurij, seu lunæ nostræ partibus benè triturando illud gradatim imbibendo subtilizemus, ac simul impastemus, donec in pultem redigantur; itáque addit: unum solis, duo lunæ; quare corpus cùm sit mas, seu aurum nostrum, itaque sol vocatur. Mercurius verò, scilicet spiritus cùm sit fœmina, itáque luna nuncupatur, ùt suprà dictum est, quamvis etiam æquivocè quandoque pars salis externa luna quoque dicatur, & anima sua rubra occulta, seu sulphur internum itidem sol etiam vocetur, ùt suprà explicavimus, & ità corpus solare, & lunare nuncupetur. Itáque secundùm circumstantias adjacentes opus est Cabalas, æquivocáque sophorum intelligere.

Et ecce, quòd ubicunque perlegas, ac sophorum intentionem intelligas, clarè vides, quòd omnes generaliter tam antiqui, quàm moderni, tam Arabes, quàm Latini, tam Græci, quàm alii omnes in unum semper conveniant, quamvis propter nominum variationem contradictores inexpertis esse videantur, quia multa quoque Philosophi sophistica sinceris studiô intermiscuerunt ubique: Homo verò prudens ubi omnes in unum conveniunt, attendere debet, nam ibi, ut ait Bernhardus,

dus, procul dubio veritas invenitur, quæ veritas, in qua omnes unan-
miter conveniunt, hìc ubique patet. Etenim si memoriam habea-
& prædicta infinita nomina, tam corpori, quàm spiritui à Philosoph
studiô imposita in mente tua retineas, certè omnes sine ulla discrepan-
tia in hoc unum convenire sanè comperies, & fateberis.

Non autem mireris, si aliquando aliqua synonima verba Philoso-
phorum doctrinis addiderim? quapropter ad tuam majorem eruditio-
nem, atque ad textum clariorem reddendum, ut eas ità lucidiùs ex-
plicatas, meliùs intelligas, hoc feci, aliàs omnia, quæ ipsi dixerun
fidelitèr retuli, & hæc omnia, quæ scripsi, si cum citatis textibus col-
lationaveris, ubicunque similia reperies, nisi quòd aliqua synonim
vocabula lucidiora quandóque pro majori tua capacitate illis adjunxi
aliàs nunquam sensum alteravi, utì videre poteris, & me fidelem ess
concipias.

Unde ad ignem nostrum contra naturam redeamus, de quo hic
noster principalis est sermo. Hic Ignis, ùt dictum est, est spiritus ace-
ri nostri occultissimus, qui dicitur quoque Aqua prima, Aqua rubea
Mercurius rubeus, Ignis rubeus, Sanguis Draconis, Leonis, Adami
Hominis, & cæt. oleum solis, Succus Raphani, Aqua mali granati
Aqua fortis, Uva acerba, Spiritus vitrioli, atque Nitri, Aqua solaris
& cæt. Et Spiritus vini è contra, ut dictum est, Aqua secunda
Aqua alba, Mercurius albus, oleum lunæ, Aqua lunaris, Ignis
albus, fumus albus vocatur, & cæt. quæ ad tuam repeto eruditionem,
ne fortè obliviscaris, & iterum hallucineris, quia Aqua prima rubifi-
cat, & Aqua secunda albificat, quamvis ambæ sint albæ, cum qua
Aqua alba secunda, corpus primò per acetum nostrum, sive per A-
quam primam nigrificatum, dealbamus, & Latonis dealbatio voca-
tur, de quo Latone ità dealbando vide Arnoldum *in suo Thesauro The-
saurorum cap. 15.* Hinc idem *Arnoldus ibidem cap. 8. & cap. 10.* jubet,
quòd non confundamus aquam rubram cum aqua alba, neque oleum
solis cum oleo lunæ, seu aquam solarem cum aqua lunari, quod est u-
num per idem; quia, ut dictũ est, primò cum aqua rubra solari hoc est,
spiri-

ſpiritu aceti corpus ſolvimus & latonem rubificamus; ac inde cum aqua alba lunari, ſcilicet ſpiritu vini, latonem dealbamus, & ſecum conjungimus absque aquarum confuſione.

Et quòd reverâ in prima corporis ſolutione, corpus illud unâ cum aceto rubificetur: audias, quid dicant Philoſophi, & Not. Bene. legitur in allegoria ſuper Turbam *Tom.* 5. *Theatr. Diſtinction.* 3. *pag.* 67. Et ſcito, quòd primus ros exiens (ſcilicet aqua prima prædicta poſt imbibitiones conſecutivas lento calore evaporans ſuperfluum, ita ros primus exiens dixit Philoſophus) ſit humiditas ſuperflua in evaporatione evaneſcens, deinde ſal rubificatur, & unâ cum ſua tinctura remanet & cæt. (quia ſubtilior aceti pars jam ab anima corporis rubificata, unâ cum corpore finitur, & cum illo remanet, & pars aquoſa inſipida evaporando evaneſcit) & paulò poſt ulteriùs ibidem addit Author: ſcito quòd omnes aquæ dealbent, exceptô ſorni noſtrô (ſcilicet ſpiritu aceti ita ab ipſo nuncupato) aquâ noſtrâ primâ videlicet, quæ priùs ſalis ſpiritum citrino-rubro tingit colore. Deinde paulatim quotidie proſequendo ejus tinctura augmentat, quousque rubra ut ſanguis fiat. Et ſcito fili, ac firmiſſimè tene, quòd tinctura ſalis & hujus ignis noſtri tibi ſufficient, & cæt. Deinde ulteriùs ſubjungit: poſtea ea conjunge, quousque una (Nota) aqua rubea tincta apud viſum fiat, experientia tamen eſt alba, & cæt.

Unde cum ſuprà citato *Seniore Vol.* 5. *Theatr. pag.* 214. & 236. prædicta documenta combina, & hanc lucidiſſimam invenies ibi concordantiam, ubi Senior inquit: dicitur aqua rubra, quamvis ſit alba, ab operatione ſua, & cæt. quia extrahit animam à corpore ſalis noſtri, & tingitur ut ſanguis. Sicuti in praxi procul dubio in prima ſalis noſtri præparatione, ſeu diſſolutione, prædicta ſigna videbis.

De quibus duabus aquis prædictis, albâ ſcilicet & rubrâ ambo in opere noſtro valde neceſſariis, vide *Lib. de magni Lapidis compoſitione vol.* 3. *Theatr. part.* 2. *cap.* 9. & quòd aqua prima ſit acetum, ibidem *cap.* 14. perlegas, & videbis. Atque etiam vide *Annotationes Nicol. Flammelli, ex Schola Philoſophor. Vol.* 1. *Theatr. pag.* 765. Ac *Vol.* 2. *ejusd. Theatr. Chemic. pag.* 115. Ex *Axiomatibus Georg. Canonic. Riplæi.* Sive *Vol.* 4. *ex Geb-*

80, pag. 344. Atque *Vol.* 5. *ejusd. dict. Theatr. ex Mierer. pag.* 99. Hinc *Lullius in suo Testam. Noviss. Lib.* 1. dicit: Divide spiritus in duas partes unam pro menstruo simplici serva, & cum alia extrahas animam à corpore. Et idem Lullius in lib. artis compendiosæ, seu vade mecum paulò post principium, similiter de istis duabus aquis mercurialibus ignis loquitur; & lucidiùs explicatis, vide *Riplæum in* 2. *Abbreviation.* ubi de aqua alba, & aqua rubra tractat, & quòd sint ambo ignes nostri naturalis, & contra naturam, declarat. Et ecce ergo explicavi tibi funditùs, quid sit ignis noster contra naturam præsertim occultissimus in hac arte, unde gratias Deo agas, quia arcanum habes ignotum, quod nunquam ante me à nemine revelatum fuit, & sine quo Lapis perfectus nequit. Et quòd duæ sint aquæ in opere nostro necessariæ, nemo Alchymistarum adhuc audivit, &c.

Addit inde *Laurent. Ventur. cap.* 23. Hæc aqua nostra duplex est ex duabus naturis, quamvis ambæ ex una re extractæ. Item de istis duabus aquis alba & rubra, *legitur in Tom.* 2. *Bibliothecæ Chemic. curios. Joan. Jacob. Manget. pag.* 159. 2. *Column.* ex Clangore Buccinæ, & Lullio: Non ergo misceas aquã albam cum aqua rubra, & è converso; quia errabis, si secùs feceris, ut addit Arnoldus: verumtamen ne putes (Notat) hanc aquam rubram ita nuncupatam esse verè rubram in aspectu? sed albam ut alia, habentem rubificandi corpus potentiam cum effectu. Itaque ab hac operatione sua, rubra dicitur, ut Senior subjungit. Seu aqua solaris, ignis rubeus, mercurius rubeus, & cæt. rubra vocatur, &c.


Unde nunc ergo intelliges *Arnoldum in suo Thesauro Thesaurorum cap.* 8. dicentem: & sicuti primò feciſti cum aqua rubra, facias indè cum alba: quoniam unum eundémque modum ablutionis habent, nisi quòd aqua rubra sit ad rubificandum (corpus videlicet) & aqua alba ad latonem albificandum. Non ergo misceas unam cum alia, quoniam errabis, si secus feceris, & cæt. (quis ergo nunquam ante me hoc mysterium detexit?) Hoc est absque aquarum confusione, quia primò cum aqua rubra corpus solvimus, rubificamus, & à fæcibus omnibus extrahimè per repetitas filtrationes, solutiones, & coagulationes, depuramus, deinde cum aqua alba latonem rubrum dealbamus, volatilizamus, &



simul conjungimus, ut idem *Arnoldus ibidem cap.* 15. ita declarat. Et de istis duabus similiter aquis intelligitur, quamvis aliis Arnoldus subinde vocabulis ibidem *cap.* 10. utatur: cum dicat: non enim misceas oleum auri cum oleo argenti, quòd idem significant. Et istæ duæ aquæ sunt, quæ similiter fumus albus, seu vapor albûs, & rubeus dicuntur.

Unde cum dicant Philosophi: in opere albo non intrat nisi album, & in opere rubro nisi rubrum: hoc intelligitur post Lapidem sive ad album sive ad rubrum absolutum: id est si fuerit ad album, quòd illam albam massam aridam cum spiritu vini albo sæpè solvendo & congelando resolvamus donec fluat, & cæt. & cum luna vulgi illam conjungamus, sive specificemus. Et si fuerit ad rubrum cum aqua rubra scilicet spiritu aceti massam resolvamus rubram, & auro vulgi conjungamus, & cæt; De quo Artificio vide *Isaacc. Holland. in suo oper. Mineral.* pluribus in capitibus & cæt. Et de prædictis duabus aquis albâ & rubrâ, vide quoque *Basilium Valentinum in sua* 5. clavi & cæt. Et de hoc igne contra naturam satis me dixisse arbitror.

Nunc de furno, sive Athanore Philosophico turrili, portatili loquamur, quod ita construere debes, & per quantum possum, illud quoque describam.




Fac igitur Furnellum cupreum rotundũ cum suis spiraculis clausoriis in parte media litter. D. ex tribus partibus ita confectum, unius cubiti cum dimidio altum, ejusque rotunditas, sive oris circumferentia, ac latitudinis ejus interna sit veluti ferè orbis mensalis, vel paulò minùs, in cujus medio sit lamina rotunda perforata variis, spissisque foraminibus pervia, per quæ calor externus Lampa-

dis æqualiter ſcutellam calefacere & circuire poſſit, ut littera E, ac in ejus ſummitate Cooperatorium in formam panis ſaccarati confectum & in capite lutatum ſit, duósque vitreos habet oculos, ut colores in o pere fixionis ultimo quoque apparentes obſervare poſſis, ut litter. A in cujus furni ventre ſuper laminam perforatam in parte media exiſten tem ſit impoſita, ac adaptata ſcutella cum cineribus compreſſis bene cribratis, ut litter. C. ne tamen ſcutella illa craticulam tangat obſerva in quibus cineribus in dicta ſcutella compreſſis, phialam vitream, ſeu ovum Griphonis noſtrum ita à Riplæo nuncupatum, materiam conti nens, ſepelias, usquedum autem materia inferiùs perveniat nec ultra ſcilicet tertiam inferiorem phialæ partem materiam continentem, nec ampliùs infra cineres abſcondas, & duæ vitri partes ſuperiores vacuæ extra detectæ remaneant, ut litter. B. ac circumquaque ſint cineres ad craſſitudinem duorum circiter digitorum compreſſi. Et inferiùs Lam padem cum pinguedine porcina alba purgata, & absque ſale confecta quæ melior eſt oleô, cum goſſipio ex tribus vel quatuor ad ſum̃um ſub tilibus filis confecto adaptabis, & Lampas ſit incaſtrata infrà ſemicir culum cupreum in medio Athanoris circumferentiæ in inferiori parte immobilem adaptatum, adeò ut Lampas ſemper ſtabilis in eôdem ſitu in medio furni exiſtat, & æqualiter leviſſimô calore ſemper ardeat, & cave ne extinguatur, aliàs operam ludis, ſicuti exemplum habemus ex Gallina cum ova ſua fovendo relinquat, quóque pulli non perficiuntur. Et cum illis fatuis mulieribus in *Matth. cap.* 25. fruſtra clamabis. De quo ſemicirculo ac Lampade vide litter. H. Goſſpium verò antea in ſpiritu vini communis infundas, ac ſubinde aliquô cum parvo pondere infe riùs in dicto Goſſipio ſpiritu vini madefacto, ligato, illum ſuſpendas, do nec benè exſiccetur. Furnus quoque ſit immobiliter ſituatus, ne ullô modô agitari poſſit, ac unquam à ſuo ſitu moveatur. Imò in aliqua cre dentia, ſeu armario in proprio Hypocauſto, ſeu camera ubi dormire ſo les, furnum includere poteris, ut ego prudenter feci, ita ut noctu diú que, ne ignis moriatur, attendere queas, ac de die Armarium, ſeu Ar cam claudere poſſis, ne ab aliis, ſeu Domeſticis intervenientibus tangi

neque

neque videri possit, ut etiam cave, ne vitrum tuum, vel aperias, vel moveas unquam ab initio usque ad finem, nam ut ait Riplæus *in fine 2. portæ*, si secus feceris, opus tuum nunquam perficies. De quo furno vide *Sendivogium Epist.* 36. Atque *Mare. Eugenium Bonnaccin. in suo præcitato Compendiolo de præparatione Auri potabilis cap.* 6. quamvis autem multi ex terra cocta furnum construxerint, & vere fieri possit, & ita terreus à nonnullis describatur, sicuti ab Arnoldo in Breviario, in praxi ad quemdam Pontificem, terreum fuit edoctum, atque etiam ita docetur in Lib. de expositione figurarum ab Anonym. de massa solis & lunæ, erga finem, & cæt. nihilominus ego cum Philaletha *in suo Introitu cap. 18.* tibi consulo, ut ex cupro hoc portatile Athanor conficias, & sic erit commodius, ut ego feci, quod mihi, non ampliùs, quam duos venetos Aureos, constitit.

Et quod vas vitreum debeat esse phiala, vide *Laurent. Ventur. cap.* 15. Atque tractat. qui dicitur: Dominus vobiscum *pag* 51. *Joann. Sebotum pag.* 60. Sive etiam *Tractat. mulier. Græc. pag.* 92. Vel *Philalethum in suo Introit. Apert. cap.* 17. *& cæt.*

Itaque Miredis ait: In vase vitreo colli longi, angusti foraminis, materiam ad decoquendum imponite. Et ecce Lampadis forma.




Lampas sit ergo rotunda, duabus cum maniliis, sine auriculis uti vides, unâ scilicet ut in ultimo furni latere tangere possit, ne transcurrat, ac ne Athanoris medium transcendere queat, verùm in semicirculo prædicto incastrata semper immobilis existat. Aliâ auriculâ, ut manibus commodè extrahere valeas ut litter. K. ac in intrinsecus in ventre suo cratellam rotundam concavam perforatam habeat, in medio cujus in summitate nasulum perforatum pro licinio contineat, cujus concavitas sit inferiùs, & nasulum superiùs habeat, ut litter. L. In parte verò inferiori Athanoris, ubi litter. F. portula clausoria cum vitro in medio adaptato sit constructa, ut litter. G. adeo ut de nocte ex lecto, an Lampas benè ardeat, videre possis. Et à latere prædictæ partis inferioris nasum, sive rostrum habeat prælongum, per quem fumus exha-

lare queat, ut litter. I. & per foramen credentiæ ſive armarii prope mu-rum tranſeat, ac aliud quoque foramen arte factum ſit in muro adapta-tum, quod in aliquo camino correſpondeat. Eſt etiam neceſſarium, quod in parte media litter. D. aliam clauſoriam habeat feneſtrellam, perquam aliquando ſcutellam tangere poſſis, & manus abſque læſione diu tenere queas, ne fortè calor externus ſcutellam nimis calefaciat, quod ſæpè bene obſervare debes, cum calor ille ſemper debeat æqua-lis eſſe, veluti Gallinæ in ova ſua incubantis, Ac phiala jam ſit bene vul-gari Hermetico ſigillô, Hermeticè ſigillata, ne reſpirare poſſit. De quo vulgari ſigillo Hermetico ſimiliter neceſſario vide *Laurent. Ventur. cap.* 17. Riplæum in tertia ſua porta; & ne te tædeat diu perfectionem ope-ris expectare. Etenim

*Præmia victorum pendent in fine laborum,*
*Omega diſtinguit factum, non Alphâque cæptum.*

Nam, ut *Matth. cap.* 10. non qui bene inceperit, ſed qui perſeveave-rit usque ad finem, hic beatus erit. Unde cave, ſis patiens, ne feſtines, ne ſubinde in fine dicere debeas:

*Quòd opus inceptum totum ſit prorſus ineptum,*
*Ricordati però di quanto eſpreſſi,*
*Tacer l'Arcano, e ſouuenir gl'oppreſſi,*
*Che ſe poſcia non taci, haurai coll'oro*
*La ſorte di Giovannni di Laſnioro.*

De qua mala ſorte ſua, tremulus videas, quæ *in vol.* 4. *Theatr. pag.* 584. *in fine ſui* 2. *tractat. ſcripta ſint.* Itaque cave, ſileas, ut tutè vivas.

Ac denique memento, quòd extra beatam æternitatem, hæc om-nia, ut ait *Eccl. cap.* 1. ſint vanitates vanitatum, & omnia vanitas.

Unde bene dixit venerabilis ille vir *Thom. à Kemp. lib.* 3. *cap.* 4. Nîl grande, nîl pretioſum, nîl admirabile, nîl deſiderabile, niſi quod æter-num ſit. Etenim, ut *Ezech. cap.* 7. 19. Aurum tuum non valebit libera-re te in die furoris Domini.

*Nîl mundus, nihil eſt, qui mundum diligit, omne*
*Mundanum tandem vertitur in nihilum.*
*Eſt nihil in toto, nihil eſt feliciùs orbe,*
*Quàm præter* CHRISTUM *ſemper amare. Nihil*

Nam

Nam quid proficit homini, si universum mundum lucraretur, se autem ipsum in æternum perdat? ut *Luc. cap.* 9. 25.

# Caput Decimum Quintum.

## *Quòd unum sit vas, unicus Ignis semper æqualis, unicúmque regimen tam ad album, quàm ad rubrum successivè peragendum. Et quomodò, ac quanta materia parata in secundo, vel ultimo decoctionis, seu fixionis opere in Phialam sit imponenda, ac de tempore, cæterísque documentis, & cæt.*

NEmo virorum in orbe, quamvis doctissimus, ac subtilissimô ingeniô dotatus absque magistro perito docente hoc opus integrè comprehendere præsumat, ut ex prædictis lucidè apparet. Quis unquam inter omnes innumeros Chymistas vulgares de mercurio albo & rubro prædictis similia credidisset? quis unquam cogitaret, quòd fimus equinus & calx viva, spiritus & corpus Philosophica significarent? quis unquam crederet, quot tot regimina unico vase includantur, & in unico parvo vitro fieri possent? ego coram Deo Omnipotenti sincerè dico, ac humili corde fateor, quòd nisi per divinam misericordiam magistrum inveniissem, cum omnibus meis tam diuturnis in hac scientia studiis nihil unquàm in mea vita perfeciissem, cùm nîl aliud nisi materiam, & vinum Philosophicum comprehendere potuerim. Etenim nunquam concipere potui quomodo in unico vase alembico carente, distillatio, sublimatio, calcinatio, imbibitio, solutio, coagulatio, rubificatio, dealbatio. & cæt. fieri potuissent, ab omnibus Philosophis ita testantibus descripta? quamvis satis declaretur ab Alberto Magno in suo Compendio de ortu, & metallorum materia *Vol.* 2. *Theatr. pag.* 125. *Efferrario Monacho in sua Epist. ad aliquem Pontificem Vol.* 3. *dict. Theatr. pag.* 148. 149. *Fratre Helia Assisiens. in suo tractatulo Saturni penes Artephium in suo Libello secreto, inserto. Arnoldo Villanovano in suo speculo Alchem. in* 2. & 7. *Dispositione, & cæt.* Nunc autem etiam tu hoc artificium intelligis jam suprà explicatum: imò in præparatione materiæ impossibile nobis foret pluribus uti vasis.

Et quòd etiam unus sit ignis semper æqualis, & valde suavis, nunc-

quo-

ſtioque benè intelligis, tam in præparatione, quam in ultima decoctione adhibendus, & reverâ ratio naturalis nos docere deberet, quapropter in præparatione poſt imbibitionem peractam, nîl aliud volumus, niſi quod ſuperflua humiditas exhalet, atque diſtillet, & ſubtilior ſpiritûs pars in corpore remaneat, quòd ſi nimius eſſet calor, ſpiritus unâ cum phlegmate evolaret, & corpus ſemper aridum remaneret, & nunquam reſolveretur. Et ſimiliter in ultima decoctione, ſi calor externus calorem internum naturalem ſuperaret, certè opus deſtrueretur, Cùm ſapiens noſcere debeat, quòd omnes generationes, rerúmque omnium naturalium procreationes ſolùm fieri habeant per temperatiſſimum calorem, & ſemper æqualem, ut natura, & experientia ubique docent. Hinc Morienus & Rogerius Bacco, & cæt. nîl magis inculcant, niſi quòd ignis in omnibus ſuis diebus ſemper levis, & æqualis ardendo perduret, itaque unus dicitur ignis. Qui ignis elementaris, quamvis diverſimodè à Philoſophis indicetur, nil aliud ſemper eſt, quàm ignis cinerum in ſalis præparatione, & ignis Lampadis in ultima decoctione, ut ita tam unum, quàm alium ſemper ipſum æqualem, ac levem regere poſſimus, aliàs eſſet impoſſibile? qua de cauſa Philoſophi hunc ignem elementarem ſimo, balneo, ſoli, calori febrili, urinæ, Gallinæ in ova incubanti & ſimilibus comparârunt, & hoc causâ levitatis, & æqualitatis dixerunt. Chemiſtæ autem vulgares nîl penitus de hac ſcientia intelligentes, & nîl aliud quàm metalla & mineralia audire volentes, per impoſſibile credunt, quòd in unico tantum vaſe in ſimili tepido calore hoc opus fieri poſſit. Ur *Arnoldus ipſos ita in ſuo Theſauro Theſauror. cap. 17.* corripit, ubi inquit: veritatem Philoſophi dixêre, quamvis ſtultis impoſſibile videatur, quòd unum ſit vas, unus ignis, & unica materia. Unde Longanus ait: Hoc in opere curato, quòd calorem continuè levem ac uniformem ſemper tuum vas habeat. Ac in principio cimbali aurei, dicitur: In omnibus gradibus ignis, unus & ſemper æqualis eſſe debet; unde vide *Vol. 3. Theatr. pag. 781.* Atque Guidonem de Montanor in Scala Philoſophorum paulò poſt principium. Sive *Laurent. Ventur. cap. 21.* In quo igne cinerum in præpara-

ratio-

ratione ſalis leviſſimo, in eodem caloris gradu ubi imbibendo ſolvimus, in eôdem quoque ſimili gradu evaporando congelamus. Sicut etiam in ultimo fixionis opere, in unico vaſe clauſo in eodem Lampadis calore, materia pluries ex ſe ſolvitur, pluriésque congelatur, ſæpè nigreſcit, ſæpè albeſcit, ſæpéque citreneſcit, & cæt. donec & cæt. Hinc *Lullius Vol.* 4. *Theatr. cap.* 4. *ſuæ Theorîæ, pag.* 35. *ait*: Etenim materia noſtra in eôdem ignis gradu in quo ſolvitur in aquam, in eodem ſimili gradu coagulatur in terram.

Unde Arnoldus in fine ſuæ practicæ ad quendam Papam in Breviario Libror. ſubjungit: ignis noſter levis & æqualis ſemper eſſe debet, quâ de causâ per ſimilitudinem dicitur balneum, fimus, ſol, & cæt. quia balneum, ſol, & fimus ſemper æqualem ſervant calorem, & levem, quamvis balneum, ſol, & fimus non ſit, & cæt. Et vide prædictum *Lullium in elucidatione Teſtamenti cap.* 3.

Itaque ros Aurificus cap. de ignibus in genere, dicit: Ignis primi gradûs eſt aqua noſtra alba, & motus triturationis. Ignis ſecundi gradûs eſt aqua rubra, & humiditas terræ calidæ ſubterraneæ. Ignis tertii gradûs eſt ignis cinerum, ſeu Lampadis. Et hi ſunt gradus ignis Philoſophici, & cæt. De quibus primis, ſcilicet primi & ſecundi gradûs, ſeu naturali, & contra naturam, ac non naturali, addunt Riplæus & Artephius, à principio usque ad finem ſemper indigemus, tertiô verò non ſemper utimur, & cum utamur leviſſimo ſemper, ut ſol eſt.

Unde dicit *Laurent. Ventur. cap.* 20. (Nota Ben.) ſi autem quandóque à Philoſophis jubeatur intenſior, ſive calidior hic ignis fieri, non eſt referendum ad caloris augmentationem, ſed temporis diuturnitatem, quia quantò enim diutius res illa in æquali calore perdurat eò magis per continuatam caloris actionem naturaliter calor ex ſe creſcit, & gradatim ipſemet augetur. Quapropter etiam in præparatione ſalis per octiduum poſt imbibitionem in igne cinerum leviſſimo vas in evaporatione relinquimus, & ideò in illo quamvis æquali calore per continuatam octiduanam caloris actionem, naturaliter ex ſe creſcit, ſicuti experientiâ probatur; Nam ſi aliquis ſuper candelam quamvis

altam manum ſuam procul à flamma diu retineret, ſemper tamen ignis gradatim ſibi augeri magìs, magísque videretur, Et à fortiori in ultimo fixionis opere cùm ignis tamdiu quamvis leviſſimus ſemper ardendo perduret, naturaliter ergo in illo æquali tepido calore ipſemet gradatim ex ſe augeri debet.

Hinc omnes juſſerunt, quòd calor ignis in toto opere ſit ſemper ſicuti calor ſolis in æſtate, ut inter alios *Iſaace. Holland. in ſuo opere Minerali de ultima Lapidis decoctione loquendo cap. 113.* qui quamvis dicat ibi: tum ignem tuum exiguum gradum auge, ſicut ſol in Aprili ſplendet, ac ſubindè: quòd iterùm modicùm augeatur ignis ſicut ſol in menſe Maji; & iterum poſtmodùm ſicut ſol in menſe Auguſti, & cæt. quòd ſi benè ſuam intelligas intentionem, nîl aliud ſignificare voluit, quòd ignis ſit ſemper levis, ac æqualis, cùm ſol ſit ſemper idem, quamvis alicui in ipſo diu permanenti ex ſuis continuatis radiis calor augeri videatur, & ſic per continuatam in ipſo ſole permanentiam, ipſius calor licet ſemper æqualis magìs tamen, magísque gradatim incaleſcit. Unde Lilium ait: ſicuti in opere præparationis decoctiones non ſunt augendæ, ità non ſunt in opere fixionis intermittendæ, donec corpus & ſpiritus indiviſibiliter in unum conjungantur, Hoc eſt, ut addit Alphidius: donec in uno vaſe, unicóque continuato calore, ex duabus Aquis in præparatione unam faciatis Aquam, ex ſolvente ſcilicet & ſoluto compoſitam, ùt Com. Bernhardus ſubjungit, & una ab alia nunquam ſeparari, nec ampliùs disligari queat. Hinc *Job. cap. 41.* Una uni, inquit, conjungitur, una alteri adhærebit, & tenentes ſe nequaquam ſeparabuntur.

Hic autem leviſſimus æqualísque calor ſemper in ſecundo præparationis opere, ſcilicet in corporis ſpiritúsque conjunctione, in ſalis præparatione, quamvis primum vocetur opus, ac in ultimo decoctionis regimine ità ſuavitèr regendus intelligitur. Cùm in prima primaria præparatione, ſeu diviſione, nempe ad vinum, acetúmque conficiendum, tartarum calcinandum, ſal erunendum, ambósque ſpiritus extrahendos, & cæt. multis vaſis, ac ordignis, ignibúsque

validioribus indigeamus, ùt ſuprà ex *Theobaldo Vol. 1. Theatr. Part. 3. pag. 179.* atque ex Philaletha probavimus. Quamvis Philoſophi de primario indiſpenſabili præparationis, ſeu diviſionis artificio, atque magiſterio nimìs parcè ſcripſerint, neque illud in opere computârint, ſed tantummodò ſalis præparationem, opus primum, ac materiæ paratæ decoctionem, opus ſecundum, nuncupârunt. Itáque Geber ait: ùt ſuprà ſimilitèr ex Annotationibus Nicolai Flammelli, & ex Roſario demonſtravimus, quòd non niſi ſemper unico vaſe, unico furno, unicóque leviſſimo igne poſt primam præparationem indigeamus.

Hinc Daunſtanus, Beatus Egidius de Vadis, Arnoldus, Frater Helias, & cæt. ſcripſerunt; quòd Philoſophi multa capita de hoc Lapide ſeparatim fecerinr; nempe, ùt dictum eſt, de ſublimatione, diſtillatione, putrefactione, ſolutione, congelatione, calcinatione, dealbatione, imbibitione, aſſatione, & cæt. ad ſimplices decipiendum, ac plura vaſa, furnósque deſcripſerint, & ignes, cùm omnia tamen in unum reſtringantur, & ſint una, & eadem operatio, quæ fit in unico vaſe, unico igne, unico furno: unicóque regimine repetito, &c. Unde Geber addit: Et omnes iſtæ operationes, poſt primam præparationem in unico ſemper vaſe, unico igne, unico furno, & non pluribus, fiunt. Ut ità quoque Riplæus in fine quintæ Portæ confirmat, atque etiam *Lullius in ſua Theoria cap. 94. Artephius Arabs in ſuo Libello ſecreto & cæt.* conteſtantur. Et de hoc artificio, & quomodo intelligatur, vide *Vol. 3. Theatr. Lib. 1. de Alchem.* ſive *de Magni Lapidis Compoſitione cap. 18. pag. 19.* ubi lucidiſſimè explicatur. Item legitur *in Lib. Enarrationis Methodicæ Trium Gebri Medicinarum pag. 27. ex Alphidio, & Maria Prophetiſſa:* Menſura ignis tui ſit ſemper ſicuti ſolis calor in menſe Junij & Julji ſplendentis, quem per ſimilitudinem fimum equinum vocamus. Et vide *Theſaurum Philoſophiæ Tom. 3. Theatr. pag. 153. vel in fine Epiſt. 9. Michaëlis Sendivogij contra Pageſium, ac Epiſt. 36. ibidem.*

Cùm enim comprobatum fuerit ovum Philoſophorum ovo Gallinarum aſſimilari? ùt ex multis Philoſophis notatur. Sequitur ergo, quòd calor externus talis eſſe debebt, qualis ſufficiat ad calorem ipſius ovi,

ſcilicet materiæ noſtræ, internum excitandum, ut ſimul ſuam radicalem humiditatem conſervare queat, à qua calor naturalis internus nutriri poſſit, & non deſtrui. Cùm materia noſtra non ſit aliquod metallum minerale, utì ſimplices Chemicolæ putant : ſed materia ſpermatica prima metallorum ſubſtantia, ùt ait *Laurent. Ventur. cap.* 25. Vaporem tantùm metallicum, & aurum in fieri, ùt addit Avicenna; vel electrum immaturum, ùt Paracelſus ſubjungit, &c. Theophilus enim in Turba ſcripſit : oportet te autem igne lento rem coquere, cum humiditate quadam ( ſcilicet ſpiritu ) utì ovorum nutrice. Gratianus ait : Quòd ignis in omnibus ſuis gradibus æqualis, & benè levis eſſe debeat. Mireris, addit : Nonnè nutricis Galinæ calore fit ex ovo pullus volans ? ſimiliter ergo hujus putrefactionis caloris fit ex Ovo Philoſophorum pullus tingens, & ità Joan. Thebajdus. atque Joann. Chryſippus, & cæt. confirmant.

De rempore autem determinato certam tibi notitiam dare non poſſum, niſi quòd ego prima vice, ſicuti novitius, quamvis in modica quantitate opus incepiſſem, citiùs ab initio uſque in finem illud perficere non potui, niſi poſt quinquennium, & menſes quinque. Et reverà tempus determinari nequit, qua de cauſa nullus hactenus Philoſophorum de tempore certam ſcripſit rationem, niſi quòd patientia & mora ſit artifici neceſſaria, opus enim longum petit tempus; quapropter ſecundùm operantis praxim in duabus primis præparationibus primò ſcilicet in vino, & aceto conficiendo, tartaróque calcinando ſale eruendo, & cæt. ſecundò in ſale præparando, ac Latone dealbando, conſiſtit. Tertiò quoque ſecundùm quantitatem materiæ tam ab initio ſumptæ, quàm in fine Phialam ad figendum impoſitæ. Quartò etiam ſecundùm longiorem, vel breviorem viam in præparatione ipſius ſalis à Philoſophis inventam, aërísque diſpoſitionem, bona commoda, & opificis attentionem. Unde in his omnibus tempus brevius aut longiùs conſiſtit; quia poſtmodum in ultimo fixionis opere per biennium circitèr, & paulò plus cum multiplicatione tempus extenditur. Verùm ſi Dyoniſius Zaccarius in uno anno, exceptâ tamen præ-

para-

paratione, secundùm decoctionis opus perfecerit, ità citò illud absolvit, quia prima vice modica cum materia opus incepit, & inde semiunciam in Phialam in ultimo decoctionis opere imposuit, ut quoque fecit *Bernhardus Trevisanus*, *ùt Theobaldus Vol. 1. Theatr. Part. 1. pag. 129.* ità declarat, dicens: Non autem quemquam falli velim Comitis Bernhardi authoritate, qui mensibus novem cum dimidio opus absolvit, cùm hoc tantummodò posteriorem operis partem, scilicet post primam diuturnam præparationem intellexerit, & pauca cum materia inceperit, & cæt. Ut ità similiter *Vol. 5. Theatr. in Tractatu de massa solis & lunæ Part. 2. pag. 478. 479. Dyonisii Laccarij atque Comitis Trevisani* intentio declaratur, & quomodo etiam similes brevitates à multis descriptæ intelligantur, *ibidem Part. 3. pag. 500. explicatur.* Etenim alii unciam unam, alii duas, alii mediam in phialam ad figendum lapidem materiæ paratæ ultimò imposuerunt, cùm non amplius ad summum quam duæ unciæ dictæ materiæ paratæ in ultimo decoctionis opere in phialam imponi possint, aliàs nec per decennium terminaretur decoctio, & ita cum variatis sibus multi per biennium, alii per triennium, alii plus, alii minus optatum finem expectare debuerunt. Raymundus enim cùm in sua theoria *cap. 42.* atque in suo codicillo, seu *vade mecum pap. 160.* dicat: præparatio Lapidis est unius anni, & Elixir alterius, & totus operis cursus per tempus duorum annorum circiter perdurat, &c. Hìc cautè tamen observare debes: quòd prima præparatio sit unius anni: scilicet vinum conficere, spiritum extrahere, acetum præparare, & sal eruere, ut suprà dictum est. Et indè subjungit, & Elixir alterius, nempè secundam intelligit salis præparationem, quia Elixir nostrum, est materia ad butyri consistentiam, seu lac virgineum deducta, scilicet corpus & spiritus ad ultimam perfectionem redacta, & simul conjuncta, ut supra declaravimus, quamvis annus non sufficiat; ac in fine addit: Et totus operis cursus, scilicet usque subindè ad lapidem fixum in ultima decoctione absolutum, per tempus duorum annorum circiter perdurat: Hoc est, ab initio ultimæ decoctionis, post præparationes prædictas,

usque ad finem, ut suprà videlicet dictum est, quòd post Elixir praparatum, in ultimo fixionis opere duo saltem anni percurrere debeant, & hæc fuit Tulliana intentio, à me per Divinam misericordiam, in hac Arte experto bene intellecta, quamvis ipse more solito, cabalisticè, ac æquivocè ità loquatur. Sed non est mirum; quapropter nullus veram temporis notitiam determinare, nec patefacere voluit, ut ex eorum patet scriptis, qui nullibi de tempore conveniunt, quapropter non tantùm convenire non potuerunt, quia ut diximus secundum quantitatem materiæ, praxim & cætera prædicta, citiùs vel tardiùs opus perficitur, verùm etiam nè Tyrones de tanta prolixitate perterriti hæc studia relinquant. Aliam quoque occultam causam, quare nonnulli breve huic operi assignârunt tempus, notificabo, & est quia multi magis invidi etiàm hìc cabalis Philosophicis usi sunt: quapropter scire debes, quod dies Philosophici sint hebdomadæ, & hebdomadæ menses, quamvis non semper, & non omnes hanc regulam observaverint, ab ipsis ex Sacra Scriptura *Levit. cap.* 25. *& Daniel. cap.* 9. sumptam, ubi dies pro hebdomadibus annorum intelliguntur. Ut *à Cornel. à Lapid. Divo Hieron, &c.* ità explicantur, &c. Undè Paracelsus in suo Manuali, & alibi scripsit; nullam Electri nostri immaturi solutionem fieri posse perfectam (Nota Electri solutionem, scilicet primam salis radicalem prædictam solutionem) nisi priùs sphæram septem circulorum ter perfectè percurrat, &c. quæ est simplex præparatio usquè ad Elixir. Ac subindè, cùm in phialam ad figendum Lapidem unam imposueris Elixiris unciam, saltem ut diximus, per biennium usque ad Lapidem fixum, & rubrum, ultima Elixiris decoctio perdurat. Et hæc est vera temporis descriptio. Si tamen verò nimia non sit materia, cum qua, & ex qua opus tuum ab initio incipias, citiùs opus perficere poteris, sed parum etiam habebis, ut mihi prima vice contigit. Item *Joann. Augurellus* in sua Chrysopæia cecinit: Hoc opus præparationis (scilicet usque ad elixir) non nisi trium annorum spatio absolvi posse. Et ità præcitat: *Marc. Eugen. Bonaccina* in suo compendiolo *de auro potabili cap.* 7. *David Lagneus* in sua harmonia *cap.* 10. *Antonius de Abatia* in sua Epistola, &c. confirmant.

Inquit

Inquit enim Ros aurificus *cap.* 5. *pag.* 157. non autem simplices falli velim Philosophorum cabalis, qui ut plurimùm dies pro hebdomadibus, hebdomadas verò pro mensibus sumpserunt, ne temporis prolixitate Tyrones perterrerent, &c. Quamvis non semper ità intelligi debeat, &c. Si verò clangor Buccinæ circà medium sui Tractatus dicat, quod in quadraginta diebus opus ad album compleatur, & in nonaginta diebus ad rubrum perficiatur (semper autem exceptâ, seu demptâ primâ duplici prædicta præparatione intelligitur, ut suprà *ex Theob.* &c. probavimus) Hoc verò Author *de massa Solis & Lunæ Vol.* 5. *Theat. part.* 3. *pag.* 500. scilicet ut suprà dixit Ros aurificus, quòd Philosophicè dies pro septimanis intelligi debeant : Undè hoc Philosophicè indicare voluit clangor Buccinæ, quod opus ad album in 40. hebdomadis, & ad rubrum in 90. perfici possit, demptâ semper præparatione. Ut idem Author *de massa Solis & Lunæ ibidem loc. cit. part.* 2. *pag.* 478. 479. Concludit etenim, ut suprà dictum est, *ex Daniele cap.* 9. de suis septimanis hanc regulam sapientes sumpserunt, quæ pro septimanis annorum sumuntur, scilicet dies pro annis. Hinc etiam *Levit. cap.* 25. legitur : *septem septimanas annorum numerabis.* Itaquè Philosophi eodem ferè modo intellexerunt : nempè dies pro hebdomadis, ac hebdomadas pro mensibus indicarunt. Etenim idem clangor Buccinæ *ibid. pag.* 537. subjungit, quod in purificatione, divisione, ac materiæ præparatione, tempus determinatum esse non possit usque ad elixir ; quia secundùm materiæ quantitatem, Artificis praxim, & attentionem, commoditatésque, &c. citiùs vel tardiùs opus perficitur, &c. Vel potiùs etiam credo quod hoc clangoris Buccinæ opus prædictum, sit illud fortè Philaletæ particulare in suo Introitu aperto *cap.* 19. descriptum, ubi dicit : *Si operatus fueris cum mercurio nostro & auro vulgi, regimine debito, ex ijs, in centum quinquaginta diebus unum ex nostris perficies operibus* ; *verùm enim vero cum mercurio nostro duplicato, aliàs in erroris via procertò eris,* &c. Ut inferiut ibidem ipsei Philaletha subjungit. Et indè addit : *sed hæc est via valdè tædiosa, atque dispendiosa pro Magnatibus terræ, & ultra non jam tingit sicutì Lapis noster naturalis universalis,* &c. De quo particulari, vide etiam Riplæum

plæum in ultimo suo cap. de lapide minerali post abbreviationes, &c. ubi dicit: *Tamen dico tibi, quod qui salem nostrum in suo pectore habeat, hanc tincturam cum auro vulgi ad incomparabiles quoque divitias similiter obtinendas commiscere possit, sed maximo cum ingenio, magnisque sumptibus, & non sine magno periculo, &c.* Undè de hoc particulari, sicut etiam Cullius in suis experimentis simile indicavit, non autem de Lapide universali hoc loco clangor Buccinæ intellexit, nisi more philosophico cabalisticè hebdomadas pro diebus fortè sumpserit, cùm de tempore cum Philaleta ùt suprà conveniat, dicens: *Coctio fit rerum ter quinquaginta dierum.* Et ita in 40. septimanis ad album &c. Etiamq; scire debes, quod nonnulli in principio mille materiæ remotæ libras acceperint, alii plùs, alii minus. Item alii in Phialam dimidiam corporis præparati, seu elixiris unciam ad figendum imposuerunt. Alii unciam unam, alii duas, &c. Et ita tempus variatur. Sicut etiam alii ultimum decoctionis opus cum flacte virgineo inceperunt, quod diuturniorem vult decoctionem, ut Rupescissa *lib. lucis cap. 8.* declarat. Alii cum corpore ad butyri consistentiam restricto non tam fluido in fine laborârunt, quod breviori indiget decoctione, ut Philaleta in suo introitu aperto *cap. 16.* docet, &c. Et ita est impossibile ut Philosophi de tempore convenire queant.

Etenim ùt Aros, & Calid scripserunt, dicentes: Verum est, quod in opere nostro mercurius & ignis, seu cum vocabulis ipsorum, ignis & azoth tibi sufficiant, sed in medio, ac fine cum corpus & spiritus, seu ignis & azoth sapientum ambo sint ad perfectionem redacta non autem in principio, nam tunc non ita se res habet, siquidem ab initio non est azoth & ignis noster, quæ sunt materia proxima, verùm in principio est materia remota, & confusum chaos, quod ex Philosophorum dictis manifestis intellectu percipitur, ùt præsertim ex Gebro dicente: post primam præparationem in opere nostro non indigemus nisi unico vase, unico igne, unicoque furno, &c. Etenim antea diuturna præparatio, materiæ habilitatio, vasa diversa, & ignes validiores, &c. Requiruntur antequam ad statum proximum plusquam perfectum sit deducta. Et hæc necessaria peragenda præparatio est valdè prolixa, ut suprà proba-

probavimus, & clarè patet ex *lib.* 3. *Ærarij Philoſophorum Cap.* 4. Ex Alphidio *lib.* 2. *cap.* 20. Ex parte 2. Turbæ *pag.* 222. Atque ex Summa Platonis *pag.* 2. Qui omnes hiſce teſtantur verbis, dicentes: in præparatione materiæ tempus determinari nequit, niſi ſecundùm materiæ quantitatem, & Artificis praxim; tamen ſemper valdè longum requirit tempus.

Præparatione verò rite peracta, atque tuo elixire præparato, vel in lac virgineum materia deducta, vel in corpus butyroſum redacta, quod citiùs ita figitur, decoquitur, & perficitur. Cùm corpore tunc utaris butyroſo, quod eſt ovum noſtrum, neceſſe eſt, ut antequam in phialam illud imponas, ut primum parùm de ſpiritu ſimplici, ſive mercurio noſtro, qui eſt ignis noſter, ſigillum Hermetis, venter matris, ſeu vas naturæ, ut ſuprà perlegiſti, in ipſam phialam infundas, vitrum revolvendo, ut aquæ noſtræ humiditas vitrum interiùs undique benè madefaciat, ne materia butyroſa in vitro ſupra ipſum modicum ſpiritum imponenda phialæ adhæreat: Ac ſubinde pillulas, globulósque, lapillósque ex materia ipſa conficias, ac inde in dicta phiala ſuper illum modicum ſpiritum imponendo includas, ac diligenter obſerva, ne globuli in ipſo vitro ſigillandi frangantur: Unde ut hoc tutè peragas, ritéque procedas, infundibulum vitreum habeas prælongum, quod per phialæ collum commodè tranſeat, adeò ut roſtrum, ſive naſus ad phialæ fundum facilè pervenire poſſit, & per ipſum infundibulum, ſpiritu quoque madefactum, globuli commodè tranſeant, ac in ventre phialæ ſuper illum modicum ſpiritum antea infuſum liberè cadant, ut ſuprà natare poſſint, & infrà modicum ſpiritum ita claudantur. Et ſic in illo vaſe naturæ, utero matris ſuæ, ſigillóque Hermetico, & cæt. ut Philoſophi jubent, includuntur, & ſigillantur. Ac poſtmodum ſtatim phialam per torturam igniti colli, ſive compreſſuram, orísque phialæ connexuram bene claude, ne ullo modo reſpirare poſſit, *ut Riplæus in* 3. *porta*, atque *Laurent. Ventur. cap.* 17. *& cæt.* docent. Et ſicuti in ſoliloquio Philoſophico, atque in lib. ſaturni legitur: colloca ipſam phialam materiam continentem inter cineres cribratos in ſcutella comp-



preſ-

preſſos ſuper furnum ſibi aptum, ut ſuprà dictum eſt. De quo documento vide *Laurent. Ventur. cap.* 18. Sive *Alanum pag.* 56. Vel *Vogelium pag.* 89. Atque *Tractat. qui dicitur Dominus vobiſcum pag.* 51. Quo autem ad materiæ quantitatem in phialam imponendam, jam ſuprà te docui. Hinc addit *Philaletha in ſuo Introitu Aperto cap.* 17. Phialam ſeu vitrum ovale cum collo longo tam magnum habeas, ut materiæ noſtræ unciam unam in ſua ſphæra ad ultimum capiat, & duæ partes ſuperiores vacuæ remaneant, ut liberè circulare queat. Et de hoc puncto vide quoque Inſtructionem de arbore ſolari *Vol.* 6. *Theatri Chymic. prædicti pag.* 189. *cap.* 9. Atque etiam *Theobaldum Vol.* 1. *dicti Theatr. part.* 3. *pag.* 176. & cæt. Putarem ergo ſatìs me tibi ſuprà demonſtraſſe, aquam noſtram eſſe ſimum, ignem, balneum, vas naturæ, clauſuram, uterum matris, ſigillum Hermetis, & cæt. in quo vaſe naturæ, ſeu utero matris ſuæ materia noſtra in pillulis ſeu globulis confecta includenda ſit, & ibi hermeticè ſigillanda, ſive in lapillis, ut vult Laurent. Ventur. vel in calculis, ut legitur in turba, ſeu in globulis redacta, ut jubet Philaletha, quod eſt ſecretum artis ſecretiſſimum à pauciſſimis Philoſophis indicatum, & à nemine ante me detectum, de quo tantùm aliquid obſcuriſſimè ſcripſerunt *Laurent. Ventur. cap.* 16. *Bonacciuus Mediolanenſis in ſuo præcitato Compendiolo de auro potabili cap.* 5. *& Philaletha paulò lucidiùs in ſuo Introitu Aperto cap.* 16. Prædicta ergo ſpiritûs nomina in mente tua bene recondas. Scilicet quòd ipſe ſit quoque ignis, & vas naturæ, & cæt. Certum & notum eſt, quòd unaquæque res in vaſe naturali ſibi convenienti generetur, & ſigillo naturali claudatur, ut patet in ovis volatilium, atque ſeminibus omnibus, in quibus natura ibi materiam univerſalem juxtà genus ſuum habilitatam incluſit, & juxta ſuam ſpeciem adaptavit, ad varias rerum generationes producendas conſtrinxit. Hominis enim generatio; animaliúmque brutorum in ventre matrum calidô humore temperatô ex ſpermatum maris fœminæque commixtione procreantur, aluntur, & perficiuntur. Metalla in ventre terræ concoquente, ex ſpermatum itidem corporis ſpiritúsque permixtione gignuntur, & pullus in teſta generatur. Sic materia

ria igitur noſtra, quod eſt illudmet metallorum ſperma, quo natura ipſa in viſceribus terræ ad metalla producenda utitur, ex corpore fixo, & ſpiritu volatili naturaliter arte noſtra commixtum, in vaſe ſuo proportionato tamquam in propria matrice in hoc humido tepidóque aquæ ſuæ calore, juxta naturam ſuam, ſcilicet in illo modico ſpiritu incluſa, in ventre matris ſuæ, ac in vaſe ſuo naturali, à Philoſophis, ut ſuprà notâſti, meritò ita nuncupato, ſicut fætus in utero generatur, & creſcit & abipſomet ſpiritu igne quoque noſtro naturali nuncupato, nutritur, & à combuſtione defenditur. Hinc Riplæus in Præfatione ſuæ medullæ dixit: omnia quæ natura compoſuit, ignis communis deſtruit, (Nota) niſi addatur illi ignis noſtri naturæ. Ac in tertia ſua portа idem Riplæus ſubjungit: fac ergo ignem tuum intus vas, qui decoquit materiam tuam efficaciùs, quàm ignis materialis ſive elementaris. Scilicet ponas in vitro parùm de ſpiritu prædicto, nimirum igne noſtro naturali, in quo materia tua naturaliter ſine violentia decoquetur, & absque compoſiti deſtructione bene & ſuaviter calcinabitur, &c. Unde *Laur. Vent. c. 20. & c. 26.* ex turba ſophorũ, ait: oportet æs noſtrum cum altera modica parte aquæ comburere, ut primò ſimul cum ipſa liquefiat in aqua, & inde, &c. Et in arcano *Philoſ. V. 4. Th. p. 575.* ſimiliter ex turba dicitur: Accipe materiam tuam jam dealbatam, ædifica ei domum vitream rore ſuo circumdatam, & cæt. Scilicet ſpiritu ſuo bene madefactam. Inquit ergo *Laurent. Ventur. cap. 16.* (Nota bene ac prædictorum memento) Accipe Lapidem Auri (hoc eſt, ut modo non ignoras, Lapidem aureum noſtrum præparatum) & humori ſuo commiſce (ſcilicet in modico ſpiritu include) ſcindatur (nempe fiant lapilli, ſeu globuli) & domum vitream lapilli imponantur: Nam in turba legitur: ſepeliatur mulier cum viro ſuo in fimo equino (ideſt in ſuomet ſpiritu, nam ſupra audiviſti, quod ſpiritus etiam fimus vocatur) & ita coquatur in calore humido, ſeu igne noſtro humido naturali prædicto, ac in fundo vaſis in principio lapilli reſidebunt: Hinc ait Arnoldus: & tunc erunt ſol & luna noſtra ſimul conjuncta, ſicut parvi lapides in fundo reſidentes (ſcilicet globuli prædicti) ex his intelligitur, quòd lapides illi,

lapilli, ſive globuli in vitrum imponi poſſunt in numero quovis ad libitum: Sed tertia tantùm vaſis vitrei pars inferior ſit plena, & duæ ſuperiores vacuæ, ut dictum eſt. Pone ergo vas cum materia ita parata in ſcutella cineres in ſpiſſitudine duorum digitorum habente, ſeu continente, & Lapillorum, ſeu Globulorum ( certè meliorum ) numerus ſit impar. Numerus enim impar magìs eſt Myſticus, Cabaliſticus, & Divinus. Item ſol ſive maſculus ( nempe Globuli ) vel vitellus ovi noſtri ( quia tunc ſpiritus eſt ſicut ovi albumen, & vitellus eſt corpus, ſeu ſol noſter in Globulis in medio collocatus, & eſt mas, ſpiritus verò fæmina ) in pillulis redactus, ſeu Lapillis, iſti Calculi ponantur integri, ne caſu rumpantur ( quia non natarent, & conſequenter non bene circularent, ac in fundo remanentes vitro adhærerent, & comburerentur ) ſi autem ſphæra ſolis ( ſcilicet Globuli ) caſu rumperetur, iteratò cum cannula vitrea, ſive ſtylo ſubtili diligentèr ex collo Phialæ extrahi debet: Oportet autem Albumen cum vitello integro imponere, & citò Hermeticè claudere, ſcilicet quia in ipſis Globulis jam adſunt ſol & luna ſimul, cùm corpus ſit duplex, & vitellus eſt ipſa corporis anima, ſeu tinctura, quæ dicitur ſol, & vitellus quoque ovi noſtri nuncupatur, ſic æquivocè à Philoſophis Albumen pars corporis externa, & vitellus pars rubra occulta, interna etiam vocatur. Et inde intelligit, quòd Phialam per compreſſuram igniti colli Hermeticè ſigillare debeamus ) Unde ait Joan. Thebaidus: Ovum cave, nè frangatur, actus nè interimatur, in ſolari enim circulo ( Globulorum videlicet ) vitellum latitare ſcias ( nimirùm occulta rubedo prædicta ) & cæt. & hucusque Laurent. Ventura loc. citato, &c.

Qua de cauſa ſuprà te docui, quòd ſit neceſſarium infundibulum vitreum habere prælongum, ut uſque ad fundum Phialæ commodè perveniat, adeò ut per ipſum pillulas butyroſi corporis in Phialam latioris colli integras intromittere, ſeu introducere poſſis, ne frangantur, & nè collo Phialæ adhæreant, ſed integræ in ſuo modico ſpiritu natent. De quo etiamartificio, vide *Marc. Eugen. Bonaccinam Philoſophum*,

*phum*, & *Medicum Mediolanens. in suo præcitat. Compendiolo de præparatione auri potabilis cap.* 5. *pag.* 30. Hinc *in Parte* 3. *Lib. Verborum de Massa solis & lunæ* ultrà medium dicitur. Nota tamen, si non fiunt Globuli, materia non natabit, sed submergetur æs, &c. De qua ergo Globulorum necessitate, vide Exumenum *in Turba Sermon.* 53. Unde Riplæus post caput de virtutibus elixiris, ubi incipit: sequitur aliud opus: *addit:* (Nota) Accipe tunc materiæ tuæ jam paratæ unc. 1. & in ovum, seu vitrum Philosophorum impone, superfundendo aliquantulum aquæ albæ nostræ, & coque lento igne, &c. donec, &c. Unde jam vides, ut supra ex Philaletha in suo Introitu aperto *cap.* 16. & Laurent. Ventura similiter *cap.* 16. (ubi tamen lucidiùs de prædictis Globulis butyrosis peragendis loquitur Philaletha *loc. citat.*) in pauco spiritu sepeliendis, quomodo Riplæus lucidissimè declarat: Et inde idem Philaletha ibidem ulterius *cap.* 17. ut supra demonstravimus, clarè docet, quòd si citiùs opus ultimum decoctionis perficere cupias, unam tantùm materiæ paratæ unciam ad figendum imponere debeas. Hinc Theobaldus *Vol.* 1. *Theatr. part.* 3. *pag.* 176. inquit: Non autem tantummodo à vasis naturæ cognitione (scilicet spiritu prædicto) difficultas oritur, sed etiam ab ejus quantitate in vitro imponenda (ante corpus butyrosum videlicet) si enim nimis fuerit, dispergerentur nimium Lapidis (scilicet ipsius Globulorum) vapores; si parùm, revolutio eorum, ac Lapidis elementorum adimpleri non poterit, & germen suffocabitur, & comburetur. Unde spiritus sufficit, ut ab igne externo materiam, ne comburatur, defendat; itaque de illo spiritu nec parum nec multum in vitro prius infundi debet, & materiæ quantitas sit una uncia.

Nihilominùs etiam in fluidam lacteam substantiam materiam tuam in phialam ad ultimam decoctionem, seu fixionem imponere poteris, sed, ut diximus, diuturna indiget decoctione, aliàs multi sic cum lacte virgineo secundum decoctionis opus inceperunt. Ut tract. Joann. de Rupe Scissa *in lib. Lucis cap.* 8. ita demonstrat, ubi de sexta operatione *loc. cit.* inquit: Et nota tamen, quòd aliqui solum hoc operentur opus cum lacte virgineo, & est opus eorum solummodo pernobilissimum lac virgineum, &c.

Hinc Divus quoque Thomas Aquinas ad Tract. Reynald. *cap.* 3. subjungit: Lapis noster cum fuerit in suam primam naturam spermaticam, vel lac virginis semel solutus: tunc ipse Lapis in ultima decoctione se ipsum calcinat, sublimat, distillat, & ex se ipso solvitur, & coagulatur, ac virtute ignis proportionati, in unico vase vitreo impositus sine alterius manuali operatione perficitur, &c. Unde fac quod velis.

De quibus autem Globulis butyrosis certè melioribus prædictis, ait Philaletha in suo introitu aperto supra citat. *cap.* 16. de Amalgamate mercurii & auri (scilicet spiritûs & corporis, ut modò bene intelligis) lex, inquiens, mixturæ nostræ hæc est, quod promptissimè plicabilis sit, ac mobilissima, & tamen instar glebularum rotundarum formari possit instar butyri, quod licet digiti tactui levissimo cedat, tamen in Globulos formari queant. Exemplum allatum observa ut exactissimum, quia butyrum etsi declinetur, tamen non effundit de se liquidum aliquid, quia tota est massa; pariter & mixtura nostra parata esse debet, ad opus fixionis incipiendum videlicet, &c. Et ita Philaletha.

Ac de modico spiritu in phialam antea infundendo, ut materiam à combustione custodiat: ita Bernhardus Comes Trevisanus, seu Trevirensis, in sua de Fonte, seu Balneo Regis ænigmatica descriptione, *in suo lib.* de secretissimo Philosophorum opere, allata, necessitatem ostendit: cum illum scilicet interrogaverit, an unquam aliquis Medicus, eo tempore ad Regem in balneo accederet? respondit ille; nullum, nec quicquam aliud, præter custodem unicum, qui (Nota bene) subtùs levissimum calorem excitat naturalem continuum circumeuntem, & vaporosum, præterea nihil, &c. Scilicet spiritum in phialam antea infusum materiæ custodem, qui ignis noster vaporosus quoque dicitur, ut supra perlegisti, & vocatur etiam Vas naturæ, Sigillum, Balneum Regis, Uterus Matris, &c. ut dictum est.

Si verò opus tuum cum lacte virgineo in secundo decoctionis opere in phialam impositò incipere velis, non est necesse, ut antea spiritum infundas. Sed opus hoc antequam in massam aridam figatur, valde diuturna indiget decoctione, ut supra narravimus. Nihilominùs est unum

pe

per idem, Etenim, cum tam corpus in consistentiam butyri restrictum, quàm lac virgineum magis fluidum, ambo ex spiritu & corpore simul conjuncta, constant, & ex hac bina re composita, quod lac virgineum quamvis longiorem decoctionem petat, similiter denique in Lapide restringitur fixum, & coagulatur, & figitur, &c.

Cum autem corpore butyroso utaris, tunc modicum antea spiritum in phialam imponere oportet, ut ait Theophilus in Turba dicens: Oportet te lento calore materiam decoquere cum humiditate quadam. Et Arnoldus in sua Epistola ad Regem Neapolitanum subjungit: Et quamvis hæc aqua sit pauca, tamen sufficiens est ad totum Lapidem nutriendum, &c.

Unde in fine cum Comite Bernhardo in Epist. ad Thom. de Bononia, ex Gebro concludo: Si me intelligas, omnia tibi dixi, & si me non intelligas, nihil tibi dixi. Intelligite ergo insipientes, & stolidi aliquando sapite, ut *Psal.* 93. *8.*

# Caput Decimum Sextum.

## *Quòd non dentur ullo modo particularia realia, à Particularistis, Sophistisque deceptoribus falsè, ac temere decantata, absque hac unica radice universali prima in Arte chemica, ac unica vera agente Sophorum, ut omnes Philosophi unà cum Basilio Valentino, de suis particularibus apertè testantur.*

MUlti Chemicolarum falsè temeréque jactant aliquod pulchrum scire particulare, & ita mundum ubique decipiunt. Ne credas igitur, Amice Lector in posterùm, quòd plura sint Opera Philosophica, pluresque diversæ materiæ, diversaque particularia ab ignaris pseudo-Chymicis falsè decantata, sicuti ubique ita mundum decipiendo, nebulones, ac Fumivenduli alios alia persuadere conantur, ut simplicibus facilè credentibus bona rapere queant; Etenim extra hanc unicam viam, unicamque radicem universalem nulla absolutè particularia fieri possunt, quæ sint vera, nisi sophistica, & illusoria, ut evidentissimè ulterius probabimus.

In-

In primis ergo Comes Bernhardus Trevisanus *in part.* 2. sui Tractatus inquit: taceant omnes, quotquot aliam esse tincturam veram quàm unicam nostram affirmant. Taceant, qui aliud argentum vivum, ac sulphur naturæ, quàm nostrum in unica magnesia nostra tantùm occultum esse decantant. Sileant illi qui aliam aquam quàm nostram permanentem esse præsumunt. Non est aliud acetum, quàm nostrum, non aliud regimen quàm nostrum, nulli colores, nulla alia sublimatio quàm nostra, nulla alia vera radicalis solutio, coagulationes nullæ, operationes nullæ. Taceant.

Author Roris aurifici *cap. ultimo pag.* 327. (Nota bene) Particularia, inquit, omnia absque universali falsa sunt, ut ita ex omnium Philosophorum consensu probatur, qui bene omnia scrutati sunt, & multi omnia quoque frustra probârunt. Errant itaque omnes, & fallunt, qui credunt, & dicunt aliquod esse verum particulare (Nota) Extra hanc unicam viam, unicamque universalem, & naturalem materiam, & quotquot contradicunt, sunt ignari, stulti, & impostores, etenim non habetur ramus, nisi ex trunco arboris, neque corpora ex corporibus generantur, sed spermate, ac semine proprio, & non alieno gignuntur. Bene quidem particularia multa fieri possunt, ut Basilius Monachus, & cæt. fecerunt, habita radice universali, scilicet unico sale nostro, aëre nempe congelato spermatico, & radicaliter in primam materiam iterum resoluto, sine quo nihil, &c. Et hucusque Philosophus citatus. Ut quoque Bernhardus Trevisanus similia scripsit.

Hinc Richardus Anglicus in suo Correctorio *cap.* 15. addit: Duo tantùm particularia in hac arte sunt vera, quamvis deceptores infinitas sophisticationes, dealbationes, falsasque rubificationes (cum Antimonio, Thutia, Zingo, &c.) conficiant, & mundum decipiant; quibus primum particulare verum, & reale tam ad album, quàm ad rubrum in mercurio nostro duplicato existit, sine administratione medicinæ perfectæ, quia argentum vivum nostrum, scilicet corpus solare & lunare nostrum cum quo tantùm medicina illa perficitur, in se veram tincturam tam albam quàm rubram fixam continet, &c. Et idem Richardus

chardus ibidem ulteriùs *cap. 16.* ſubjungit: Aliud particulare cum luna noſtra fit eodem modo, &c. ut docet, &c. Id eſt ex ſale albo non rubificato, ſed tantùm in oleum album puriſſimum redacto, cum quo vero oleo lunæ noſtro argentum vivum vulgare ſtatim in verum argentum ponderoſiùs commutatur. Ut ego Viennæ coram teſtibus adhuc viventibus hanc probam demonſtravi, ac ſubinde teſtes ipſi ad Aurifabrum illud miſerunt, ut in cupella probaret, quàm perfecte ſuſtinuit, & totum in ipſa remanſit. Et iſta ſunt particularia cum hac radice tantum univerſali poſſibilia? Ac inde cùm hoc mirabile ſal in oleum rubrum per longam digeſtionem ſit deductum, tunc tingit etiam in aurũ, teſte Iſaacco Hollando in ſuo opere minerali *lib. 1. cap.* 130. ubi dicit: Si oleum noſtrum candidum, quod dicitur oleum lunæ, ſuper mercurium vulgi, Jovem, &c. ſtillaretur, ea in lunam veram fixam convertet, ac ſi ipſum in longa digeſtione haberetur, tandem in oleum rubrum converteretur, quod tunc oleum ſolis vocatur, quia multa metalla in verum aurum transferret; ſed adhuc Lapis Philoſophorum non eſt, quia ſubinde alium laborem requirit ad Lapidem perficiendum, unde tunc in illo ſtatu non adhuc tingit univerſaliter, & non tam altam facimus cum eo projectionem, ſicuti fit cum Lapide in ſtatu perfecto, &c. Et iſta ſunt illa duo particularia ſupra à Richardo Anglico deſcripta, nec alia dantur in Orbe abſque hoc unico ſale noſtro particularia. Hinc ait Hermes: Nunquam fit tinctura vera nec alba nec rubra ſine noſtro Lapide albo aut rubro; nempe ſine hoc Lapide ſalino duplici tinctura decorato, & primo agente in hac arte.

Itaque Riplæus in 5. ſua Porta erga finem ſcripſit: Plures autem adducuntur, ut operentur ſecundum phantaſiam in pluribus ſubjectis, in quibus ſunt tincturæ tam albæ quàm rubræ manualiter diviſæ, aſpectu pulcherrimæ, cum quibus homines impoſtores decipiunt (præſertim cum antimonio, & cinnabari minerali) quæ tamen nullius ſunt valoris, & igne evaneſcunt in fumum. De talibus fumivendulis prolixam narrationem omitto, ac de Sophiſtarum erroribus, impoſtoribuſque innumeris, quibus mundus eſt plenus, ſuper ſedeo. Et ulteriùs ibidem

addit Riplæus ( Nota ) si ergo tuus magister probæ vitæ fuerit, ac vere in hac arte expertus, sic dicet: unica res est, unum vas, una fornax, unicum opus verum, nec amplius, & unica via. Unde videas, an hoc sumat infallibile principium ( & quod hæc unica materia nullum sit metallum quodcunque, nullumque minerale, ut addit Sendivogius in suo novo Lumine, &c. ) sin minùs, sinito illum abire, quia non est de nostris, &c. Et ita Riplæus.

Item idem Richardus Anglicus supra citat. *cap. ultimo* sui Correctorii subjungit: Est autem sola via universalis possibilis in naturis metallorum plantare ramos, in quibus tantum crescunt particularia.

Addit Sendivogius in suo novo Lumine chemico *Tractat. de sulphure, cap. de tribus principijs omnium rerum*: Unica est vera operatio, extra quam non est alia quæ vera sit, & errant omnes qui dicunt aliquod esse particulare extra hanc unicam viam & unicam naturalem materiam, quod verum sit. Impossibile est fatuum ramum priùs quàm arborem bonam producere velle. Facilius est ipsum Lapidem conficere, quàm particulare aliquod etiam simplicissimum, quod utile sit, & in examinatione cum naturali persistat. Sunt autem multi, qui hoc scire, & facere posse gloriantur, sed falsissimum est, & nîl unquam boni absque materia nostra efficere possunt, &c. Et hæc sunt verba Sendivogij; ut ita Theobaldus loc. supra citat. erga finem 3. partis confirmat.

Weidenfeld in suo Tractatu de secretis Adeptorum *conclusion. 2. pag. 593.* ex Philosophis ab ipso relatis ( quamvis ipse non fuerit Adeptus, sed multa bene intellexit ) subjungit: Chymiæ adeptæ arcanum hoc gaudet privilegio, quod nihil à nemine in hac arte confici queat, nisi spiritum vini philosophici suo sale acuatum possideat, &c. Qui spiritus, seu aqua nostra, addit Riplæus in sua clavi aureæ portæ, est aqua ardens, & aqua vitæ nostra, spiritus vini nostri, non vulgi, quam ignorantes aquam vitæ communem esse putant.

Hinc Morienus Romanus in colloquio cum Rege Kalid, inquit: non invenitur in mundo alius Lapis, nec alia res, quæ huic nostro assimilari possit, nec quæ illius habeat effectum; quicunque igitur aliam rem, vel

vel alium Lapidem quam noſtrum pro hoc magiſterio quæſierit, ejus operatio omnino fruſtrabitur, quia ſine hac re nîl unquam bonifieri poteſt.

Item Dyoniſius Zaccarius, ut ſupra confirmat, quòd omnia particularia extra univerſale falſa ſint: habitâ autem radice univerſali, ex ea multa expullulant particularia, quia ipſa eſt minera noſtra.

Itaque in Tract. de correctione Fatuorum *cap.* 5. *&* *cap.* 7. Sophiſtarum fatuitates evidentiſſimè probantur, eorumque ſomniatorum particularium falſitas ibi pateſcit. Et ulteriùs *ibidem cap.* 15. legitur; ſolutio corporis duplex eſt. in mercurium, per mercurium, & in aquam mercurialem. Prima eſt ad particularia, ſecunda ad univerſale. Prima nîl aliud eſt, quàm corporis in aquam mercurialem, ſeu mercurium reſolutio (ſcilicet illud corpus in primam ſpermaticam oleaginoſam materiam reducere, ut ſupra ex ipſo Richardo Anglico, & Iſaacco Hollando demonſtravimus.) Secunda per corporis ſpirituſqne in humido & ſicco putrefactionem, nempè ſæpe humectando, atque exſiccando, vel ſolvendo & congelando, ut ſupra demonſtratum eſt, quia putrefactio eſt omnium naturarum reſolutio ad invicem ligatarum, &c. Hìnc ait Pariſinus, quòd cùm hanc aquam ſuo ſale acuatam habueris, quamvis non ſit perfecta, tamen laborem tuum abundanter recompenſabit.

Unde de particularibus vide Harmoniam chemicam *cap.* 1. *Vol.* 4. *Theatri*, *pag.* 722. Atque Tract. Heliæ Ariſtæ Præcurſoris, qui ſimiliter, quòd abſque univerſali primo agente particularia fieri non poſſint, prædicti conteſtantur. Item Rogerius Bacco in ſuo ſpeculo, inquit: mercurius noſter eſt unica radix, minera, & arbor noſtra, ex qua ſolummodo multi rami & particularia oriuntur, & creſcunt. Hìnc vide *Vol.* 4. *Theatr. pag* 561.

Unde legitur in Myſterio occultæ naturæ Anonymi diſcipuli Joan. Chortolaſſei *in Tom.* 2. *Bibliothec. chem. curioſ. Jo. Jacob. Manget. relat.* Multi, inquiens, plurimi diverſæ conditionis homines nihil intentatũ reliquerunt (ut quoque Com. Bernhard. *part.* 2. & Zaccarius *part.* 1. omnia antequam fuiſſent Adepti probârunt, & fruſtranea omnia invenerunt)

nerunt ) ut saltem bona chymica particularia obtinerent, quæ omnia tamen sine hac unica radice universali vana semper & frustranea noverunt; qui autem hanc clavem seu primam scaturiginem habet, is non tantùm operis maximi Philosophorum, sed eriam omnium particularium dominus est. Qui enim arborem habet, ramos quoque suos possidet in alias inserendos arbores.

Et *Laurent. Ventur. cap.* 31. subjungit: Nec mercurius vulgi retineri potest, nec aliquod particulare fieri, quocunque artificio corpora metallica præparentur, absque Philosophico Lapide nostro: Ideò omnes Alchymistarum operationes sunt vanæ & inutiles, quæ tamen omnes ad bonum finem pro particularibus deducerentur, si cum hujus Lapidis salini nostri medio perficerentur, sine autem quo nihil, &c. Itaque cum hoc medio sua perfecit particularia Basilius, ut ipsemet in fine fatetur. Quid ergò plùs? Respondeant ergò deceptores, seu decepti Particularistæ? Quare obtumescere? Heu Phantastici! Heu mendaces! Plùs igitur sapiunt ipsi, quàm Sophi Magistri? Quæ dementia? Quæ fatuitas? Taceant, & erubescant.

Inquit enim author Roris aurifici *cap. ultim.* Idem est credere aurum facere velle absque primo suo spermate, quàm hominem ex auro generare; ac idem est præsumere particularia ex antimonio, regulo, cæterisque metallis omnibus tam perfectis quàm imperfectis, ac mineralibus mediis, fieri posse absque agente primo universali, quàm ex auro antimonium & ferrum conficere, quod est impossibile ( Nota ) Etsi Basilius hoc dixerit, ad stultos decipiendum hoc scripsit, cum in fine, se tantùm, ut alii omnes Philosophi possederunt, unicum universale menstruum sapientum habuisse fatetur, cum quo sua perfecit particularia, &c. Et hucusque Philosophus citat.

Hinc legitur *ex* 22. *propositionibus artis*, *propositione* 7. Omne opus ergò quodcunque, quod non procedit ab universali secundùm naturæ ordinem falsum est. Et in Speculo dicitur: Qui extra naturæ cursum contra naturæ intentionem, extra viam naturalem operantur, sunt ignari, & deceptores. Ubinam ergo invenitur, quod natura ex antimonio, regulo, auro, &c. aurum producat?

At

At quia quandoque à nonnullis dicitur, quod ex omni re fixa Lapis fieri possit, Georg. Riplæus *in suo oper. mineral.* ita declarat: Philosophi, inquit, aliquoties dixerunt, quòd ex omni re fixa super ignem fiat elixir: hoc autem intelligitur, quòd in omni metallo depurato super ignem fuso plantare poteris mercurium nostrum, seu Lapidem perfectũ album & rubrum, tam pro particularibus, quàm pro universali, secundum quod videlicet mercurium tuum, seu Lapidem præparasti. Ut similia scripsit Richard. Anglic. *cap. ultim. sui Corrector.* &c.

Unde si particularia vera conficere cupias, vide Paracelſ. *lib. 1. Archidox.* Circulatum minus, seu aquam salis philosophici circulatam, ab ipso descriptam, quam in præcitat. Weidenfeld relatam reperies.

Hinc Ros aurificus *cap. ultim. citat.* ulteriùs subjungit: Nunquam vidi aliud verum particulare, nisi ista duo: unum scilicet cum oleo solis nostri ad solem, aliud cum oleo lunæ nostræ ad lunam, &c. Unde hanc doctrinam combina cum præcitat. Ricchard. Anglic. *cap. 15. & cap. 16.* sui Corrector. Et cum Isaacc, Holland. in suo opere minerali *lib. 1. cap. 130. & cap. 61.* & hanc veritatem concipies.

Inquit, & concludit ergo Basilius Valentinus ) de quo vide Cheiragogiam Helianam *Vol. 4. Theatr. pag.* 265. & 285. ) Quamvis, dicens, de antimonio locutus fuerim, antimonio quidem concessum non est, ut ex eo aliquid boni fieri possit, sine Lapide, scilicet sale nostro, & nemo hoc facere potest, nisi Sophorum Lapidem possideat, seu menstruum universale. Sed unicuique, qui huic scientiæ adhæret, eamque amare cupit, incumbit, ut ( Nota ) aëreum illum magnetem universalem bene perveſtiget, quo rectiùs eum agnoscat, cujus unicè in re unica, ac in uno solo subjecto, radicem inveniet, &c. Quid ergo clarius? de quo antimonio Basiliano, & quomodo intelligatur, vide Eugenium Philaletham Germanum in suo Euphrate, seu aquæ ab oriente, circa medium, &c.

Inde idem Basilius Valentinus *cap.* 2. de rebus naturalibus, & supernaturalibus. Ac de prima radice metallorum *cap.* 3. de spiritu mercuriali subjungit; universalis enim mea scaturigo metallorum, & particularium,

larium, est idem ille unicus spiritus universalis congelatus, quem omnes Philosophi habuerunt, ut experti me intelligentes testabuntur, nec aliter concludere poterunt, quamvis ignari alia putent, & intelligant. Quid ergo plùs dicere potuit?

De qua re universali sive ejus matre, seu magnesia nostra chaotica, vide cabalam chymiatricam denudatam, si locum invenire sciveris, ac invenire poteris, ac sedulo spiritu illam examinando doctrinam, cum ante dictis combina, & ipsam invenies. Non autem ex cera, favo, stellarum spermate, aqua tonitruali, manna, rore communi, nitro aëreo vulgari, ut simplices falsè judicant, & similibus ab ipsis pro universali sumptis, Lapis conficitur? sed ex unica prædicta re universali tantùm componitur, scilicet ex aqua nostra sicca seu spiritu mundi congelato, à Michaele Sendivogio sapienter descripto; & ab omnibus Philosophis tam antiquis, quàm modernis, ut supra notasti, confirmato, & evidentissimè comprobato.

Quid ergo respondebunt Particulariste? Estne igitur unica, vel plures materiæ? dantur ne alia particularia, quàm nostra? Taceant ergò, & nè audeant ampliùs de re sibi ignota nobiscum disputare? cùm non magis in hac arte sint periti, quàm ego in mari glaciali. Unde bene dixit Philosophus ille Gallus in suo Tractatu *Vol.* 3. *Theatr. pag.* 775. Si Lapidem nostrum, inquiens, ex te ipso per rationes naturales, & per verba Philosophorum non intelligas, non es dignus vocari Philosophus, neque nobiscum philosophari debes, neque magistris contradicere, ac de rebus tibi ignotis disputando absque ulla notitia tractare.

Quare autem subjectum nostrum, à nonnullis, & præsertim ab Artephio, Divo Thoma, Basilio, &c. antimonium vocetur, vide Michaëlem Sendivogium *Epist. ultim.* 55. Et quare vitriolum quoque dicatur, vide Riplæum in fine 6. Portæ, ac lucidiori sermone explicatum, vide eundem Riplæum *cap.* 1. de Lapide mineral.

Et quia materia nostra, terra stellata, sive terra stellâ signata nuncupatur, fatui regulum martialem antimonialem stella signatum esse putant; at scias primò, quòd luciditatis terræ nostræ foliatæ causâ ita ap-

appelletur. Secundò, causâ cujusdam constellationis antarcticæ polaris materiæ nostræ originem indicantis, stellâ signata nominatur, quapropter in tali signo cælesti origo ejus est indicata sub septem sideribus notata Mathematicis non ignota, sub illo Emblemate, seu Ænigmate in principio hujus libri sub septem stellis, Draconeque nostro expositio.

Hinc Basilius ipse Valentinus de stella Martis à Chymiastris malè interpretata, subjungit: Plures existimant stellam hanc veram esse Lapidis Philosophici originem, sibique id imaginantur, quia natura in regulo martiali antimoniali hanc stellam pinxit: ego autem dico, quòd non: Isti aberrant à recta via per rupes invias, ubi ciconiæ habitant, & accipitres nidificant, &c. Et hæc sunt verba Basilij. Quid ergo dicent tot simplices in regulo laborantes?

Ex allegatis ergo Sophorum ferè omnium authoritatibus lucidissimè probatur, quòd omnia quæcunque Sophistarum subjecta, omniaq; per integrum Orbem, quæ agant Chemicolæ, sint erronea, sophistica, falsa, deceptoria, inutilia, absurda, omniaque contra naturæ possibilitatem, ac Sophorum intentionem, contra omnes regulas artis, & vana, ut Com. Bernhardus hisce verbis testatur, dicens: Per totum ferè mundum in circuitu, nullibi locorum unquam adhuc vidi, nisi laborantes in rebus sophisticis. De quibus inde rebus omnibus Chemicolarum erroneis ab ipso Bernhardo antequam fuisset Adeptus probatis, & à Dyonisio Zaccario damnatis, vide ipsum Bernhardum *part. 2. sui Tractat.* atque Zaccarium *part. 1.* Richard. Anglicum *cap. 10. sui Corrector.* Riplæum *in cap. ubi incipit*: Admonitio ad Lectorem continens authoris experimenta erronea. Et Paracelsum *cap. 7. suarum Congeriar. chym. &c.* Et ita videbis, an reverâ omnes vulgares mundi Chymici sint ab eorum ignorantia in hac scientia excæcati, & verè nesciant, quid faciant. Ac meritò cum Isaia *cap. 59. 10.* concludendum sit, quòd isti palpitent sicut cæci parietes, & quasi in meridie absque oculis in tenebris essent, undique aberrent. Cùm jam supra clarissimè demonstratũ fuerit, quód omnia metalla, & mineralia quæcunque, saliaque omnia vulgò nota, cæteraque Sophistarum prædicta in hoc opere sint inutilia,

&

pro quorum confirmatione vide etiam Paracelſum in ſuis Congeriis Chymiæ ſupra citat. *cap.* 7. Perlegas etiam Libellum Roſæ aureæ ex Tractatib. Aureæ, vel Roſeæ Crucis *cap.* 4. Obſerva quoque Rhythm. Germanic. *Vol.* 6. *Theatr. pag.* 511. Item vide Laurent. Ventur. *cap.* 9. & *cap.* 10. ſivè *Vol.* 4. *Theatr. pag.* 578. *propoſit.* 7. *ex* 22. *Propoſitionib. Artis.* Legas *cap.* 5. & *cap.* 7. Tractatus de correctione Fatuorum, &c. Quare ergo contra Philoſophorum monita omnia contraria peragere? omniáque contradicere velle? Et jam ſupra percepiſti ex omnibus generaliter artis hujus magiſtris, quòd inter falſam Chemicolarum Chymiam, & veram Hermeticam Theoſophiam tanta ſit in omnibus, & per omnia differentia, quanta inter cælum & terram, ac inter noctem & diem, ùt in Inſtructione de Arbore ſolari *Vol.* 6. Theatri teſtatur, & Theobaldus in fine ſui Tractatûs confirmat. Quare ergo hæc facere? quæ inſania eſt iſta? quare huic tam difficilis cognitionis, absque ullo ſtudio, ullóque naturali fundamento adhærere? quare ignaris credere Sophiſtis, qui nec unicum Ænigma Philoſophicum intelligere, ac explicare ſciunt? heu! deplorabilis ſtoliditas!

Item, & ultrà, cùm omnes generaliter teſtentur, quòd materia ſit unica ſub cælo, minera ejus ſit in aëre, & ſuper terram inveniatur ubique, omnibus quoque pueris nota, & plus habeant pauperes, quàm divites, ac in domo propria abſque ſumptu unusquisque habere poſſit. Quare in fodinis illam inquirere? & ultrà: Ubinam pauperes pluſquàm divites metalla & mineralia poſſident? quomodò minera metallorum inveniuntur ubique, & pueris ſint quoque notæ? quomodò metalla & mineralia abſque ſumptu in propria domo haberi poſſunt? quare ergo de jure ſtultorum tot mineralia, ſaliáque diverſa, calces, & mixturas, Bitumina peregrina, & cæt. tot aquas mortis corroſivas ſumere, & aquam vitæ ſophorum conficere præſumere?

Item cùm omnes unanimi voce clament, ut poſt materiæ diviſionem, & præparationem, non niſi unico vaſe, unicóque igne leviſſimo ſemper utamur: Cur ergo tot furnos, vasáque innumera, ignéque violentiſſimos præparare? quæ fatuitates ſunt iſtæ? talis autem

Babilonica confusio oritur inter Chymistas vulgares, ut nemo alium inter ipsos intelligat, nè mundana superbia nimis in altum ascendat. Itáque inquit Abbas Tritemius in sua Physica Chemica: quòd sic Deus statuerit: & impossibile sit, ut aliquis mortalium hanc Divinam artem comprehendere possit, nisi priùs à Divino Lumine illustretur, cùm sit totaliter diversa tam in materia, quàm in praxi à Chemicolarum opinione-

Nunc verò ego indignissimus imperscrutabili Divino judicio, à supremo Lumine clementissimè in hac sacra scientia illustratus, absque invidia, ut magnalia Dei ubique innotescant, ecce tyrones, Chymistásque omnes sincerè, ità inspiratus, illumino:

*Nam certò reputes sic voluisse Deum.*

Quid ergò facient? Deus scit: Utinam me intelligerent! Videbimus: cùm ergo de hac unica materia universali dicat Antonius de Abbatia in prima sua Epistola, quòd ex cæleśti minera proveniat? Hermes, quòd ex cælo procedat? & quòd ventus portaverit illam in ventre suo? Philaletha *Tractat. 3. de Fonte Chemico*, quòd sol rediens in vere diffundat illam per omnia locorum? Lullius *in Testam pag.* 47. quòd influentiâ caloris descendat à stellis in æstate? Sendivogius in novo Lumine, quòd ex aëre deveniat. & sit aër congelatus? Haly Philosophus penes Laurent. Ventur. *cap.* 5. & *cap.* 17. *citat.* Quòd radices suarum minerarum sint in aëre? Riplæus, quòd sit materia aërea & spermatica? Zaccarius, quòd sit materia cæleśtis? Basilius, quòd ex aëre universalitèr proveniat? Hermes, quòd primam elementorum mixtionem quæramus? Eugenius Philaletha Germanus in suo Euphrate, quòd Chymia vera non sit martyrium metallorum, sed scientia elementorum? Sendivogius, quòd semina, seu spermata, non corpora, sint in hac arte inquirendà? Et cæteri, qui similia ubique asserunt? quomodò, & quare ergo contra sophorum omnium ita congruentium mentem contraria inquirere? & quod est pejus, tam audaciter contradicere, & mineralia, cæterásque sophistarum nugas approbare velle? quæ dementia, stupiditásque mentis est ista? Itáque non mirum! si

ad menſam Hermeticam Chemiſtæ vulgares accedere nequeant, cùm toto cælo à veritate aberrent? Unde cum Luc. *cap.* 14. 24. hic (cum debita tamen Evangelij reverentia) pro iſtis concludere poſſumus; quòd nemo Virorum illorum hanc Hermetis Cænam certè guſtaverit, ac niſi Hermeticâ veſte induatur, nunquàm apud ipſum ingreſſum habebunt, ubi non eſt locus pro Sophiſtis, quamvis Philoſophi (cum bona venia loquendo) vocari præſumant. Ex quibus concludendum eſt; vel Philoſophi omnes hujus Artis magiſtri unanimiter ut ſuprà aſſerentes fuerunt ſtulti, & modernis Chemicolis ignorantiores: vel iſti ſecundi nihil ſciunt, qui verè neſciunt, quid dicant, & ignorant, quid faciant. At ſi plùs naturaliter credendum ſit antiquis veris Philoſophis, artiſq; Authoribus, ac expertis, quàm Chymiaſtris modernis? cum Eugenio Philaletha Germano juxtà omnium prædictorum doctrinas, concludã; materiam lapidis remotam unicam eſſe ſub ſole, ex aëre provenientem, ex rore cæli & pinguedine terræ compoſitam, & ubiquè repertibilem, omnibus quoquè pueris notam, &c. juxà illud:

*En Rorem Cæli, pingui cum Sulphure Terræ, &c.*

Materiam verò proximam nîl aliud eſſe, quàm ſpiritum volatilem, & corpus fixum in illo remoto ſubjecto incluſum, ut ex omnibus Philoſophis congruentibus ſanè concipimus, & ſuprà probatum eſt. Etenim ut ait Vogelius in Præfatione *pag.* 10. unâ cum Comite Bernhardo, &c. quòd ſedula fronte, ubi Philoſophi conveniant, attendamus, nam ibi latet veritas, quæ unica tantùm & ſimplex eſt. Et hucuſquè hanc Sophorum omnium congruentiam ſatis lucidè demonſtravimus.

Undè Job *cap.* 38. de hoc Rore noſtro mirabili, in quo ſal noſtrum in formam parvi Lapidis ineſt occultum, ait: Quis eſt Pater pluviæ? vel quis genuit ſtillas roris in ſimilitudinem Lapidis, &c. Quia ſal noſtrũ ex rore noſtro procedens in ſimilitudinem Lapidis albi verè apparet, & ita Lapis dicitur, ut ſuprà ex Gebro, Arnoldo, &c. probavimus; in aqua pingui chaotica noſtra cæleſti videlicet ſepultum,

Sed nè credas, quòd ros noſter ſit ros communis? quamvis ex cælo in formam roris ſubtiliſſimi inviſibilis deſcendat, & à Philoſophis ad

verum

verum rorem occultandum, manna, ros majalis, flos ſolis, ſivè rorella, ſeu ſtellarum ſperma, &c. vocetur. Ut inter alios Iſaaccus Hollandus ejus quintam eſſentiam, aliaſque, ad veram occultandam, ſed tantùm indicandam ſub ſimilium figura demonſtratam deſcripſit. Sicut etiàm proceſſum de urina compoſuit, &c. ubi multi ſimplices decipiuntur Chemiſtæ; quarè, ut ſuprà dictum eſt, ros majalis, urina, aqua tonitrualis, aqua vitæ, cæteraque omnia fluida, ſemper pro ſpiritu vini noſtri intelliguntur. Itaquè Iſaaccus tàm in illo ſuo de urina proceſſu, quã in aliis quint'eſſentiis ab ipſo deſcriptis, ſub talibus nominibus occultatam veram quintam eſſentiam noſtram ſapientibus indicare voluit. Hinc Riplæus *cap.* 4. in praxi Philorgij, de virtute Aquæ Philoſophicæ; cùm dicat: Accipe rorem majalem, &c. ſemper rorem noſtrum intelligas, qui etiam menſe majo ex cælo deſcendit: de quo vide Morophium, atquè Borellum, &c. Et ita de urina ſimiliter intelligendum eſt. Quia ros noſter, quandò ſol Geminorum ingreditur ſignum, quod ſignum duos repræſentat pueros, & tunc ex ſole quoque fluit, itaquè non immeritò à Philoſophis urina Puerorum vocatur, ut ait Ros Aurificus. Secundò, quia Lullius in ſuo Teſtam. *cap.* 62. ſubjungit: Hæc aqua noſtra pontica, multis de cauſis urina nuncupatur: Et quia etiàm Hyppocrates, Averoes, Avicenna, & Galenus urinam Juvenum Cholericorũ materiam remotam roridam prædictam appellarunt, & non ſinè cauſa; Et ita Lullius: Undè ego cùm hoc ex Lullio perlegerim, curioſus, omnia prædictorum Volumina perlegendo ex ipſis inveni, ubi proprio quoquè nomine nuncupatur, quòd tu etiàm, ſi hanc ſcire cupias materiam, hunc laborem, ipſos ſcilicet perlegendo, facere poteris. Sicuti etiàm hoc feci, cùm ex ipſo Lullio ſimiliter perlegiſſem, quòd hæc materia in Indijs ubiquè ſit gummi nigrum; ſtatim per aliquem Mercatorem parũ de illa ex Indijs habere curavi, & veritatem inveni. Undè Pariſinum quoquè in ſuo videas Elucidario *Lib.* 2. *cap.* 4. ubi reperies, quòd etiam ipſe urinam ſublimatam, aquam noſtram vocaverit; & ibidem *cap.* 1. Aquam fortem, Aquam Regis, Aquam cremantem, &c. aceti ſpiritum appellavit. Itaquè ſemper verba ſunt interpretanda juxtà mentem proferentis,

ferentis, non autèm juxtà cerebrum legentis? Ac ità ſemper ergò de noſtro mirabili cæleſti rore, urinaquè aërea prædicta intelligendum eſt: Hìnc *cap.* 11. *Sap.* verba quoquè appropriari poſſunt, dicentis: Ex matrice auroræ tibi ros infantiæ tuæ. Qui enim ros auroram matrem, ſolemque patrem habere gloriatur, ut Hermes, &c. ſcripſerunt.

Undè Sendivogius in ſuo novo Lumine in Epilogo poſt 12. ſuos Tractat. inquit: Verſatur noſtrum ſubjectum toti mundo ob oculos, & nullus agnoſcit: Coque ergò aërem, ut ſit aqua, & poſtea non aqua (ſcilicet ſolve ſal in aquam, & poſteà congela iterùm, ut ampliùs non ſit aqua. Quàpropter iſtud ſal ſivè aër congelatus ex illo ſubjecto, quod toti mundo ob oculos verſatur, extrahitur, excrementa projiciendo, ipſumquè in primam ſpermaticam materiam reſolvendo, & iterùm recongelando, ut ſuprà dictum eſt) Et ſi aërem, addit, coquere neſcis, procùl dubio ſemper errabis; ſiquidem aër eſt veterum Philoſophorum materia: Aër generat magnetem (nempè materiam noſtram remotam) & magnes apparere facit aërem noſtrum (ſcilicet ſal, quod eſt aër congelatus) Eſt in aëre occultus vitæ cibus, cujus ſpiritus congelatus (ſcilicet hoc ſal naturæ) melior eſt quàm univerſa terra, &c. Et ulteriùs addit: Et hic eſt ros noſter.

Hìnc Lullius in ſuo Teſtament. *cap.* 19. ſubjungit: Accipe aëreitatẽ ſimplicem (ſal videlicet) & munda illam optimè, & fac ſine aqua aquam, ac eam præpara præparatione philoſophicâ, &c. Scilicet ſolve illud in aquam primam, ut ſuprà dixit Sendivogius.

Eſt nè ergò materia iſta regulus, antimonium, cæteraquè metalla, & mineralia Chemicolarum? Jàm tamen ſcio, quòd Chemicolæ reſpondeant, quòd hæc ſit una Sophorum materia univerſalis, ſed dantur aliæ particulares? Quibus replico, quòd ſint ſtulti, cùm ſuprà ſatis, & abundanter ex omnibus Philoſophis probavimus, quòd unica tantùm detur in Orbe materia ad Lapidem noſtrum conficiendum, & quòd particularia omnia Sophiſtarũ ſint falſa, & ſine hoc unico ſale nec particularia, nequè univerſale fieri poſſint. Ergò, quid reſponde bunt? Reſp. autem Sendivogius *loc. ſuprà cit.* quòd Mathematici, Academici,

Theologi, &c. hanc primam hactenùs materiam universalem nunquã intellexerint, nequè consideraverint, nec unquàm adhùc illam definire potuerint. Itaquè à fortiori multò minùs Particulariſtæ, ac pſeudo-Philoſophi, Chemicolæquè vulgares illam agnoſcere valebunt? Propterea non eſt mirum, quòd lunam pro cancris accipiant?

# Caput Decimum Septimum.

## *Quòd unicum tantùm ſit Opus Philoſophicum, quamvis tria diſtincta à Philoſophis ſtudio deſcribantur, ſcilicet licet de Opere minerali, Opere vegetabili, & Opere animali ab ipſis ſeparatim deſcriptis tractetur; quæ tamen tria Opera unico circulo includuntur.*

CHemiſtæ vulgares, non tantùm unicam hanc ignorant materiam, ſed putant etiàm Philoſophos plures habuiſſe materias, pluresquè vias, ac tria quoquè hac de causâ Opera diſtincta feciſſe: nempè Opus minerale ex metallis, mineralibuſquè confectum. Opus vegetabile cum vegetabilibus conflatum. Et Opus animale cum urina, ſanguine, felle, ſtercore, &c. peractum. Itaquè multi in metallis, alij in mineralibus, alij in vegetabilibus, alij in ſtercoribus, ovis, capillis, &c. ſtultiſſimè laborant; & ità quòd Lapis noſter ad libitum iuxtà eorum cerebrum fieri poſſit, arbitrantur, & quòd varia quoquè ſint opera chymica in hac arte, ex varijs, diverſiſquè materijs præparata ſtolidi jactant. Heu! ſimplicitas? Heu cæcitas? Hinc verè cum Deuteronom. *cap. 28. Verſ. 28.* dicere poſſumus: Percuſſit hos Deus inſaniâ & cæcitate, ac ſtupore cordis, & ſunt palpantes in meridie, ſicut cæci palpant in obſcuritate, & non dirigunt vias rectas, &c.

Quapropter quamvis ubiquè perlegant unicã eſſe ſub cælo materiam, unicum opus, unum Lapidem, unum regimen, unicam artem, unicam viam linearem, &c. Tamen mira res! omnia temerè contradicere volunt, & de hac re nihil ſciunt? ac de jure capitis ſuis phantaſticis opinionibus Sophorum ænigmata adaptare conantur. Hinc bene ſcripſit Liliũ, dicens: qui ad intelligendum noſtros venerit libros, è noſtris eſt. Qui autem non intellexerit illos, ſemper nobis contrarius eſt.

Ut autem eorum ſimplicitatem, ac ignorantiam agnoſcant, obſervent quæſo ſine tædio attento animô, qua de causâ Philoſophi, primò, materiam hanc animalem, vegetabilem, & mineralem nominaverint, quamvis ſemper ſit unica, & eadem res, & conſequenter eadem ratione tria deſcripſerunt opera, quæ ſtudiô tria eſſe finxerunt ad ſimplices excæcandos, ne omnes (à pluralitate rerũ ita hallucinati) tam facilè absque continuato diuturniſſimo ſtudio myſterium penetrare potuiſſent; cùm de maxima rerum arcanarum in orbe tractetur non omnibus propalanda, quamvis unicum tantùm, vel triunicum ſit opus, unicâque ſemper materia, ſicut inde pro intelligentibus ſatìs ſophi dixerunt, quia ſapienti pauca. Unde attende:

Primò ergò Chriſtophorus Pariſinus *in ſuo Elucid. Lib. 2. cap. 1*, ſcripſit: tu autem propriam materiam vegetabilem, mineralem, & animalem benè cognoſcere debes, quam chaos appellamus, & cæt. Inde circa medium Capituli ulteriùs addit: Huic Divinæ ſubſtantiæ vegetabili, ſive argento vivo glorioſo exaltato, ſeu noſtrâ methodo ſublimato animali, vegetabili, & minerali diverſa nomina impoſita ſuére, licèt una tantùm ſit materia: nos illam vocamus Arborem mercurialem, quæ glorioſos fert fructus duorum luminarium, ſcilicet Solis, & Lunæ noſtræ in ſe contentos, & cæt. (& ecce quia aurum & argentum vocârunt noſtram mineram ſapientes, quapropter eſt aurum in fieri, ùt ait Avicenna, ſicuti verb. Grat. Ovum, eſt pullus in fieri, &c.

Unica igitur materia vegetabilis, animalis, & mineralis vocatur, quia reverà ab animali & vegetabili ipſis mediantibus illam habemus, veluti ova. Et mineralis quoque nominatur, quia ex minera cæleſti provenit, & eſt minera noſtra. Et de hoc puncto vide Lullium in omnibus ſuis ſcriptis; Sendivogium in ſuo novo Lumine; Paracelſum in ſuis Congeriis Chymiæ *cap.* 7. Pariſinum in toto ſuo Elucidario, ac Joan. Seger. Weidenfeld in ſuo de Secretis Adeptorum Tractatu ubique, &c. quamvis ùt ſuprà diximus, Weidenfeld non fuerit Adeptus, ſed fideliſſimus Philoſophorum Collector, & etiam multa ſcivit. Et tamen non eſt ſubjectum, neque animale, neque vegetabile, nec minerale,

non

non animal, non herba, neque in fodinis reperitur, ſed ſuper terram, ùt Ricchardus Anglicus *cap.* 11. ſui correctorij teſtatur, Arnoldus confirmat; & in Rhythmis Germanicis *Vol. 6. Theatri pag.* 511. *ac in cap.* 4. *Libell. Roſæ aureæ*, declaratur. Neque ex ipſis poſitivè, ac immediatè procedit, ne ex iisdem conſtat, ſed origo ſua eſt verè immediatè cæleſtis. Nam multa habemus exempla, ſcilicet charta, ſive papyrus, vitrum, panis, ova, urina, &c. quæ omnia absque mendacio vegetabilia dici poſſunt, & non ſunt, niſi mediatè. Sericum animale, & vegetabile, ſicut ova, & urina dici poſſunt, & non ſunt, & ſic de cæteris. Quamvis aliquot prædictorum immediatè ex animalibus & vegetabilibus proveniant, ſicuti ſericum, & cæt. Materia autem noſtra non ità conſideranda eſt, ſed potiùs ſicuti ros communis, qui ex herbis ſumitur, & de cælo deſcendit; ac ſub illo ſigno cæleſti in ſeptem ſtellis indicato, ut in principio hujus libri delineavi, cujusdam animalis ſignificante, ac ſuam originem denotante, materia quoque animalis nuncupatur, quæ ità ex animali & vegetabili mediatè procedit, ſicuti lux ex candela, quæ mediatè tantùm ex candela provenit, ſed origo ſua eſt cæleſtis, nec ullô modô ex ipſa candela conſtat, neque eſt ipſamet candela, ſed ex ipſa provenit, ſicut ignis ex ſilicibus, &c. ſecundò, legitur in lib. enarrationis methodicæ trium Gebri medicinarum *pag.* 12. Arbores & herbæ producunt eam ex unione terræ, & aquæ ex rore cæli & pinguedine terræ videlicet, tamen nec arborem, non herbam, non aquam, neque terram capias, ſed potiùs id, quod ex ipſis eſt, & cæt. ( Et ecce quare vegetabilis dicatur )

Hortulanus in ſua Practica, dicit: Lapis noſter vegetabilis & mineralis eſt, quia ex vegetabili creſcit, & ex minera cæleſti provenit, ac lapis animalis per potentiam Creatoris eſt.

Lullius in primo Teſtam. *pag.* 154. inquit: Hæc materia paſtura Baſiliſci vocatur: & ibidem *pag.* 47. Et ex vegetabilibus ac animalibus procedit, & tamen nota, quòd ex minera cæleſti proveniat, & cæt.

Theodorus Mundanus Anglus in ſuo Tractat. cujus titulus eſt: Edmud Dikinſon ante medium circiter, ait: Viridis & vegetabilis

no-

noſtri argenti vivi ſubſtantia eſt Baſiliſci noſtri pabulum, & cæt. Et ecce rationes, quare materia hæc animalis, vegetabilis, & mineralis nominetur nobis bene notæ.

Sicuti etiam Mahemet Philoſophus Arabs, ut noſcamus, quòd ſubjectum hoc ex ſole proveniat, & ex animalibus inde mediatè procedat, ità cecinit :

*Noſter in orbe lapis trahit ex animalibus ortum,*
*Námque capit radios pulcher Apollo tuos.*

Et vide carmina Merlini Philoſophi *Vol. 3. Theatr. pag.* 162. ex Morieno. Hinc Laurent. Ventur. *cap.* 29. ità prædicta confirmat : Hæc duo, inquiens, ſcilicet ſulphur & Mercurius, ſeu corpus & ſpiritus, quæ ſunt aurum & argentum noſtra, non ſunt mineralia communia, ſed animalia, vegetabilia, ac mineralia noſtra, & cæt.

Quâ de causâ ergo eadem ratione, ut arcanũ non patefieret ignaris, Philoſophi tria opera ſeparata, nempe opus minerale, opus vegetabile, & opus animale diſtincta ſtudiô deſcripſerunt. Pro ſapientibus verò ſubinde, quòd unum tantùm ſit opus, unica materia, ac unus lapis, alibi ſatis tamen declarârunt. Et an reverà ità ſit, ut hanc veritatem agnoſcas, attende :

Inquit enim Raymundus Lullius in Elucidatione Teſtamenti *cap.* 1. De materia lapidis, ùt etiam in *Vol.* 4. *Theatr. pag.* 563. ſimilia repetit: (Not. Ben.) Tres lapides, ait, ſcilicet mineralem, vegetabilem, & animalem deſcripſimus, cùm unus duntaxat, ſit lapis, quia hoc compoſitum ex tribus iſtis conſiſtit, nempe ex corpore, anima, & ſpiritu, quod compoſitum dicitur minerale, quia eſt minera noſtra ; vegetabile, quia creſcit, & multiplicatur ( ùt in præparatione ſalis videbis) animale, quia animam rubram habet, & cæt. & ità Lullius. Et vide in eodem *Vol.* 4. *Theatri Aphoriſm. Baſilian. pag.* 327. ubi lucidiùs explicatur, & quòd pars mineralis, ibi propriori modo loquendo, dicitur ſal, cùm omnia ſalia mineralia vocentur, ùt ità ipſe declaravit Baſilius, &c.

In *Tractat. Roris Aurifici cap.* 1. clariori ſermone ità explicatur : ne arbitreris, inquit, quòd opus minerale, opus animale, & opus vege-

tabi-

tabile ſint tria opera diverſ.? quoniam hoc Philoſophi ad occultandum verum opus indignis ſtudiô dixerunt. Dicuntur enim tria, quia lapis, ſeu minera noſtra ex iſtis tribus verè mediantibus procedit: Unde dicitur animalis & vegetabilis, quia ex re animata & vegetabili mediante ſuper terram acquiritur. Et vocatur inde mineralis, quia ex minera cæleſti ortum ſuum duxit, & ex aëre perenniter defluit, & quia etiam partem occultam mineralem in ſe retinet (nempè ſal) opus autem, lapis, & materia unum ſunt in genere, & cæt. & hucúsque Ros Aurificus.

Paracelſus in ſuis Congeriis Chymiæ *cap.* 7. circa medium, dicit: Aſſerunt ignari, credentes lapidem eſſe triplicem, atque triplici genere opus, & ſecretum, ſcilicet vegetabile, animale, minerale: quo factum, ut etiam in mineralibus hoc multi quæſierint, & ita fuerunt & ſunt decepti. (Notent ergo metallurgici:) Etenim hæc eorum falſa opinio longè diſtat à Philoſophorum intentione: Aſſerunt enim ſapientes ſuum Lapidem uniformiter eſſe vegetabilem, animalem, & mineralem. Et hæc ſunt verba Paracelſi.

Riplæus in fine ſuæ medullæ, ait: triplex eſt elixir, ſcilicet vegetabile, animale, & minerale, quia aqua noſtra craſſa eſt de rebus animalibus, vegetabilibus, & mineralibus, nempè ex iſtis tribus aliquô modô nobis notô mediantibus mediatè procedit.

Ac idem Riplæus in Lib. terra terræ addit: hæc aqua, eſt mercurius ille noſter, quem vegetabilem, animalem, & mineralem vocamus, ac unicum argentum vivum noſtrum, & noſtram aquam vitæ Philoſophicam mercurialem & mineralem appellamus, ac vegetabilem, cum qua lavamus peccatum originale, & ſordes terræ noſtræ (ſcilicet ſalis noſtri in præparatione, ut ſupra dictum eſt) donec, & cæt. & ita Riplæus. Roſarius, ut in Lib. Auriferæ artis *pag.* 266. atque *Tom.* 2. *Bibliothecæ Chemicæ Jo. Jacob. Mangeti pag.* 88. 89. inquit: tres ſunt Origines Lapidis Philoſophici: nempè animalis, vegetabilis, & mineralis; triplex in nomine, unus in eſſe.

Marc. Eugen. Bonaccina Mediolanenſ. Philoſophus in præcitato

ſuo compendiolo de auro potabili, in Præfatione ad Lectorem ſcripſit; Ars iſta fundatur in vero & unico naturæ balſamo tantùm, ex unico compoſito animali, vegetabili, & minerali extracto, crudo tamen, & ſpermatico.

Comes Bernhardus Trevirenſis, ſeu Treviſanus in principio primæ partis ſubjungit: Hermes, qui triplicem calluit Philoſophiam, atquè docuit Lapidem vegetabilem, animalem, & mineralem, tamen unum tantùm opus eſſe concludit, &c. Et de hoc puncto vide etiam Lib. de magni Lapidis compoſitione *Vol.* 3. *Theatr. pag.* 69. *cap.* 14. ubi profundè explicatur.

Item legitur in *Vol.* 2. *Theatr. prædicti*, *pag.* 119. ex alijs axiomatibus Philoſophiæ: Hermes tres partes habuit Philoſophiæ, quas diviſit in partem mineralem, in partem vegetabilem, & in partem animalem, quæ partes tamen in unico Mercurio noſtro compoſito, unicoquè Lapide continentur.

Undè Riplæus in ſua Epiſt. ad Regem Angliæ ità concludit, dicens: licet Philoſophi omnia in pluralitate loquantur, ſemper tamen non niſi unum ſunt in genere: Primò ſcilicet eſt unicum ſubjectum noſtrum principale operis fundamentum, & prima baſis, innumeris nuncupata nominibus. Secundò unicum tantùm opus, unicus Lapis, unicumq; regimen multipliciter in præparatione à Philoſophis ſub varijs metallorum, mineralium, ſaliumquè regiminibus palliatum. Propterea ſubjungit idem Riplæus in *ultimo cap.* de Lapide minerali: quòd omnes dixerint Philoſophi unicam terram noſtram ſæpè bibere, ac figere mercurium noſtrum, & mercurium noſtrum lavare, & tingere terram noſtram, & alterum illorum eſſe alterius fermentum, & nîl aliud ubique ſapientes concludunt. Undè clarè patet, quòd ſemper ſit idem & unus lapis, unicum opus, unicúmque regimen, quamvis ſub variis figuris variatum. Quâ de causâ inſipientibus diverſa opera, diverſáque regimina eſſe videntur, & ſunt decepti.

Hinc Arnoldus in ſua Epiſt. ad Regem Neapolitan. inquit: Philoſophi multas res, plura vaſa, regiminaque diverſa ad ſimplices decipien-

piendum, ac tria opera descripserunt: Pro sapientibus autem adjunxerunt, & satis declarârunt unicam semper esse materiam, unicum opus, unicum Lapidem, unum vas (post autem primam materiæ divisionem) unicúmque regimen, & cæt.

Itaque prædictus Riplæus *cap.* 3. post Philorgium Alchemistarum, ubi incipit; quô pactô vitentur errores, & cæt. subjungit: (Nota Bene.) Quando legis, inquit, Philosophos dicentes: accipe hoc, vel hoc, vel fac sic, & sic, semper de hoc unico opere, unico Lapide, unicáque materia, vel de ipsius partibus separatis (scilicet vel de corpore, vel de prædictis duobus spiritibus) intellige: per ignem Lapidis intellige aquam. Pro sulphure, & aëre congelato, sive soluto, intellige oleum, (corpus videlicet in oleum solutum) quod quandóque alii ignem quoque vocârunt; & pro sale armoniaco, seu sale tartari intellige quoquè aërem, seu sulphur. (corpus nempe solutum, quod est aër congelatus, & sulphur nostrum;) Et pro armoniaco non soluto, terram, seu corpus non præparatum. Et pro mercurio, aquam. Et hæc intellige, & retine. Pro mercurio sublimato intellige aquam cum calce sua exaltatam (scilicet spìritum suo sale acuatum, & sal volatilizatum cum suo spiritu, quæ est sublimatio nostra) quæ iterum congelari debet in salem, qui dicitur quoque sal petræ, sulphur naturæ, & cæt. Igitur quoties in aliquo Philosophorum opusculo invenies in receptis scriptum: recipe mercurium: cave ab argento vivo vulgi. Ubi sulphur & arsenicum; cave à sulphure & arsenico vulgi præparatis, vel non præparatis. (ut inter alios Geber sæpè sæpius his utitur terminis) Ubi saturnum, cave à plumbo, seu vermilione. Ubi Leonem viridem, cave à vitriolo communi, & cupro. Ubi solem & lunam, cave ab argento & auro vulgi, aliísque metallis omnibus, ac mineralibus, salibúsque vulgo notis, & cæt. & hucúsque Riplæus. Quid ergo nunc dicent chemicolæ? sunt ne tria, vel unum opus? ne amplius ergo nobis contradicere audeant.

Unde ut supra te monui, prædicta innumera nomina tam spiritui, quàm corpori imposita in tua mente recondas, & non errabis. Inquit

 enim

enim idem Riplæus *cap.* 13. De nono modo per aquam vegetabilem; (Nota) aqua metallica, aqua roris maij, aqua ovorum, aqua mercurii, aqua seu spiritus vitrioli, seu nitri, urina, aqua vegetabilis, aquavitæ, aqua ardens, & cætera fluida, semper unum sunt, & nîl aliud, quàm unica aqua nostra duplex prædicta, scilicet vel spiritus vini, vel spiritus aceti, &c. secundùm & cæt. Ac eodem modo de corpore intelligitur, cùm sub omnium metallorum nominibus, lapidum, saliúmque vulgarium, cæterorúmque corporum vocabulis hoc unicum sal nostrum occultârint sapientes, ut Philaletha in suo Introitu Aperto *cap.* 11. declarat. Atque in Annotationibus Nicolai Flammelli ex Avicenna *Vol.* 1. *Theatr. pag.* 767. contestatur. Ambo concludentes, quòd exceptô hoc unico sale nostro, tot nominibus nuncupato, quod est salium primum ens, ut ait Philaletha, vel excepto sale lunariæ nostræ, ut addit Lullius, alia salia cujuscunque generis sint, arti nostræ sunt contraria, demptô hoc unico, quod lunaria nostra relinquit post se ex cineribus combustis, & cæt. ut loc. citat. Flammellus concludit. Unde videas, an nitrum, vitriolum communia vulgo nota, sal tartari vulgaris, sal terræ communis, cæteráque omnibus nota esse possint, ut stolidi sibi imaginantur. Hinc dicitur in tractatu Gloria mundi *Vol.* 6. *Theatr. pag.* 516. ubi incipit *num.* 11. alia concordantia: (Nota Bene.) Accipe, inquit, hanc unicam materiam Lapidis nostri, & post aquæ extractionem, & cæt. Inde corpus mortuum in fundo vasis remanebit nigrum (quod est tartarus noster, qui etiam in fundo vasis post spiritûs extractionem, ac totum phlegma residuum evaporatum, ex vino Lulliano per viam humidam distillati, primò remanent fæces ad instar picis liquidæ, ut ait Lullius, quas calcinare debemus, & tunc est tartarus nigerrimus, nigrum nigro nigriùs à Lullio, & Riplæo nuncupatum: Hîc autem Author prædictus viam siccam docet, in qua post aquæ extractionem verè caput mortuum nigrum remanet in fundo. Sed quomodocunque opus incipias, vel per viam siccam, vel per viam humidam, semper ex nigro tartaro nostro sal eruitur. Unde clarè patet, quòd non sit neque nitrum, neque vitriolum, nec aliud quodcúmque sal vulgo notum, nec

sub

sub terra, neque super terram repertibile, ut omnes Philosophi testantur.) Quod corpus nigrum ( addit Author ) est calcinandum, & quo magis hoscineres uris, eò fortiùs ex illis exibit sal, ideóque tamdiu isti cineres calcinandi sunt, donec, & cæt. & hæc leguntur in tractatu Gloria mundi supra citato. Et Senior similia confirmat, &c.

Ac tamen Chymiastri, ut Bufones obstinati, vitriolum, nitrum, sal terræ communis, alumina, saliáque communia omnibus nota sumunt, & talia esse persistunt. Væ autem illis grossis capitibus, qui cum suis ineptiis aurum conficere præsumunt, & oleum ac operam perdunt, bona dilapidant, proximum decipiunt, saluti propriæ præjudicant, & cum detrimento animæ & corporis tempus malè consumunt. Itaque ego amore proximi motus arcanum hoc lucidè ante mortem describere, ac amicis hanc memoriam relinquere decrevi, ut quoque omnia hîc planè apertísque verbis detexi, ad tot scandala, furta, artificia illusoria, opera deceptoria, falsitatésque omnes Fumivendulorum, Nebulonúmque evitanda, ut saltem noscant omnes veritatem, hujúsque scientiæ, ac artis nostræ difficultatem sanè comprehendant, ne posteri ampliùs ab impostorum illusionibus sint decepti. Quod nullus hactenus ante me facere voluit; nec saltem hæc principia vera docere, scilicet ut bene intelligatur, quòd certum, ac evidens sit, absque principiis naturalibus, suóque primordiali semine, propriáque natura, specie, atque genere, nîl oriatur in orbe. Quare si dicerem, rana peperit murem, aut cepæ fructificant cucumeres, & cæt. nimis foret absurdum? non enim generantur res, neque multiplicantur nisi cum suo simili, cum suis autem principiis spermaticis & spiritualibus, vel semine proprio, nec fructificant res nisi fructus suos: unde qualis Pater, talis Filius, quale semen, talis fructus; qualis causa, talis effectus: homo hominem, Bos Bovem generant, & cæt. cum suis verò principiis seminalibus, non autem eodem corpore multiplicantur? unde non corpora specificata, neque ad ultimum eorum finem à natura redacta, atque relicta, sed semina spiritualia ad rei generationem sumenda, ac inquirenda sunt. Propterea verus sophus materiam illam eandem auri, argentíque sumit

ſpermaticam, quæ eſt omnino auri argentíque naturæ, & qua natura ipſa ad aurum & argentum procreandum utitur; verum nempe ſemen inſpecificatum incombuſtibile ſumit ſapiens, quod continet verum auri argentíque ſulphur incremabile fixum album & rubrum, ac ponderoſum in centro remoti chaotis noſtri vegetabilis, animalis & mineralis naturaliter unicè exiſtens in formam ſalis ibi occultum, & à natura incluſum. Nam intentio veri Philoſophi eſt, ut hâc arte omnino naturam ſequi, & per omnia, ut faciat idem aurum, ſicut ipſa conficit natura, quæ ad metalla progignenda certè non ſumit regulum martialem, antimonium, metalláque cætera, neque ſalia communia, ſtercora, urinam cæterásque ſophiſtarum nugas, ſed tantummodo ſperma primum aliquod de natura metallica fixum coagulabile capit. Quæ ergo & qualis erit materia apud naturam, erit & neceſſariò apud artificem, cum de potentia materiæ determinatæ forma ſua extrahatur, & non de materia aliena, uti faciunt ſophiſtæ, qui non tantùm materias omnino auro, naturæque contrarias ſumunt, ſed pluralitate, materiarúmque diverſitate, ut plurimum utuntur, mixtionésque varias ex eis conficientes, operationes eorum fruſtraneas in infinitum absque ullo naturali principio, fundamentóque vero illas extendunt, in genere, numero. & caſu, in principio, medio, & fine, tam in materia, quàm in praxi diſcordanres: Itaque cum ab unitate rei, ac naturæ ſimplicitate longè recedant, quod eſt contra naturæ intentionem? ergo ab hac prædicta rei unitate, veráque metallorum radice maximè recedentes, per conſequens de hac ſublimi ſcientia naturali nihil ſciunt, nihílque intelligunt? quia oportet, quòd omnis forma, ut diximus, de potentia ſuæ propriæ materiæ proximæ naturalis, extrahatur, ut ita omne ſimile generet ſibi ſimile, & multiplicet ſe in illo juxta Dei Creatoris juſſum, & ſecudùm naturæ curſum. Nam ùt dicit Plato; ſecundùm meritum materiæ dantur formæ. Hinc in Roſario Philoſophorum legitur: omnes extra naturam in hac arte laborantes, vel ſunt decepti, vel deceptores. Etenim ubi nam invenitur, quòd natura ad aurum generandum, aurum, vel alia ſumat metalla? vel ſtercoribus, urinis, cæterísque ſo-

sophistarum mixturis, auro, naturæque contrariis, natura sagax utatur? Verùm videas Riplæum in Præfatione ante 12. suas Portas, ipse enim te materiam docebit. Sive Arnoldum in suo novo lumine *cap.* 1. & ibi quid sit materia proxima metallorum, Philosophorúmque videbis. Ac de materia subinde remota ait Zenon Philosophus, quem vel penès Laurent. Ventur. *cap.* 11. vel in Protheo mercuriali *pag.* 162. sive ex Morieno in colloquio cum rege Kalid, invenies, ubi dicit: Hic lapis ex lacte volatilium componitur: Sunt autem duo spermata, unum Masculum, aliud verò fœmininum, ex quibus lapis noster constat: Tactus hujus Lapidis est mollis, & est major mollities in eo plusquam in suo corpore: pondus verò illius multùm est grave, ejusque gustus dulcissimus, ac ejus substantia, vel natura est aërea, & de cælo provenit, & cæt. Et hæc est vera ac unica remota sophorum materia. De qua scripsit Radtichs Proto-fer Germanus Philosophus in suo Elucidario, ubi nomine quoque proprio illam nominavit: lapis noster, inquiens, absque vegetabili fieri non potest: est autem inter omnia vegetabilia unum vegetabile dictum, quamvis non sit, cum origo sua sit cælestis, quod ex vegetabilibus mediantibus extrahitur, quod est pretiosius, nobilius, omnibúsque aliis vegetabilibus excellentius, & ex ipso fit spiritus quintæ essentiæ nostræ vegetabilis, ac in suo ventre sal nostrum animale, vegetabile, & minerale occultum continet, & sine ipso nîl fit, & cæt. At quomodo hoc fiat, vide *Vol.* 5. *Theatri* ex Dialogo Scholastico, Theodorum *pag.* 899. ubi apertis verbis docetur. Sis ergo prudens, & cum antedictis combina.

## Caput Decimum Octavum.

*Quare materia Philosophica viridis dicatur, ubi multi decipiuntur, cum sit alba & subrubra, & quomodo intelligatur: Ac de unico sale nostro aliæ Sophorum concordantiæ, & de aliis rebus in hac arte scitu necessariis occultissimis à vulgo-chemico hactenus inauditis, & penitus ignoratis, & cæt. Et quòd non sit opus pro pauperibus.*

IN fine cùm nihil in hac arte studiosis occultare decreverim, ut integrè

grè omnia ſciant Philoſophorum myſteria, cabalásque omnes eorum intelligant, hoc etiam occultum ſophorum ſophiſma mihi in animum ſubjungere ſtatui, ſcilicet, quòd quamvis Philoſophi ſæpè ſæpiùs de leone viridi, ac de materiæ viriditate tractent, ſive ut nonnulli ſcripſerunt: viridis ſum, & non mentior, ſic in perſona materiæ loquentes. Vel, accipe viriditatem aëream, ſeu viridem de terra, & cæt. Tamen ſcire debes, quòd abſolutè nullum viridem colorem materia remota in ſe contineat, neque materia proxima manifeſtè ex ſe oſtendat; ſed Philoſophi aliquam viriditatem ad cæruleum tendentem in materia proxima poſt radicalem ſolutionem in conjunctione apparentem, indicare voluerunt, ut etiam Fridericus Gualdus in Critica mortis in ſua declarat Epiſtola *pag. 118.* Atque Iſaacc. Hollandus in ſuo opere minerali *lib.* 1. *cap.* 20. & cæt. De qua vide Pariſinum in ſuo Elucidario *Lib.* 3. *cap.* 4. *Vol.* 6. *Theatr.* & ibi quando hanc viriditatem videre poſſis, addiſces.

Fatui autem ſapientum myſteria non intelligentes, viride vitriolum, cuprum, ſive rorellam, ſeu florem ſolis, vel ſtellarum ſperma vulgo dictum, in pratis collectum, ſeu viride ſuper aquas ſtagnantes natans, ac ſuper tecta exiſtens, & ſimilia ſumunt, & cæt.

Hinc Riplæus *cap.* 1. de Lapide minerali, inquit, hic fere omnes decipiuntur, quia à Philoſophis vitriolum, ſeu Leo viridis, æs, & cæt. hæc materia vocatur, & ſtolidi viride vitriolum commune aſſumunt. Leo autem viridis, ſeu vitriolum Philoſophorum eſt illud, per quod omnia metalla vireſcunt, creſcunt, & multiplicantur, & cæt. ( ſal noſtrum videlicet, quod eſt ſperma metallorum viride vivum, non autem ſiccum, neque mortuum. )

Ac idem Riplæus in fine 6. portæ, addit: Eſt enim ſanguis Leonis noſtri viridis, & non vitrioli vulgaris. Et eſt vitriolum ſapientum, & non vitriolum fatuorum, ut idem Riplæus ulteriùs ſubjungit. Hoc eſt vitriolum vivum ſolare & lunare prædictum album & rubrum, aëreum, vegetabile, cæleſte, non autem vitriolum, mortuorum viride cupreum terreſtre? ſcilicet, ſal illud eſt centrale æthereum ſapientum à Michaë-

le

le Sendivogio *Tractat.* 7. sui novi Luminis ità nuncupatum, quod à Raym. Lullio vitriolum azoqueum appellatur. Quod est semen auri immaturum viride non siccum, vivum non mortuum, scilicet matrix immatura metallorum spermatica, non arefacta, ut ità in arca Arcani *Vol. 6. Theatr. pag.* 320. definitur.

Similiter materia nostra remota, est electrum immaturum bituminosum paracelsicum vigore repletum non arefactum, anima & vita plenum, ùt addit M. Georg. Phædro, & ità viride non siccum.

Arque etiam viride vocatur: quia ex vegetabilibus mediatè procedit. Unde Guido Græcus Lib. de spiritu mercuriali, ait: spiritus, vel sanguis Leonis viridis dicitur, quia extrahitur de naturali viridi materia immatura. Hìnc Riplæus in sua clavi aureæ portæ, repetit: Per Leonem viridem significamus aurum viride immaturum spermaticum, multiplicabile vivum, & fermentabile, quod à natura est adhuc incompletnm, & cæt. Propterea Philosophi dixêre: ubi natura desinit, ibi ars incipere debet. Unde Theodorus Mundanus Anglus supra citatus, vocavit hanc materiam substantiam viridem, non causâ coloris, sed immaturitatis.

Dicitur etiam, quòd sit venenum, & tamen non est? imò est Balsamus universalis naturæ? sed quare venenum vocetur, vide Dyonisium Zaccarium erga finem 2. partis sui Opusculi. Sive Petr. Bon. Lombard. in sua Margarita Novella erga finem *cap.* 13. Benequidem cum in Phiala in ultimo decoctionis opere colores apparere incipiant, illi fumi, seu vapores metallici certè artificem necarent, si Phiala non esset Hermeticè sigillata, & si exhalare possent? ut dicit Isaaccus Holland. in suo Opere Mineral. *Lib.* 2. *cap.* 7. aliàs ex se materia est Homogenea, & valdè salubris. Sed ad nostrum propositum redeamus.

Item legitur in Lib. de secretis Adeptorum Jo. Seger. Weidenfeld. *pag.* 317. Ex Philosophis ab ipso fidelissimè relatis: Dicitur, inquit, materia viridis, quia res illa adhuc est immatura, hoc est, aurum vivum spermaticum à natura nondum in metallum deductum, nec ad perfectionem redactum, neque concoctum. Itáque nos arte nostra

perficimus, quod natura imperfectum reliquit. Sicuti & metalla imperfecta nos ad perfectionem deducimus, non autem intendimus aurum generare? nam hoc non nisi naturæ permissum est. Sed metalla imperfecta ita à natura relicta, perficere, meliorare, ac in aurum vertere, opúsque naturæ imperfectum terminare, putamus. Quamvis à nonnullis impropriè generatio dicatur. Et de hoc puncto vide Margarit. Novell. Petr. Bon. Ferrarienſ. *cap.* 16. ſeu Roger. Baccon. in ſuo ſpeculo *cap.* 2. HincLaurent. Ventur. *cap.* 24. ait. quia hoc non fit, ut aurum fiat, ſed ut ex aliis metallis aurum faciat? quapropter intentio naturæ non eſt, ut cuprum, ferrum, plumbum, & cæt. fiant, quare ipſa ſemper ad perfectionem tendit, ſed ex defectu matricis, non ſuo, ita remanent. Etenim ſcire debes, quòd hæc proxima metallorum materia, qua etiam ad metalla generanda natura utitur, una eadémque ſit in virtute ſua, diſcrimen autem inter ipſa metalla tantummodo conſiſtit, cum aliud aliô in ipſorum procreatione plus vel minus à natura fuerit purificatum, digeſtum, & concoctum ex terræ recipientis defectu, ſive diſpoſitione, atque loci purioris, vel impurioris naturæ: aliàs naturæ intentio eſſet aurum conficere? cum experientia nos doceat, quòd tam in cupro primo extracto, quàm in antimonio, & cæt. particulæ inveniantur aureæ, ſed immaturæ ob loci impurioris defectum, quâ de causâ in ſuo Particulari Baſilius illas auri particulas in antimonio exiſtentes virtute noſtri menſtrui univerſalis, maturavit, ut ex ſuis præcitatis verbis lucidè concipimus, cum dicat in *cap.* 3. De ſpiritu mercuriali, quòd univerſalis ſua ſcaturigo metallorum & particularium fuerit idem ille unicus ſpiritus univerſalis, quem omnes alii Philoſophi habuerunt. Itaque arte noſtra unum in aliud transmutare, atque in aurum perficere facile eſt: quapropter, ut ait Laurent. Ventur. *cap.* 3. Lapis noſter ſuâ ſubtiliſſimâ, ac penetrantiſſimâ plus quam perfectione illa in aurum perficit, nam in ipſis metallis imperfectis penetrando partes purioris ſecum coadunat, perficit, & tingit, & impuriores rejicit. Quia impura metalla non ſatis digeſta, & à malo ſulphure impuro ex terræ defectu infecta, quamvis omnia ex eâdem radice proveniant, Lapis noſter puriſſi-

rissimus, & in summo gradu exaltatus, ac ex eâdem purissima substantia compositus metallis omnibus homogeneâ, virtute suâ illa magis digerit, purgat, coquit, & de potentia ad actum promovet: Ac omnes partes impuræ, ac scoriosæ terreæ accidentales separat, rejicit, atque puriores secum coadunat, & cum pura illorum substantia de sua natura tantùm intimè conjungitur, & sic natura naturam amplectitur. (Itáque consulo, ut semper antequam projectionem facias, metalla impura præpares:) Sic enim inde operationes rerum agentium, & proprietates in præparatis rebus patientibus intimè uniuntur, & ita arte metalla imperfecta perficiuntur. Sed iterum ad materiæ nostræ viriditatem descendamus.

Sal ergo nostrum, aurum viride Sophorum, sive vitriolum sapientum, dicitur Leo viridis, quia, ùt addit Riplæus *cap. 1. Oper. Mineral.* in solutione, sive conjunctione viridi veste induitur. Sicuti ab Isaacco Hollando in suo Oper. Mineral. ut diximus, *lib. 1. cap. 20.* contestatur. Non autem in prima solutione? sed revera in conjunctione post longum tempus, quamvis inter primam nigredinem, aliósque varios colores in solutione apparentes, quandóque viridis color etiam intermixtus appareat: Etenim diù primò materia nigro-rubra manebit, ut Isaaccus ipse loc. citat. subinde *lib. 1. cap. 54.* hisce verbis fatetur, dicens: solve & congela in aceto nostro, donec amplius congelari nolit, & concrescat in oleum rubrum obscurum instar atri sanguinis. Hinc Arnoldus in suo novo Lumine *cap. 4.* De gradibus ignis, inquit: viriditas ejus occulta comprehenditur in nigro. Ut ita similiter legitur in cælo Philosophorum *pag. 564.* Ac Artephius in sua Clavi Sapientiæ *cap. 2. vol. 4. Theatr. pag. 207.* subjungit: Ejus verò occultum, est viriditas.

Etenim in prima solutione acetum tingitur ut sanguis, & corpus nigro-obscuro colore induitur. De quo idem Riplæus in sua Clavi Aureæ Portæ, ubi incipit: De parte operativa, ulteriùs addit: sæpiùs cum aqua nostra (acidula videlicet) lava terram, & sæpiùs desicca, scilicet evapora alternatim, conjugium fac inter corpus & spiritum, quia in dissolutione corporis peribit corpus dissenteriâ sanguinem suum effundens,

dens, & cæt. Deinde verò poſt univerſalem corporis liquationem, in conjunctione corporis & novi ſpiritûs, quæ iterum ſicuti cum aceto feciſti, multis vicibus cum novo ſeu ſecundo ſpiritu imbibendo, hebdomadatim, & evaporando, iterúmque imbibendo, ac iterum congelando, & cæt. tunc denique in iſta mirabili cæli & terræ conjunctione pulchram viriditatem ad cæruleum tendentem videbis, ſcilicet in dealbatione Latonis. Unde vide Philaletham in ſuo Introitu Aperto *cap.* 28. De regimine veneris, ubi clarè demonſtrat, quòd viriditas cærulea poſt primam rubedinem obſcuram in dealbando Latonem appareat; itaque regimen veneris dicitur. Et cum Laton albeſcat, regimen lunæ vocatur, & ſic de cæteris, ut ſupra te docui.

Hinc Laurent. Ventur. *cap.* 25. inquit: quæ viriditas crocea cæruleo mixta non videtur, niſi poſt univerſalem corporis ſolutionem in conjunctione, & cæt. Unde vide Allegoriam ſuper turbam Diſtinction. 3. & Diſtinction. 9. & cum ante dictis, de prima ſanguinea corporis obſcura rubedine in prima, cum aceto noſtro, ſolutione apparente, combina: Et ecce quomodò viriditas materiæ intelligitur, ſcilicet in corpore ſalis occulta, quod ſal eſt materia proxima. Non autem in manifeſto, nec in ipſa materia proxima, neque in prædicta materia remota, apparet. Quæ materia tam proxima, quàm remota eſt viridis ſubſtantiâ, non autem colore? ſcilicet, ut dictum eſt, viridis non ſicca. Et ita intellexerunt Philoſophi, cùm dixerint: viridis ſum & non mentior.

Et hoc ſal ſapientiæ vocatur etiam Leo viridis, ſcilicet Leo juvenis, fortis, & vigore repletus, causâ ſuæ fortitudinis & potentiæ, (ut ait Riplæus in ſua clavi aureæ portæ:) quia omnia corpora ſolvit, & quemadmodum omne animal brutum ſe Leoni ſubjicit, ſic omne corpus metallicum illius poteſtate ſiſtitur. Et ita Leo viridis nuncupatur. Quod ſal eſt fortius auro, cum in ſolutione ſit tardiùs auro, ac difficilius quoque auro fundatur; ac in ejus præparatione hâc de causâ diù deſudare debemus, ante quam radicaliter ſolvatur. Itaque non immeritò Leo fortis atque viridis nuncupatur.

De quo dicit Raymundus Lullius in ſuo vade mecum *pag.* 154.

Nemo pervenire præsumat ad Lapidis nostri perfectionem, nisi hoc sal præparare sciat. Etenim præparatio salis est summa rerum in arte, donec sua viriditas occulta manifestetur. Unde in Lucerna salis *pag.* 47. legitur: quòd sal hoc sit unica Clavis in hac arte, sed præparatio ejus difficillima rerum.

Hinc Hadrianus à Mynsicth in suis Carminibus Testamentariis *pag.* 441. cecinit: *In sale cuncta latent arcana! Hoc solvere quisquis*

*- - - Noverit, arcani penetrabit in intima Templi, & cæt.*

Unde cum JEsus suis dixerit Discipulis: Vos estis sal terræ, seu mundi, significare volvit, quòd sal terræ seu mundi, universale sit aurô, argentóque, Adamantibus, Carbunculísque pretiosius? aliàs dicere potuisset: Vos estis aurum & Gemmæ mundi? sed quia hoc sal mundi universale, ut illud vocavit Sendivogius in Epilogo Novi Luminis, scilicet ut idem ibidem addit: spiritus universalis, in formam salis congelatus melior est, quàm universa terra, ita JEsus ipsos sal mundi vocavit. Etenim Ros Aurificus *cap. ultimo pag.* 375. subjungit: Sal mundi, & naturæ est omni auro pretiosius, & hoc est sal metallorum, & Lapis Philosophorum, sal Philosophis valdè charum, quamvis amarum & habeat saporem fætidum, & est sal fusile, ac solubile, itaque menstruum solubile fætens nuncupatur. Tamen cum sit radicaliter solutum, & suo menstruo albo solutivo conjunctum, & circulatum, habet odorem fragrantissimum, & tunc non datur res pretiosior in orbe. Quamvis in se pretiosum sit, cum sit unicum, & non nisi Philosophis notum, & est in re vilissima sepultum, quæ res vilissimo quoque pretio venditur. Sal autem est pretiosissimum, nec invenitur venale, quod si esset venale, pauperes ipsum emere non possent, quapropter ad ipsum satis obtinendum, magnam suæ mineræ copiam primò habere opus est, & cæt. quod sal dicitur Leo viridis, quia ex viridi substantia eruitur, scilicet vigorosâ, non siccâ. Vocatur etiam Assa fætida propter suum fætidum saporem, & vitriolum sapientum nuncupatur, & cæt. & hucúsque Author prædictus. Unde de hoc sale mirabili, cecinit Owenus:

*Discipulos terræ esse salem, cur dicat* JESUS,
*Esse salem terram cum Paracelsus ait?*

Et pro confirmatione, quòd magnam materiæ remotæ copiam in principio habere opus sit, ut ab ipsa satis salem hunc extrahere possimus, ut suprà dixit Ros Aurificus, vide Riplæum in sua medulla circa medium, qui dicit apertè ex Avicenna, quòd ad minimum sexaginta ponderæ nostræ aureæ, argenteæque mineræ in principio habendæ sint ad opus perficiendum, ut satis pro tua vita durante aurum & medicinam habere possis. Cum materia hæc modicum salis hujus in se contineat, ut supra audivisti, qua de causâ dixit supra Ros Aurificus, quòd quamvis materia remota vilissimô pretiô vendatur, tamen sal ejus sit pretiosissimum, quod si esset venale, pauperes illud emere non possent, & quod etiam solis Philosophis sit notum, & cæt. De quo ita Philaletha in suo Introitu Aperto in fine *cap.* 1. alloquitur: mercurius noster, inquit, est sal Sophorum, quod nunquam super terram reperitur, neque sub terra, filius autem est à nobis formatus, non creando, at ex iis rebus in quibus est involutum, à Deo creatum, mirô modô per artem sagacem extrahendo, sine quo nîl fit in hac arte.

Hinc Job *cap.* 28. subjungit: Nescit homo pretium ejus, nec invenitur in terra viventium suaviter. Quia ut supra notâsti, & filius noster per artem sagacem à remoto subjecto extractum, ita non invenitur nec sub terra, neque super terram. Et quod sit verè sal amarum, ut supra quoque ex Lullio, Sendivogio, Rore Aurifico, & cæt. perlegisti: subjungit Riplæus in libro de mercurio ultra medium: considera bene, quòd ex omnibus pretiosis fructibus ex terra nascentibus, prima illorum metallorum materia, & cæt.

Cum ergo acquisitio salis hujus non paucas requirat expensas, causâ quantitatis materiæ remotæ matris ejus sumendæ, addit Riplæus in sua Clavi Aureæ Portæ: Terra nostra virginea, cum qua unicè semper fit Lapis (scilicet sal) neque adeò communis est, neque pauperibus opportuna: Etenim, ulteriùs ibidem subjungit, sicuti materia remota nostra est ovum nostrum, unde (Nota Bene) ex ovo tria sunt nobis consi-de-

ſideranda: vitellus, albumen, & teſta; quæquidem teſta Philoſophis omnino eſt unicè neceſſaria: Hæc enim teſta eſt ultima pars ovi, & qui terminus appellatur, ac eſt ultima pars perfectione gaudens, quia albumen & vitellus non adhuc ſunt res perfectæ, nam pullus inde erit eorum perfectio. Cum ergo ex ovo noſtro perfectiorem partem ſumere debeamus, tota ovi ſui ſubſtantia projicienda eſt? ſcilicet comburenda, ut addit Alphidius, unde conſidera? ſi ex ovo noſtro corticem tantùm ſumere debeamus, ſcilicet ultimam perfectiorem partem fixam in profundo ſepultam, quantùm debeat eſſe pretioſa, & quàm pauca ad ovi proportionem; imò pretioſiſſima? cum totum ejus vitellum (exceptô modico ſpiritu ſubtiliori ex albumine ſuo extrahendo) comburere debeamus? ergo magnâ ovorum copiâ, ut ſatis de corticibus obtineamus, indigemus, unde quamvis ova noſtra viliſſimô pretiô haberi poſſint, tamen præ nimia quantitate ſumenda, pro pauperibus ſunt diſpendioſa nimis, ac inopportuna. Cum etiam ex iſtis paucis corticibus poſt perfectam depurationem, parùm remaneat.

Hinc bene dicunr Philoſophi, quòd materia noſtra ſit vilis & pretioſa; etenim quo ad materiam verum dixére, quòd ſit vilis, & non excedat pretium pauperum facultates; ſed quo ad materiam proximam non ita intellexerunt ſapientes? ſed ſatis explicárunt, quòd non ſit opus pro pauperibus, de qua veritate vide Iſaaccum Hollandum in ſuo oper. mineral. *lib. 1. cap.* 13. Atque Dionyſium Zaccarium paulo poſt principium primæ partis ſui opuſculi. Sive Triumph. Hermetic. *pag.* 83. ex Gebro. Vel Arnoldum Villanovanum in ſuo Teſtam. *Part.* 2. ac in ſuo Theſauro Theſaurorum *cap.* 5. & cæt. ubi apertis verbis ita legitur: quòd quilibet quamvis ad hanc ſcientiam perveniat, non poſſit tales ſumptus ſuſtinere, niſi ſit dives. Et ſi quandóque alii dixerint, quòd Lapis noſter paucas requirat expenſas, hoc fecerunt, ne tyrones à temporis prolixitate pertæſi, ab expenſis inde quoque, laboribúsque non ordinariis ſuſtinendis perterriti hoc ſublime ſtudium fortè relinquerent, & ſcientia deperderetur? Aliàs, inquit Joan. de Rupe-ſciſſa *lib. Lucis, cap.* 4. quòd ex una lib. Cineris vix unam ſalis unciam obtinebis. Ac

pro

pro *Lib. 1.* Cineris non sufficiunt decem tartari nigri Libræ. Et pro decem tartari Libris, non sunt satis 100. materiæ remotæ libræ, & credas experto, ut inferiùs evidentissimè probabimus. Hoc tantùm interim tibi sincero corde dicere possum, sicuti, Dei gratiâ, expertus, quòd primâ vice usquedum, Deo sint Laudes, opus hoc à me post quinquennium, & ferè dimidium continuato labore, perfectum, ex quingentis libris diligentissimè elaboratis, nîl ampliùs quàm mediam salis impuri libram ex illa massa extrahere potui, & tres spiritûs mensuras, scilicet 5. libras. Itaque post salis perfectam diuturnam depurationem tam parum remansit, ut vix satis habuerim ad ultimum fixionis opus in unica Phiala incipiendum. Hinc ergo considera bene tempus, labores, & expensas, ac inde an sit opus pro pauperibus, sanè judica. Cum etiam de spiritu in imbibitionibus repetitis tamdiù peragendis, antequam corpus volatilizetur, & optimè dealbetur, abundanter habere opus sit, quapropter non nisi trigesima pars subtilior in corpore figitur, & reliquum in evaporationibus totaliter evanescit in fumum, ut Lullius testatur. Unde de prædicta veritate Vide Isaacc. Holland. in suo oper. mineral. *lib. 1. cap. 28. & cap. 30. & cæt.*

Quâ de causâ hæc sacra scientia inter tot paucos versatur in orbe, cum ad hujus intelligentiæ difficultatem, ad molestiam tam diuturni laboris, sumptus quoque magnus accedat. Quapropter quamvis paucissimi ad hanc notitiam perveniant, & rariſſimi sint: isti pauci numero non omnes has expensas sustinere possunt: quamvis non ultra, computatis computandis, centum aureos venetos circiter, excedant. Victu tamen non computato, tempore, commoditate, & cæt. quibus omnibus artifex necessariò indiget; quæ ab omnibus aliis curis alienum, totum hominem requirunt. Quàmvis diversimodè disputent Chymiastri artem hanc ignorantes, ac inter ipsos semper de hoc opere Philosophantes, & nîl unquam boni concludentes. Hinc *Eccl. cap. 3. vers. 11.* inquit: Et mundum tradidit disputationi eorum, ut non inveniat homo opus, quod operatus est Deus ab initio. Quare, ut supra perlegisti, opus hoc, operi creationis assimilârunt sapientes, quorum verba sunt

pro

pro Chymiastris, tanquam essent in libro sigillato signata, ut Isai. *cap.* 29. *vers.* 11. ad Hebræos. Cum absque perito magistro sit penitus impossibile ex Sophorum scriptis nec unicum intelligere sensum. Sed non mirum? quia, ut ait Divus Augustin. Deus non vult omnibus hanc sublimem revelare scientiam propter evitationem scandalorum.

Itaque principibus, atque potentibus abscondita, & parvulis insipientibus revelata. Unde ego ignarissimus virorum, *Prov. cap.* 30. 2. nullámque scientiam callens, pauper à fisco denudatus, ab inimicis depressus, factus omnium peripsema, ut *Paul.* 1. *ad Cor.* 4. Nunc vermis, & non homo, opprobrium sum gentium & abjectio, ut *Psal.* 21. *vers.* 7. tamen humillimas, immortalésque gratias Deo meo Benignissimo Largitori Ter Opt. Max. genuflexus, humíque prostratus ore terram osculante, semper agendo, in æternum cum *Matth. cap.* 11. 25. cantabo: Confitebor tibi Domine, qui hæc à sapientibus atque potentibus abscondisti, & revelâsti ea parvulis. Hinc *Psal.* 18. Testimonium Domini fidele sapientiam præstans parvulis. Cum verè nunc cum *Eccl. cap.* 35. 26. dicere possum, quasi nubes pluviæ super me tempore siccitatis ceciderunt. Atque:

*Auxilium Christi venit ad me tempore tristi,*
*Venit post multos una serena dies.*

Et juxta promiss. *Paul.* 2. *ad Timot.* atque *Matth. cap.* 5. *sive Eccl. cap.* 34. *vel Psal.* 34. Post tot discrimina rerum, cantabo.

*Dupliciter felix, qui fuit ante miser.*

Unde ait Alphidius: scito fili, Deum hanc Adami artem posteris per traditionem oretenus comunicatam, & ad paucos pervenientem, illis reservâsse tantùm, & præsertim oppressis, & pauperibus. Ideóque cum Davide gratias Deo meo submissas ago maximas, ut *Psal.* 26. 10. In Lapide exaltavit me Deus, & nunc exaltavit caput meum super inimicos meos. Etenim ut idem *Psal.* 145. 5. Dominus facit judicium injuriam patientibus, & custodit advenas. Itaque quamvis omnia bona mea tam infaustè perdiderim, tamen nunc dicere queo, ut *Psal.* 118. 78. Confundantur superbi, quia injustè iniquitatem fecerunt in me. Etenim

*Omnia cum pereant, est virtus sola perennis,*
*Hæc immortales reddere sola potest.*

Et licet ab inimicis derisus, ac ab amicis sim spretus, dicam cum *Prov. cap.* 1. Sapientiam, & doctrinam stulti non curant, & ignari sapientes spernunt. Sed cum *Matth. cap.* 5. 10. concludam: Beati autem, qui persecutionem patiuntur propter justitiam. Et cum Job *cap.* 1. 21. dicam: Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum. Quapropter

*Dat Deus, & recipit, sæpè quod ipse dedit.*

Sufficit autem ut Habac. *cap.* 3. cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis. Ac in fine cum Josue *cap.* 24. 27. Testor vobis: Ecce Lapis iste erit vobis in Testimonium, ne fortè imposterum contradicere, ac veritatem negare velitis, nec mentiri coram LUCE HERMETICA CLARIFICATA, nam omnia quæ sincero corde descripsi, vera mecum esse testabuntur Adepti. Memento itaque mei in tuis precibus, cum arcanum tam maximum per tot sæcula occultum te fideliter apertis verbis docuerim. Etenim ut *Sap. cap.* 8. 5. Et si à te Divitiæ appetantur in vita, quid hâc scientiâ locupletius? quæ omnia operatur tam pro salute servanda, quàm pro divitiis immensis acquirendis. Ne autem hâc gratiâ abutaris, & memento quia pulvis es, & in pulverem reverteris. Etenim

*Quid Aurum? Argentum quid? centum vivere & annis?*
*Una brevis fossa carnem consumet, & ossa.*

Hæ tibi semper in animo cogitationes fixæ esse debent, quòd quinque Talenta à te repetentur, imò plus, quia quantò magis alicui datum est, tantò plus majorem rationem reddere debet, ut *Luc. cap.* 12. 48. Itaque melius est bonum esse Christianum cum humilitate, & paupertate, quàm bonum Philosophum cum divitiis, & vanitate, quia in die judicii de scientiis nulla nobis ratio reddenda erit, sed tantùm de charitate erga Deum, & proximum, ac de operibus bonis & malis, & hoc citiùs, quàm putas. Unde quamvis Lapidem conficias,

*Deni-*

*Denique poſt factum, quid enim poſt funera reſtat?*
*Oſſa, cinis, tumulus, nomen inane, nihil.*

Vera enim ſcientia inquit Div. Laurent. Juſtinian. in duobus punctis conſiſtit, nimirum: quòd Deus ſit omnia, & homo nihil. Unde ait *Iſai. cap. 64. 8.* Pater noſter es Tu, nos verò lutum. Nulla enim ſcientia tecum eſt, ſi Deum non habeas, addit Div. Gregorius *Homil. 2.* Et *Sapient. cap. 5. 8.* quid nobis profuit ſcientia, & divitiarum jactantia? quid contulit nobis absque Deo? nihil; cum nihil verè ſimus. Hinc ibid. *Sap. cap. 9. 6.* Homo in nihilum computabitur. Etenim

*Omnis homo nihil eſt, aliquid qui ſe putat eſſe,*
*Eſt aliquid, quisquis ſe putat eſſe nihil.*

At denique cum tibi chare Lector de hac unica regia naturæ via de Lapide noſtro ſubtiliſſima Sophorum myſteria ſincerè detexerim. Cum ſis ſapiens, cum Salomone *Prov. cap. 1.* dicere poſſum, omnia declaravi ad Parabolas, & Elocutiones, verba Sapientum, omniáque ænigmata eorum intelligenda. Quæ nullibi ſimilia certè invenire licet. Unde ne te tædeat has meas hîc fraternas admonitiones tam prolixas audire. Etenim ait *Eccl. cap. 1, 20.* Plenitudo Sapientiæ eſt Timor Domini, ſine quo nîl unquam boni ſperare præſumas, nam legitur in Joan. *cap. 15. 4.* ſine me nihil poteſtis facere. Mediante verò gratiâ Dei hanc ſacram ſcientiam per meam doctrinam, & tuam orationem procul dubio hîc percipies. Nam jam audiviſti omnia minutiſſimè explanata, adeò ut cum non ſis duriſſimæ cervicis, omnia quoque intelligere debes, aliàs per aliorum librorum lecturam, nec verbum propriè intellexiſſes? cum ſint meræ confuſiones, ac Labyrinthi inextricabiles. Hinc ait Divus Thomas Aquinas, ut ſupra dictum eſt, quòd hujus ſacræ ſcientiæ, niſi vel à Deo inſpiretur, vel à perito magiſtro doceatur, per librorum lecturam ſit impoſſibile invenire principium. Et addit: quòd hæc mirabilis cognitio aut inveniat, aut faciat hominem ſanctum. Itaque ut *Eccl. cap. 43. 37.* piè agentibus dat Dominus intelligentiam: cum



Deus

Deus ſit vera lux, qui illuminat omnem hominem, ut *Joan. cap.* 1. ſine qua luce, eſt impoſſibile hanc lucem habere. Unde *Iſai. cap.* 66. ſuper quem requieſcet ſpiritus meus, niſi ſuper pauperem & contritum corde? quapropter, ut *Pſal.* 96. Juſtis lux oritur, & gaudium ſinceris corde. Sis ergo juſtus, ſincerus, & hic ſtudeas, ora & labora, pete, & habebis. Etenim addit Propheta *Pſal.* 36. Nunquam vidi juſtum derelictum. Ac Joan: *cap.* 16. petite, & dabitur vobis, ut gaudium veſtrum ſit plenum. Sis ergo talis, qualem te ſcientia requirit, ut denique cum Propheta *Pſal.* 50. mecum dicere poſſis: Deus ſummè miſericors occulta ſapientiæ ſuæ manifeſtavit mihi. Secus verò, quamvis hîc omnia quoque comprehendas, tamen: ut *Deuter. cap.* 32. *verſ.* ultim. videbis terram promiſſionis, & non ingredieris in eam. Quapropter ait Thomas à Kemp. *Lib.* 2. *cap.* 10. Non poſſunt in nobis dona Dei fluere, cum ingrati ſimus Authori. Et hoc habeas pro certo, quòd niſi Deus noſcat te mentem habere contritam, abſolutè cum tota mea LUCE HERMETICA CLARIFICATA, cæcus eris. Cum autem ſis pius: ſpera in Domino, addit *Prophet. Pſal.* 36. fac bonitatem, inquire hanc terram, & paſcêris in divitiis ejus. Si te fata vocant.

*Eſt etenim virtus prima, timere Deum.*

Unde cum Authore Arcani Hermeticæ Philoſophiæ *Canon.* 1. concludo: quòd Divinæ hujus ſcientiæ principium, ſit Timor Domini; finis autem charitas & amor proximi, Templis, & Xenodochiis conſtituendis, ac dotandis, meſſis hæc aurea debeatur, & quod à Deo conceſſum, Deo etiam acceptum referatur. Etenim ut ibidem *Canon.* 2. ſcientiæ hujus lumen donum Dei eſt, quod quibus placet per gratiam largitur. Et dat cui prædicta promittit, ſine qua ſincera prædicta pia ſtabili intentione, abſolutè hoc ſtudium relinquas, quia nihil unquam intelliges. Et cave, ne dicas, reddam malum, ſeu vindictam ſumam ſuper inimicos; expecta Dominum, & liberabit te, ut *Prov.* 20. & vide Authorem Roris Aurifici *cap. ultim.* aliàs ſi odium conſerves, nec verbum concipies, quamvis hîc omnia

nia lucidiſſimè ſint explanata, ac edocta, unde vide Theobaldum *Part.* 1. De impedimentis, & cæt. *Vol.* 1. *Theatr. pag.* 123. & obſerva, quid Philoſophi omnes ibi citati concludant. Atque vide Laurent. Ventur. *cap.* 4. & ſi Lapidem cupias, eorum monita ſerva. Et credas experto: Nam ego tribus vicibus opus inceptum interminatum relinquere debui, quia fortè Propoſitum prædictum non bene feci. Unde primum incepi Venetiis; & ecce inimici ſicarios ad me necandum miſerunt, & fugam arripui. Secundum Orſovæ; & ecce Turcæ, me obligârunt ad fugam. Tertium Viennæ: & ecce Bavari, & iterum fugere debui. Hæc ergo memoriæ tuæ bene commenda. Nam ego vota feci, prædicta & ita ſecunda vice, Deo volente, opus quieto animo perficere ſpero, ubi ſum, &c. Nam oratio humiliantis ſe, nubes penetrat: *Eccl.* 3. 21. Unde faciam ut *Prov. cap.* 20. expectabo Dominum, & liberabit me. Nam dicit Dominus, ut *Deut.* 32. mea eſt ultio. Et *Levit. cap.* 19. Ne memoreris injuriæ. Ac *Matth. cap.* 5. Diligite inimicos veſtros. Itaque ut *Div. Auguſt. Homil.* 37. nobis conſulit, incipiam etiam inimicos diligere. Memento mei.

# FINIS.

*Vale.*



# RECAPITULATIO,
*SEU*
# CONCLUSIO
## TOTIUS OPERIS INTEGRA

Ex Opere Minerali Magiſtri Iſaacci Hollandi, aliísque Philoſophis Congruentibus extracta, ſeu collecta, omnibus cum circumſtantiis neceſſariis, à Principio, usque ad finem unâ cum multiplicatione, ſpecificatione, ſeu metallica conjunctione, projectione, & cæt.

In Xenium addita
*Ab*
Eodem Comite Franciſco Onuphrio de Marſciano
Authore

## Caput Primum.

*De Materiæ Præparatione, & quòd abſolutè non ſit opus pro pauperibus, & cæt.*

CUm totum Chymiæ ſtudium verum ſit Chaos, quod ſicuti fuit ab initio, manſiſſet, & maneret tenebroſum & confuſum, niſi Deus omnipotens benigniſſimus cæcam mentem Indigniſſimi ſub cælo viventis illuminâſſet, & ſuô Divinô verbô, FIAT LUX, hanc Lucem mihi indigno famulo ſuo patefeciſſet, ut ſubinde piis probísque viris hoc ſtupendum ſupernaturale Lumen mihi clementiſſimè gratis donatum ad Dei gloriam participare potuiſſem. Gratias ergo immortales Amice Lector Deo noſtro repende ſubmiſſas, quòd ita mihi peccatori maximo tam ſublimem ſcientiam pandere dignatus ſit: aliàs ab aliis invidis nîl unquam, & non ut ego ſincero corde contra Sophorum regulas feci, de hac ſacra Theoſophia planè, ac ordinatè, nec aliquod ſaltem primum lumen patefactum fuiſſet, & ita in hac arte nullus inveniſſet unquam principium, cum Sophorum ſcripta ſint ubique meri abſconditi labyrinthi, in quos ſi quis extra rectum tramitem ſemel ingreſſus fuerit, vix per integram ſuam vitam, niſi manu-

manuductione immediatâ Divinæ ſupernæ Lucis increatæ per aliquem peritum magiſtrum ipſum ab illo retrahentem, egredi poterit. Unde ecce nunc, hîc filum magiſtrale Ariadneum habes, cum quo in Hermetico Labyrintho tutè vagari poteris: fruere ergo amaro vigiliarum mearum labore, ſudoréque dulciſſimo tui ſublevamine, & gratus eſto: In hoc enim Libro integram Bibliothecam poſſides Hermeticam, ænigmatibus omnibus, parabolis, figuris, æquivocísque purgatam, eò magis tibi utilem, quò magis ordinatam, verbísque ſynonimis ſtudiô adjunctis clarificatam, & explicatam, practicéque dilucidatam, adeò ut valdè timeo, ne Adepti invidi zelotes mihi fortè acerrimè irati exactiſſimam, de hoc Libro notitiam habentes, faciant inquiſitionem, omnésque comburant. Fiat autem voluntas Domini, ego, *ut Sap. cap. 7. 13.* ſincerè dicam, quòd ſicuti hanc ſcientiam ſine fraude didicerim, ita ad bonum proximi ſine invidia communico, ac veritatem ejus non abſcondo. Unde attende:

Sicut ergo primò ex materia remota vinum Philoſophicum conficere ſit prima clavis in arte, cujus ſpiritus inde extractus eſt mercurius noſter, ſive menſtruum ſolutivum vegetabile noſtrum, ſine quo, ut ait Lullius in *Part. 1. Anim.* transmutat. nihil fieri poteſt in Magiſterio hujus artis. Inquit ideò Iſaaccus Hollandus in ſuo Opere Minerali *Lib. 2. cap. 126.* Non neſcio paucos ad intelligentiam ſpiritûs vini (puta ſemper Philoſophici) perveniſſe: ego autem majus ſecretum non habeo, quàm ſpiritum vini in hoc opere. Duæ autem ſunt aquæ Philoſophicæ, una dicitur aqua prima, & eſt ſpiritus aceti Philoſophici, alia dicitur aqua ſecunda, & eſt ſpiritus vini, ut *Vol. 1. Theatr.* Chemici ex Annotationibus Nicolai Flammelli *pag. 765.* ex ſcala Philoſophorum; atque *Vol. 5. dicti Theatr.* ex *Micrer. in fine pag. 99.* vel ex turba Philoſophorum ubique, concipimus. Quod acetum maximo cum ingenio ex eodem vino Philoſophico conficitur. Et ex tartaro vini, acetíque calcinato ſal fixum eruitur. Et ita corpus fixum, & ſpiritum volatilem, materiam nempè proximam Lapidis noſtri obtinebis, ut legitur in Tract. Gloria Mundi *Vol. 6. Theatr. pag. 516.* Cum quo ſpiritu aceti primò corpus ſolvimus, depuramus, & rubificamus, & inde cum ſpiritu vini illud volatilizamus, dealbamus, & ſimul in lac virgineum ſophorum conjungimus. Hoc facto, jubet Iſaaccus Hollandus *lib. 1. cap. 5.* quòd ex ſpiritu prædicto aquam hydropicam ſeu phlegmaticam ſeparare debeamus, ut quoque terram fætulentam, ac ſulphur combuſtibile ex tartaro per Vulcanum demere, ut ſal purius ex ipſo extrahere poſſimus, à quo ſale ſubinde ſuperfluitates omnes terreæ ingreſſum prohibentes per exactiſſimam mundationem expellere, & purum ab impuro dividere, ac mediam tantummodo puriſſimam ſalis ſubſtantiam eruere, ſpiritúmque optimè dephlegmare, nos docet. Hinc Philaletha Tractat. de Metallor. Metamorphoſ. *cap. 8.* ait: De me primùm quod ſecum retinet impurum cremabile fæculentum

tum, & cæt. ſuperfluitas enim duplex eſt in chaote: terra ſcilicet leproſa, & aqua hydrops: terra leproſa in corpore videlicet,& aqua hydrops in ſpiritu exiſtentes.

Quod corpus, addit Iſaacc. *lib. 1. cap. 64.* eſt ſal noſtrum pretioſiſſimum animam in ſe occultam habens: Itaque veteres ſal animatum illud vocârunt. Et ita ſunt tria, ſcilicet ſpiritus, anima, & corpus. Quod ſal à ſapientibus aurum & argentum, ſeu corpus ſolare & lunare vocatur. Hinc Laurentius Ventur. *cap. 11.* inquit: Sal hoc in manifeſto eſt argentum, & in occulto aurum. Ut ita ſimiliter in Dialogo Jo. Braccheſchi Brixiani ex Lullio, & Gebro conteſtatur, quòd hoc ſal in manifeſto ſit argentum, & in occulto aurum ſophorum, nec aliud aurum & argentum intellexerunt Philoſophi, ut ita legitur in Bibliotheca Chemic. Curioſ. Jo. Jacob. Manget. *Tom. 1. pag. 914. 915.*

Unde ait Anaxagoras: Sal noſtrum, eſt ſol noſter, & eſt intrinſecus rubrum, & ardens, quod animæ conjunctum eſt, & ita ſolis & lunæ naturam continet; & ſpiritus eſt mercurius, ac medium tincturas conjungendi. Corpus eſt mas & fixum: ſpiritus fæmina & volatilis. Hinc Nicolaus Flammellus, inquit: Ad veram generationem aquæ noſtræ compoſitæ, ſeu elixir noſtrum, ignorandum non erit duas reperiri formas, unam maſculinam fixam, aliam fæmineam volatilem, quas Philoſophi (& præſertim Hermes, & Senior) duobus comparârunt in arte ſerpentibus, uno alato (ſcilic. ſpirit.) alteri quidem alis carenti (nempe corp.) & cæt.

Propterea Hermes, & Senior addunt: Fæmina habet alas integras & volare vellet, maſculus autem alis carens retinet volantem, & eam ſecum in carcere ſedere cogit, & cæt. Quia, ut dictum eſt, ſpiritus figitur,ſeu congelatur in corpore, & ſimul copulantur. Etenim non datur generatio niſi per maris & fæminæ conjunctionem. Ita dicit Alexander: Nullus naſcitur niſi ex mare & fæmina, & nullum Germen gignitur niſi ex humido & ſicco. Humidum eſt ſpiritus. Siccum verò corpus. Itaque Riplæus in ſua Epiſt. ad Reg. Eduard. quart. ſcripſit: Cum aquavitæ noſtra ſæpè lava corpus, & iterum deſicca, & fac matrimonium inter corpus & ſpiritum, & cæt.

Et Maria Prophetiſſa ſubjungit: Matrimonifica gummi cum gummi vero matrimonio, & ex duabus aquis, ſcilicet ex ſolvente & ſoluto, unam facito aquam. Quapropter ut ait Philoſophus in Ginecæo Chemico *pag. 501.* Si Lapis ex una tantummodò conſtaret ſubſtantia, in eo nulla fieret actio, etenim evidens & certum eſt, quòd agens & patiens opus eſt,ut ſint unius & ejusdem ſpeciei ac naturæ, ſexûs autem diverſi, quemadmodum homo differt à muliere, nam etiamſi in una eadémque ſpecie conveniant. tamen diverſas habent operationes, uti materia & forma. Unde ſic eſt, & eſſe debet compoſitum noſtrum ex mari & fæmina, ſcilicet ex volatili & fixo, corpore & ſpiritu, agen-

te

te & patiente humido & ſicco ſimul conjunctis. Quare, ut ait Artephius in ſuo Libello ſecreto : Cum hoc corpus, ſive aurum noſtrum ſit aridum & ſiccum, ex ſe nullum habet ingreſſum, itaque ſpiritu vitæ, quæ eſt aqua ſui generis, reſolvendum eſt, & revivificandum, quia ſiccum non intrat, & mortuum non vivificat, ac ſimul inde ambo per minima conjungenda, ut ita verum inter ſolem & lunam, cælum & terram, matrimonium faciamus, ex quibus inde ſemen ſolificum & lunificum multiplicabile oritur, ut ita legitur in Rythmis Germanicis *Vol. 6. Theat. pag. 511.* ubi dicitur: Aqua & terra noſtra ſimul conjuncta, ſunt metallorum ſemen in ſubſtantia. Aqua eſt volatilis, terra verò fixa, quorum neutrum aliquid præſtat ſine alterius opera. Hæc duo omnium metallorum vires virtutésque poſſident, non autem ex fodinis mineralium effodiuntur? & cæt. & hæc ſunt verba Philoſoph. *loc. cit.* ſed eſt ſciendum, quòd corpus prædictum ſit duplex ita à natura compoſitum, & verum auri, argentìque ſemen in ſe contineat. Ideòque corpus ſolare & lunare Androgynum vocatur, aurum & argentum noſtrum, ut ſuprà ex Lullio, Gebro, ac Laurent. Ventur: notâſti. Undene confundaris, ſi aliquoties duos eſſe lapides Philoſophi dixêre, quia quamvis ſpiritus ſit vera fœmina lapidis, ut in antiquiſſimo Duello Equeſtri teſtatur, tamen albedinem ſalis externam Philoſophi quandòque lunam ac fœminam eſſe dixerunt, & animam ſeu ſulphur internum rubrum ſolem maſculúmque vocârunt, licet ſimul in uno corpore lateant. Hinc Poëta Philoſophus in ſuis carminibus *Vol. 3. Theat. pag. 859.* de prædicto duplici corpore, ſeu lapide ſalino ſolari & lunari noſtro, cecinit:

*Ambo ſumus lapides, unà ſumus, ambo jacemus.*

Et Riplæus in accurationibus, & practicis Raymundinis ſubjungit: Aurum & argentum Philoſophorum ſunt duæ tincturæ, ſive duo ſulphura album & rubrum in uno corpore tectæ, nondum à natura in aurum & argentum completa.

Hinc Geber de prædicto duplici corpore ſolari & lunari noſtro Hermaphrodito *lib. 2. ſumm. perfection. cap. de medicinis in genere*, ait: Neceſſe eſt duplicem ſubſtantiam ſeu medicinam fore, unam quidem albam, id eſt lunare corpus: Alteram verò citrino-rubram, id eſt ſolare ſulphur, & hæc duplex materia invenitur ſimul. & cæt, Et vide Anonymum de maſſa ſolis & lunæ, *Vol. 5. Theatr. part. 1. in princip, pag. 436. &c.*

Quod autem Androgynum corpus terreſtreitate fætulenta indutum per multas repetitas, primò ſpiritu aceti noſtri, ſolutiones & coagulationes, filtrationes, & depurationes mundandum eſt. De quo tædioſo artificio, ita Geber in lib. inveſtigation. magiſterii alloquitur : ( Not. Ben. ) Habet enim, in-

 quit,

quit, hoc corpus imperfectum in primo ſuo ſtatu humiditates ſuperfluas, ac terream ſulphureitatem aduſtibilem nigredinem ſeu obſcuritatem in ipſo generantem & corrumpentem. Habet etiam tetreſtreitatem immundam fætulentam ingreſſum prohibentem, ac fuſionem ſeu liquationem impedientem. At quia hæc ſuperflua accidentaliter his ſuperveniunt corporibus, & non radicaliter, ergo & ſpoliatio accidentalium poſſibilis eſt. Oportet igitur nos per ignem ſibi convenientem primò his prædictis mundandis, ac ſuperflua demere accidentia cuncta, & ſola media ſubſtantia argenti vivi noſtri & ſulphuris ejus radicalis permanente pro lapide noſtro uti. Ac ſubinde cum igne noſtro (ſcilicet ſpiritu aceti) fit hæc integra corporis imperfecti præparatio, ac depuratio, ſive ſublimatio noſtrô modô perfecta (ſcilicet fit exaltatio, ac extrema depuratio) donec corpus ad plusquam perfectum ſublimationis gradum deveniat. (nempe mundiſſimum) Primò igitur à Maſſa elevanda eſt cum igne proportionali tota humiditas ſuperflua (fæces vini noſtri tartarizando videlicet, ſive Tartarum ipſum calcinando) ſuperfluitates ſcilicet comburendo, ſicut inde ſimiliter totalis ſubſtantia corruptibilis terrea in ejus calce (ſcilicet ſale) remanens, ac ſuperflua humiditas cremabilis leniter calcinando comburenda eſt, donec calx (ſeu ſal) fuerit alba & perfectè, ut ſupra, ab omni ſuperfluitate ſeu corruptione depurata, & hoc terendo, ſolvendo, lavando, filtrando, triturando, evaporando, ſeu congelando, ac pluribus vicibus repetendo, fit, ut iterum deleatur, ſeu deponatur ab eo adhuc totalis terreſtreitas reſidua immunda fuſionem metallicam non habens, & cæt. & hucusque Geber. ut etiam in Roſario ſimilia ex ipſo Gebro inveniuntur. Quem ſi benè nunc edoctus intelligas cum ſuperioribus combinando doctrinis, ſeu cum prædictis de præparatione ſalis collationando, quid clariùs dici poteſt? Quæ Gebri documenta prædicta ſimiliter in Bibliotheca Chemic. curioſ. Mangeti *Tom. 2. pag. 112.* reperies.

Unde nunc intelliges, quòd ubicunque de corporibus imperfectis, ac perfectis Philoſophi loquantur, non de corporibus metallicis intelligant; ſed de hoc unico corpore ſolari & lunari noſtro ſemper cenſendum ſit, ſcilicet, cùm de regimine Plumbi, ſeu Martis, de regimine Solis vel Lunæ, Jovis ſeu Veneris, Mercurii, & cæt. Philoſophi tractent, nil aliud quàm de hujus corporis imperfecti præparatione intellexerunt, & ſecundùm colorum variationes nomina metallica, cæterorúmque corporum illi appropriârunt. Primò ergò quia in prima ſolutione nigreſcit, ſub regimine Plumbi, Martis & Antimonii illud indicârunt; cùm albeſcat, ſub regimine Jovis, Lunæ, Aluminis, & cæt. occultârunt, cùm citreneſcat, ſub regimine Solis, Auripigmenti, & cæt. palliârunt, cùm rubeſcat, ſub regimine Cinnabari & cæt. & cùm dicant: Recipe

cor

corpus perfectum ſolve illud aqua ſui generis, vel cum Mercurio aurum conjunge, amalgama, & cæt. nil aliud ſemper ſignificare voluerunt, niſi corporis hujus per ſpiritum prædictum ſui proprii generis ſimul ſæpè impaſtando, ſolvendo, & congelando, ad ultimam perfectionem redacti, ſuòque ſpiritu conjuncti, neceſſariam præparationem peragendam.

Ac pro rerum ſupra à Gebro prædictarum confirmatione lucidiùs deſcriptarum vide Guidonem de Montanor in ſcala Philoſophorum paulò poſt principium, ubi incipit: Et diximus tibi, quòd ſulphureitates combuſtivæ in terra noſtra exiſtentes per beneficium calcinationis ſeparentur, & inde ſæpè ſolvendo, & congelando, & cætera quæ ibi perlegere poteris, omnia cum Gebro ut ſupra congruentia, & cæt. reperies.

Unde nunc ſanè vides, quòd hoc non ſit opus pro pauperibus, quamvis materia remota viliſſimô pretiô ubique inveniatur venalis: Niſi fortè in domo propria de ipſa ſufficientem quantitatem retineas, ubi verè absque ſumptu habere poteris, & tunc certè, ut multi ſcripſerunt, nec quinquaginta florenos tibi conſtaret opus. Et hoc Sophi intellexerunt, cùm dixerint, quòd opus hoc paucas requirat expenſas, & cæt. aliàs cùm illam emere debeas materiam, & maximâ copiâ ipſius indigeas, ùt ſuprà notâſti ex Riplæo in lib. ſuæ medullæ circa medium, ac deinde, antequam ex ipſa (ferè totâ comburendâ) hoc ſal centrale fixum metallicum incremabile obtineas, & ultra, antequam ſal ipſum ad ultimum perfectionis gradum tamdiu depurandum reducas, ut ſolam mediam ipſius puriſſimam ſubſtantiam acquiras, ùt ſupra ex Gebro audiviſti, demptis ſuperfluitatibus omnibus terreis, fætulentóque ſulphure aduſtibili & cæt. quibus abundat, non parùm illud purum modicum reſiduum tibi conſtabit?

Habemus exemplum in vitriolo vulgari, quod ſi centies per ſolutiones ac repetitas coagulationes purificetur, ſemper fæces in filtro æqualiter remanent, & ex 50. libris vitrioli, de vera ejus fixa ſubſtantia metallica, ſive quintâ eſſentiâ cupreâ (non autem aureâ, ùt fatui putant) vix unam unciam habebis in fine. Similiter verò ex noſtro vitriolo azoqueo de puriſſima metallica aurea ſubſtantia fixa, ex quinque libris, vix ſatis ad opus incipiendum fixionis ultimum remanebit, cùm de puriſſima tantùm ipſius quint-eſſentiali media ſubſtantia lapis noſter perficiatur. Unde vide Iſaac *lib. 1. cap. 28.*

Hinc Iſaacus *lib. 1. cap. 17.* ait: Jam filium meum opificium Philoſophorum nunc docere volo, & cæt. Debes ad minimum quatuor vel quinque libras materiæ hujus habere (ſcilicet proximæ) ad opus tuum præparandum, & cæt. nimirum quatuor vel quinque ſalis libræ á principio habendæ ſunt. &c. Itaque verum dixêre ſapientes, quòd materia remota ſit vilis pretii, ubique re-

repertibilis, & quòd habeant plus pauperes, quàm divites. Materia autem proxima non invenitur venalis, neque ſub terra neque ſuper terram repertibilis, cùm ſit filia Sophorum, ùt ſupra audiviſti, ad quam ſatis ex remoto ſubjecto acquirendam, non paucis indiget expenſis, nec paucis laboribus, nec brevi tempore acquiritur. Ideo omnia quæcunque ſalia vulgò nota à Philoſophis, ùt ſupra perlegiſti, excluduntur, exceptô hoc unicô nobis tantummodò notô, ut intelligant Chymiſtæ, quòd hoc ſal non ſit repertibile nec in fodinis, nec in apothecis, ſed quod tantùm ab artifice ex illo chaote omnibus noto ſapienter extrahatur. Quod inde meritò dicitur, quòd ſit res pretioſiſſima, non tantùm causâ virtutis, ſed etiam causâ raritatis ac parvitatis remanentis. Etenim ex mille libris materiæ remotæ vix libram unam ſalis impuri obtinere poteris, & poſt ejus perfectam depurationem, jam audiviſti, quid remaneat ex ipſo. Propterea dicit Laurent. Ventur. *cap. 8.* Quomodo idem poteſt eſſe lapis noſter viliſſimus, & pretioſiſſimus, ſeu ſubjectum lapidis ita à Philoſophis æquivocè deſcriptum? reſpondendum eſt, quia in ſe ſubjectum illud benè conſideratum vile eſt: ſed ſi conſideretur quantum ad effectum, & quia etiam in eo eſt aurum noſtrum incluſum, & in modica quantitate, ut diximus, tunc eſt pretioſiſſimum.

Unde nunc clariſſimè concipis, quòd Riplæus ſupra citatus, cùm in ſua medùlla dixerit, quòd ſaltem ſexaginta pondera materiæ remotæ ſeu mineræ aureæ & argenteæ noſtræ à principio ſumendæ ſint, ut ſatis pro integra vita noſtra durante illa ſufficiat, veritatem ſcripſit, quamvis ſit nimis, & pro tua vita durante abundet: ſcilicet ſex mille libras: ſed hoc dixit, ne amplius imposterum alia vice á capite incipere debeas, nec aliam ulterius ſumere materiam opus habeas? Et hæc fuit ſua intentio, quamvis pondus etiam pro 25. libris quandoque ſumatur. Quapropter ut plurimùm unum pondus 100. libr. ſignificat. Quia cùm Iſaacus dicat, quòd ſaltem quatuor vel quinque libras ſalis a principio habere debeamus, & ex mille libris non niſi unam ſalis libram eruere poſſimus! ergo tu ipſe computum facere poteris? Non neſcio, quòd hoc pro Chymiaſtris: de hac ſcientia nil penitùs ſcientibus, ſit blasphemum? Sed credas pro certo, & fidem habeas experto, per DEUM laudatum ſic eſt, nec Riplæus fuit ſtultus cùm hoc dixit? quamvis ipſe ſolus hoc revelaverit arcanum, & myſterium ſincerè detexerit?

Hinc non ſine cauſa Philoſophus ille in ſua inſtructione de arbore ſolari *Vol. 6. Theatri cap. 3. pag. 172.* Ac Sendivogius *Epiſt. 1.* dixerunt, quòd Piſciculus noſter Echenius valdè ſit exiguus in vaſto mari noſtro expiſcandus. Atque Hermes triangulum ita in medio punctatum delineavit, ac inde quod in ejus centro argentum vivum noſtrum ſicuti punctum inqui-

quirere debeamus? ut ita ſuam modicam quantitatem ad puncti proportionem in triangulo ſignati reperiendam intelligamus, vel quod ſicuti parvulus ſit piſciculus in vaſto mari ſepultus, hoc ſal in chaote ſeu mari noſtro in centro inveniendum, comprehendamus, ipſi Philoſophi ita ſcripſerunt, ac illud ſal indicârunt. Et ideò idem Iſaacus *lib.* 1. *cap.* 13. inquit: ſi pauper fueris, opus proſequi non poteris: Ars enim iſta inimica eſt pauperibus, ſumptus magnus eſt, opúsque paucâ materiâ fieri nequit, tempúsque valdè longum requirit. & cæt. Itaque ut id perficias, ad minimum tres libras materiæ (proximæ videlicet) præparatæ & jam mundatæ ab initio habere debes, ut ſi quid tibi in opere deſit, ſatis materiæ paratæ tibi eſſe poſſit ad opus corrigendum, & cæt. Et pro tribus libris ſalis noſtri impuri obtinendis non ſufficiunt triginta centenaria materiæ remotæ; conſidera ergo poſt ejus ſalis extremam mundationem, & debitam præparationem, ut ſupra dixit Iſaacus, an ſufficiant ſex libræ? ut tres mundatæ remaneant, ut ad minimum vult Iſaacus. Ergo lucidè patet, quòd Riplæus pro ſexaginta ponderibus, ſex mille libras intellexerit. Etenim idem Iſaacus ibidem *cap.* 28. ſubjungit: Non multum enim terræ noſtræ ſatis purificatæ ex quatuor libris retinebis, quas impoſuiſti, & cæt. (& hoc propter multas repetendas depurationes peragendas, antequam aſtrum ſalis puriſſimum ex ipſo obtineamus, ut ſupra ex Gebro, Guidone, & cæt. demonſtravimus) ſed quamvis parum remaneat, addit Iſaacus, tamen ſatis habebis, ut ea opus tuum perficias, & cæt.

Quapropter ut ſupra docuimus, una tantùm uncia materiæ paratæ pro qualibet Phiala ad opus ultimum fixionis ſufficit; ſed plures Phialas præparare poteris in pluribus furnis ad decoquendum imponendas, ut ego nunc ſecunda vice jam facere decrevi, ut donec vivam pro me, & amicis ſufficiat. Nam prima vice, quia pauca cum materia opus incepi, non niſi unam habui Phialam, ac ex ipſa non multum retraxi tincturæ &c, Unde Dyoniſius Zacarius in ſuo opuſculo *part.* 1. paulò poſt principium ſcripſit: Iſta nimirum eſt occaſio maximè arcanum celandi (ne hujus ſcientiæ cultores perterriti hoc ſtudium nempe relinquant) nam ad labores pænoſiſſimos, operísque prolixitatem, accedunt ſumptus ingentes, & cæt. Etenim, ut ſatis habeas de hoc ſale pretioſiſſimo extremè præparato ac mundato pro una vel duabus Phialis, ſaltem mille materiæ remotæ libris indiges, quia quamvis ex mille libris chaotis unam ſalis hujus libram habueris, poſt tamen perfectam ejus depurationem parum retinebis ex ipſa. Et ſpiritus vix tibi ſufficiet. Unde computatis computandis, vaſis ſubinde ac ordignis ferreis, terreis, vitreísque, & cæt. In prima primaria diviſione, atque præparatione neceſſariis, & carbonibus, oleo, pinguedinéve porcina pro ultima diuturna quoque decoctione, quibus opus habes,

ad minimum quinquagenis indiges florenis; certè pro divitibus nihil sunt? sed pro pauperibus non ita? Propterea quamvis pauperes hanc scirent artem, cum Horatio dicere possent:

*Quò mihi fortunam, si non conceditur uti.*

Quapropter, addit Isaacus ibidem *cap. 30.* magna quantitas materiæ (& ecce nunc de materia remota intelligit) habenda est ab initio præparanda, ob præ. dictam eam causam, & cæt.

Nempe ptopter exiguam materiæ proximæ quantitatem, post prædictam extremam depurationem peragendam, remanentem, ut dictum est, sicuti legitur in clangore Buccinæ ex Lullio, quòd ex una tartari librâ calcinati, vix drachmam unam salis habere poteris. Et hæ sunt expensæ considerandæ, non autem in prima chaotis emptione, quod vili pretio haberi potest? Et ista drachma, si ipsam velis ritè purificare prout decet, reduceretur ad granum? Etenim dicit Gasius in suo perfecto magisterio: Non recipit corpus spiritum, neque spiritus corpus, nisi prius corpus fiat spirituale, & sit ab omni sorde extremè depuratum, & spiritus ab omni phlegmate separatus. Ut Alanus in turba confirmat. Inde subjungit ibidem Gasius: Quando verò sint ambo perfectè mundata, mox complectuntur se invicem corpus & spiritus, & in hora conjunctionis, maxima apparent miracula, tunc corpus coloratione firma coloratur, & perficitur propriô fermentô suo, quod fermentum est eadem anima corporis (memento ergo, quæ superiùs de fermento lapidis ex omnibus cum Gasio congruentibus prædiximus) & spiritus mediante anima cum corpore conjungitur, figitur, & fit unum cum eis, & cæt. ut ita legitur *Vol. 3. Theat.* in thesauro Philosophiæ *pag. 155. 156.* Et vide Isaac. *lib. 1. in fin. cap. 16. ibidem.* Item *ibidem oper. mineral.* Idem Isaaccus *lib. 1. cap. 30.* subjungit: quapropter hoc opus una cum spiritu faciendum est, & cum terra ista benè mundata residuali, quæ simul una cum spiritu attrahi debet (scilicet donec sit facta volatilis, & in aërem una cum spiritu sublevetur in vase in formam lactis, & hæc est sublimatio nostra, de qua dixit Riplæus *cap. 3. post Philogium Alchemist.* Et pro Mercurio sublimato, intellige aquam cum calce sua exaltatam. Et hic est infans noster, qui necessariò in aëre nasci debet, scilicet ut supra dixit Isaac. quod cum spiritu in aërem attrahi debeat) & postea, sequitur Isaac. eodem modo cum spiritu sæpè sæpiùs, multísque vicibus incerari debet antequam lapis velit liquidus fieri, & subtilis, ad quod magna quoque spiritûs copia opus est, & cæt. (nempe in fine post lapidem decoctum & absolutum, quia remanet in massa frangibili, iterum eodem modo, sæpè sæpiùs & cæt. solvere & congelare debemus massam illam cum spiritu proprio, donec ut cera liquescat.

ſcat. Itaque magna ſpiritus quoque copia indigemus tam in præparatione, quàm in fine in multiplicatione neceſſariò peragenda) qua de cauſa inquit Avicenna ad filium ſuum Acoalum *cap. 8.* à Riplæo citatus, quòd pro opere noſtro ſaltem 60. libr. argenti vivi, ſeu mercurii, nempe ſpiritus habere opus ſit; & ita cum Riplæo convenit, quia 100. libr. materiæ remotæ non dant niſi libr. 1. ſpiritus vel mercurii noſtri: ergo ſex mille libr. chaotis non amplius dabunt quàm 60. mercurii noſtri libras? & hæc eſt illa magna ſpiritus copia ab Iſaacco ſupra indicata. Quia chymiaſtris fabulæ eſſe videntur, quia de hac re nihil ſciunt.

Itaque legitur in turba Philoſophorum *ſerm. 72.* compoſitio autem noſtra duplex eſt, una pars enim eſt humida, ſcilicet ſpiritus, altera verò ſicca, nempe corpus, & cum proinde ſimul coquantur, fiunt unum corpus Butyroſum, & cæt. Sed hoc lucidiùs explicatum, vide ſermonem unum Anonymi, ſeu ſoliloquium Philoſophicum poſt turbam ſequentem *Vol. 5. Theatr. pag. 52.* Propterea dixit Joann. Chortolaſſeus in arca arcani de conſenſu Philoſophorum erga finem primæ partis: Hoc Butyrum Philoſophi lac virginis vocârunt, nam ſi aliquantulum ſalis noſtri præparati in aquam noſtram, ſeu ſpiritum inditur, lactis inſtar fiet, ſi verò multum imponatur, craſſeſcit ut Butyrum. De qua ſalis præparatione vide Iſaacc. *ibid. oper. mineral. lib. 1. cap. 17.* Atque Lullium *experiment.* 1. ſive Laurent. Ventur. *cap. 25.*

Unde idem Iſaaccus *loc. cit. lib. 2. cap. 123.* inquit: Docui te præparare, ac mundare, ſive corpus imperfectum rectificando habilitare, quod eſt luna noſtra, ac ſimiliter ſpiritum depurare, ſeu dephlegmare, qui mercurius noſter eſt, fæcésque ſive terram albam ex corpore ſeparare, quòd fit perfectè pluries ſolvendo, multisque vicibus congelando, filtrando, & cæt. cum ſpiritu aceti noſtri videlicet &c. & antea ſi velis, cum aqua communi diſtillata; atque in cellari humido, ſolvendo, & evaporando, fæcésque per filtrationem ſeparando, & cæt. facere poteris.

Idcircò Morienus ait: ars noſtra nil aliud eſt, quàm aquam ſuper terram infundere, & iterum ex terra aquam evaporare, nempe ſolvere & congelare, & iterum repetere, & cæt. donec, & cæt. Et vide ipſum Iſaaccum ibidem *lib. 2. in fine cap. 111.* Et in principio *cap. 112.*

Item idem Iſaaccus *loc. citat. lib. 1. cap. 126.* ita principium ſalis depurationis docet: Nunc, inquit, materiam lapidis benè calcinatam ſume (ſcilicet ſal) & in aqua communi benè diſtillata ſolve, vel ſupra menſam vitream in cella frigida, aëroſa, & humida imponas, ut per ſe ſolvatur, & hoc pluries repete ſolvendo in cellari, ac in calore evaporando, ſemper filtrando, & cæt. donec, & cæt. Tum acetum fortè diſtillatum (puta ſemper Philoſophicum

ex

ex vino noſtro confectum) habeas, ac tantum aceti illius diſtillati ſuper lapidis materiam unde (ſcilicet ſuper ſal) donec verè perfectè radicaliter ſolvatur (in qua prima aceti infuſione materia, ſeu ſal hoc nigreſcet, quod eſt primum caput corvi ſophorum, ac acetum rubeſcet inde ut ſanguis) cúmque omne ſolutum fuerit, acetum ſuaviter diſtilla, vel evapora ſenſim lentiſſimo calore, donec materia ſeu ſal iterum ſiccum ſit. Cúmque iterum corpus ſiccum fuerit, denuò aliud acetum recens materiæ lapidis ſuperfunde, donec iterum in aquam (rubram) ſolvatur, iterúmque (ſuaviſſimè) exſicca, & hoc tam frequenter facito (ferè centies) donec materia ampliùs congelare nolit, ſed conſiſtat in morem inſignis olei denſi (nempe propè calorem, at in frigore congelabitur, ut addit Lullius) & cæt. Addidi ego: donec in aquam rubram ſolvatur, quia cùm ſal illud in aceto ſolvatur, ſtatim ut ſanguis tingitur; de qua veritate vide ipſummet Iſaaccum *lib. 1. cap. 78. 79.* vel *Vol. 3. Theatr. pag. 358. 359.* Qua de cauſa ſpiritum hunc aceti, aquam rubram Philoſophi nuncupârunt, quamvis ſit alba, & aqua quoque prima dicitur, quia ipſa primò in corporis ſolutione utimur. De qua vide Senicrem *Vol. 5. Theat. pag. 21. & 236.* ſive allegoriam ſuper turbam *Diſtinction. 3.* ac lucidiùs explicata vide *Tom. 2. Bibliothec. chemic. curioſ.* Joan. Jacob. Manget. *pag. 150. 2da column. ex clangore Buccin.* ex Lullio &c.

Cùm ergo ita corpus ſit perfectè depuratum, radicalitérque ſolutum, tum cum ſpiritu vini, aqua ſcilicet ſecunda, iterum nova imbibitio ſimiliter ſolvendo, & congelando, incipienda eſt; quia tunc ſimul facilè corpus & ſpiritus conjunguntur; & ita latonem rubrum ſubinde dealbabis, ac denique Butyrum noſtrum, ſeu lac virginis obtinebis, quod lac iterum per duos menſes in ſimili vaſe circulare poteris, ac inde ſecundum in Phiala decoctionis, ſeu fixionis opus incipere poteris &c. De qua prædicta corporis præparatione legitur In Rythmis Germanicis *Vol. 6. Theat. pag. 512.* inter mulierem & virum fac inde conjugium: Noſter Adamus cum clara Eva, nudus cum nuda concumbant, & cæter. ſcilicet tam corpus, quàm ſpiritus ſint ambo à ſordibus, Phlegmatéque denudata, & cæt. Unde vides, quòd ubicunque omnes generaliter congruentes in hac unica via lineari, unicuique regimine, quamvis diverſimodè deſcripto, conveniant. De quo unico regimine vide etiam Riplæum in accurationibus & practicis Raymundinis, ac in practica Theoriæ antecedentis, ubi incipit: Ergo in Nomine Domini: Recipe Adrop, id eſt leonem viridem (ſcilicet ſal) & ipſum in aceto diſtillato diſſolve, & â fæcibus partem puriſſimam ſepara, & cæt. Scilicet, ut pars pretioſa à vili ſit ritè ſeparata, ut ait Jerem. *cap. 15. 19. &c.*



Hinc

Hinc Marlinus Philoſophus de prædicta corporis, ſpiritûsque conjunctione ità cecinit : *Semina miſcentur quaſi lac, quæ mixta videntur.*

Et omnes prædictæ operationes in præparatione ſalis ſemper in unico ſimili vaſe fiunt



vitreo, quatuor, vel quinque digitorum alto, vel parùm plùs, ut Artephius in ſuo Libello ſecreto paulò poſt princi-pium ſincerè do cet. De qua inſeparabili corporis, ſpiritûsque con-junctione neceſ ſariò peragenda, vide ipſum Iſaaccum loc. citat. *Lib. 1. cap. 64.* ubi clariſſimè explicatur, & cæt.

Unde ne mireris, ſi Philoſophi dicant: unum vas, unus ignis, unum regimen, unica via linearis, unica materia, & cæt. quia non tantùm de ultimo vaſe, ſcilicet Phiala in ſecundo fixionis opere intellexerunt, ubi materia ex ſe ipſa diſtillat, ſe ipſam ſolvit, ſe ipſam congelat, ſublimat, albeſcit, rubeſcit, & cæt. ac ita denique in illa unica Phiala ſemper circulando quoque figitur. Sed de hoc unico quoque vaſe prædicto in præparatione ſalis adhibito locuti fuêre, ubi etiam omnia prædicta unicô repetitô regimine, unico ſemper leviſſimo æquali igne perficiuntur. Hinc Riplæus in ſuis axiomatibus *Vol. 2. Theat. pag. 101.* ait: In uno vitro ovali hæc omnia fieri debent. Ubi caput corvi, omnésque colores, ſicuti in fine, hìc quoque videbis. Ideo Arnoldus in ſuo ſpeculo *pag. 39. 42. 65.* inquit: Scias, quòd omnes operationes, nempe putrefactio, ſolutio, congelatio, ablutio, diſtillatio, dealbatio, calcinatio, imbibitio, trituratio, ſublimatio, & cæt. in ſola noſtra præparatione, corporísque ſubtilizatione, ſeu corporis, ſpiritúsque conjunctione, quæ eſt noſtra ſublimatio, in unico vaſe omnia fiant. Et ita Daunſtanus, Beat. Ægidius de vadis, Artephius & cæt. confirmant At quomodo hæc omnia in unico vaſe fieri poſſint, à magiſtro Valentino *Vol. 4. Theat.* in ſuo opere præclaro *pag. 954.* funditùs explicatur. Sicuti etiam de hoc puncto vide Albert. Magnum in ſuo compendio de ortu, & metallorum materia *Vol. 2. Theatr. pag. 125.* Atque Fratr. Heliam Aſſiſienſem in lib. ſecreto Artephii Arabis, inſertum. & cæt.

Bene quidem in prima primaria præparatione, ſeu diviſione, ad vinum conficiendum, tartarum calcinandum, ſpiritum extrahendum, ſal eruendum, & cæt. variis indígemus ordignis, vaſisque terreis, atque ferreis, vitris diverſis, ignibúsque validioribus, & cæt. ut Philaletha in ſuo introitu aperto *cap. 17.* atque Theobaldus *Vol. 1. Theatr. part. 3. pag. 179.* & cæt. teſtantur. Sed inde, ait Geber, poſt primam præparationem, non egemus niſi unico vaſe, unico furno, & unico igne ſemper levi ac æquali, & cæt. ubi omnia prædicta unico continuato Regimine fiunt. & cæt.

Unde de hoc unico repetito regimine in unico vaſe peragendo in præparatione ſalis prædicta neceſſariò conficienda, ait Avicenna *cap. 5.* Funde figi-

tur aquam ſuper terram ſuam (ſcilicet ſpiritum ſuper corpus) & permiſcè conterendo, paulatim imbibendo, hebdomadatim circiter leniter decoquendo (nempe per octiduum circiter ſuaviter evaporando) quousque, & cæt. Ut Fridericus Gualdus in Critica mortis in ſua Epiſt. *pag. 121.* confirmat. Inde ſequitur ulteriùs ibidem Avicenna: Nota tamen omni vice poſt terræ calcinationem, ſeu exſiccationem, iterum aquam temperatè ſuperfundas terræ ſiccæ, ipſam iterum imbibendo, nec multùm tamen, nec parùm, quia ſi multùm illam imbibas, fiet pelagus conturbationis, & ſi parùm, in evaporatione comburetur in favillam; unde ſuaviter, & non feſtinanter de octo in octo dies (omni vice poſt evaporationem) terram irrigando, iterúmque evaporando, & cæt. donec & cæt.

Et ita Arnoldus in ſuo Theſauro Theſaurorum ſeu Roſar. Philoſophor. *cap. 15.* iisdem præciſis verbis artificium nos docet, ac ſubinde ibidem Ulteriùs ſubjungit: Oportet primò terram modicâ aquâ ſuâ nutriri, & poſtea gradatim majori, ſicut videre eſt in infantis educatione: Idcircò multùm conterere terram, & paulatim cum aqua ſua imbibe de octo in octo circiter dies repetendo, & non te tædeat hoc opus multis vicibus reiterare, quoniam terra fructum non gerit absque frequenti irrigatione. Et ſi trituratio non fuerit bona, donec aqua fiat unum cum terra, corpus nihil proficit; non ergo ſuſpendas manum à tribulatione triturationis, donec aqua fiat ſicca cum terra ſua, & iterùm, & cæt. Itaque Riplæus in 2. porta inquit: Noſtra ſolutio eſt cauſa noſtræ congelationis, nam diſſolutio corporis cauſat congelationem ſpiritûs (Not. Ben.) & nos diſſolvimus in aquam terram illam, quæ manus non madefacit (ſcilicet diſſolvimus illud ſal, quod eſt aqua ſicca congelata manus verè non madefaciens) nam quando terra primò in aquam ſoluta, prorſus exſiccando (nempe humiditatem ſuperfluam per octiduum evaporando) denuò in cinerem noſtrum redigitur (id eſt in ſal) & tunc eſt aqua ſicca manus non madefaciens, & cæt. & ita Riplæus.

Et de hoc præparationis artificio, vide quoque *Tractat. 3. Roſarii abbreviati Vol. 3. Theatr. pag. 657.* Ut ſimiliter Fridericus Gualdus prædicta documenta de graduata octiduana imbibitione repetenda in ſua Epiſtol. in Critica mortis *pag 113. & 118.* confirmat. Etiámque Lullius in ſua Praxi, ut quoque *Vol. 4. Theatri pag. 152.* ex ipſo Lullio, legitur. Et vide etiam Harmoniam Chemicam in eodem *Vol. 4. Theatr. cap. 7. pag. 757. 758. 759.* Atque Roſarium Philoſophorum ex Compilatione Toletani ultrà medium. Hinc Ariſtoteles ibi. *pag. 165. 160, addit.* Pone ergò in vaſe vitreo Terram tuam calcinatam (ſcilicet ſemper ſal) & ſuperfunde aquam ſuam temperatè triturando: Inde evapora ſuperfluum, & deſicca lento calore per hebdomadam, ac iterum impone novam

vam aquam gradatim, & reitera, donec de ſua biberit aqua, quantùm bibere poſſit, vel donec ipſa terra fuerit ſicut paſta tenuis adhærens cum aqua, vel inſtar lactis coagulati æqualiter in fine remaneat, &c. ſcilicet poſt primam in aceto corporis ſolutionem, cum novo ſpiritu vini noſtri Latonem rubrum dealbando, donec poſt longum tempus, poſt nempe multas imbibitiones, & evaporationes repetitas inſtar lactis veri coagulati remaneat, ùt ſuprà dictum eſt. De quo latone ità dealbando vide Com. Bernhard. Treviſan. *part. 3. ſui Tractat.* Et tunc erit verè corpus perfectum, & aurum noſtrum ſublimatum. Quare inquit Riplæus in ſua Clavi Aureæ Portæ. Et tale corpus quamvis à natura ſit incompletum, & in ſua natura imperfectum, poſt ejus completam & perfectam mundationem, & ſubtilizationem, præſtantiùs eſt multò plus corpore auri, argentique mineralis, quamvis perfecta dicantur. Ideóque tunc corpus perfectum ipſum Philoſophi vocârunt, & ante præparationem prædictam in ſua prima natura corpus imperfectum, ac aurum leproſum eſſe dixerunt, &c.

Item legitur in Tractat. Gloria mundi *Vol. 6. Theatri, pag. 516.* Terra enim noſtra valdè ſitit, aquam hanc potandam ipſi præbe paulatim, & octidui ſpatio quieſcere ſinas, ut bene ſimul uniantur, ac repete, corporis ſcilicet & ſpiritûs conjunctio iterum facta eſt, &c. Hinc Poëta Philoſophus, inquit :

*quæque duo fuerant, unum quoque corpore fiant.*

In hac ergo laborioſa valdè diuturna, ac tædioſa præparatione, quæ meritò Herculei laboris nomen meretur, ùt ait Philaletha in ſuo Introitu Aperto *cap. 8.* quæ per biennium, & quandoque triennium quoque perdurat, ùt Paracelſus in ſuo Proceſſu *Vol. Theatr. pag. 359.* clarè demonſtrat, tota ars noſtra conſiſtit, nam inde poſt hanc prolixam præparationem nullus labor, nullàque moleſtia ſuccedit : Itaque in hac matrimoniali ſolis & lunæ, cœli terræque conjunctione totum tuum ſtudium impendas, quapropter Herculeo labore peracto, deinde cùm in phialam materiam tuam præparatam ad figendum imponas, & ultimum decoctionis opus incipias, tunc nil aliud eſt quàm muliebre, & luſus puerilis, ut Paracelſus loc. ſupra citato ac Philaletha ibidem *cap. 7.* teſtantur. Etenim tunc naturaliter ex ſemetipſa absque manuali operatione materia tua in illo vitro incluſa aſcendet, & deſcendet, ſublimabitur, & diſtillabitur, nigreſcet & albeſcet, ſæpè ſolvetur, & ſæpè congelabitur, rubeſcet, & citreneſcet, ac denique poſt innumeras mutationes, variósque colores, in rubedinem obſcuram fixam & prrmanentem vertetur, & ita ex ſe perficietur.

# Caput Secundum.

## *De operis progreſſu, ac ejus ultima decoctione, atque de ſophica ſublimatione, & cæt. ac de duplici capite corvino, & cæt.*

CUm materia tua ſit ut ſupra præparata, & in lac virgineum puriſſimum redacta, quamvis ad ſecundum fixionis opus incipiendum ita ſit apta, tamen ſi velis, poteris eam per duos menſes in vaſe ſuper delineato circulare, & à nova hypoſtaſi ſeparare, ac ita ipſam ſubtiliorem reddere, ut Lullius, Pariſinus, & cæt. docent, ut in projectione ſubinde majus lucrum obtineas; & ita habebis veram quintam eſſentiam cælificatam odore fragrantiſſimo decoratam, ut ſupra dictum eſt.

Nonnulli etiam ipſam ut ſupra præparatam inde per retortam diſtillârunt, unde fac quod velis: quapropter omne ſecretum in hoc ſale, in terram foliatam puriſſimam ad minimum caloris contactum liquabilem, deductô, ſeu in oleaginoſam conſiſtentiam redactô, conſiſtit, ut Iſaaccus *loc. cit. cap. 4. cap. 21. & cap. 53.* concludit. De qua terra foliata mundiſſimâ noſtrâ, vide etiam Fridericum Gualdum in Critica mortis in ſua *Epiſt. pag. 113.* Hinc Frat. Joan. de Rupe-ſciſſa in ſua Practica, ubi de hoc loquitur ſale, inquit: totum ſecretum noſtrum eſt in hoc ſale, & qui ſcit ipſius mundationem ac ſolutionem, jam tunc eſt elevatus ſupra ſecretum occultum noſtrum, quod eſt Lapis ſapientum, & cæt. Propterea dicit Ros Aurificus *cap. 4.* Si Deus hoc ſal non creâſſet, nemo Lapidem Philoſophicum inveniſſet, & ſtudium Alchemicum vanum eſſet, cum nîl aliud ad hoc aptum inveniatur in orbe tali virtute decoratum. Unde ad hunc ſalem bene præparandum ab ipſo Iſaacco ibidem *cap. 35.* Lectionem ſumas, ubi incipit: neceſſe eſt inde hanc terram foliatam ſublimare, & cæt. (ſcilicet vi ſpiritûs volatilizare, ac unâ cum ſuo interno ſulphure rubro in aërem elevare, quod ſulphur eſt ſuum verum aureum fermentum, & ſicuti fixiſſimum eſt; ita difficillimæ volatilizationis, ideò ait Sendivogius in Dialogo de mercurio, & Alchymiſtâ in perſona ſalis loquendo: centrum meum fixiſſimum eſt, penetrans, tingens, ac immortale, & cæt. De quo ſimiliter Fridericus Gualdus in Critica mortis, in ſua *Epiſt. pag. 122.* alloquitur, prædicta Sendivogii verba citando. Unde cave, ne tuum opus imperfectum relinquas, ſed Iſaacci intentionem ibi *loc. cit.* ſæpè perlegendo concipias.

Propterea dicit Kalid Rex in Lib. trium verborum *cap. 4.* ſpiritus iſte vertitur in corpus (ſcilicet in ipſo corpore figitur) & hoc corpus in ſpiritum, (nempe volatilizatur) unde iterum atque iterum ſpiritus iſte fiat corpus, atque deinceps (imbibitiones ac evaporationes, ſeu ſolutiones, & coagulationes repe-

repetendo videlicet) donec facta sit vera amicitia inter animam, spiritum, & corpus, scilicet inter sal, sulphur, & mercurium, & cæt.

Quod ita probare poteris, nimirum, ut paululum super laminam cupream ignitam imponas, & si totaliter in fumum evolet, signum erit veræ corporis animæque volatilizationis, cum verò hoc signum non habeas, repete, ut supra laborem tuum, donec omnia simul volatilia sint effecta, & tunc erit pullus volans, seu avis Hermetis. Cum autem in fine secundæ decoctionis seu fixionis operis, è contra an sint omnia simul fixa videre velis, tum iterum super laminam ignitam ita probabis, videlicet si non faciat fumum, neque strepitet, verùm ut butyrum materia fluat & laminam tingat, tunc Lapis erit perfectus. sin minus, iterum massam illam quam ex phiala rubram, aridam, frangibilémque extraxisti, solve & congela, donec hoc signum obtineas. De quo verò Artificio, suô locô in alio de multiplicatione capite tractabimus. Et vide Rakaidibum, & Rorem Aurificum *cap. ultim.*

Et hoc est, quod dicit Geber, nempe, aut totum remanet, aut totum avolat in igne; cape ergo intentionem. Et ista bina res post præparationem, lactea, corpus scilicet jam volatile factum suo spiritu conjunctum, ac in lacteam simul substantiam deductum, sunt illæ Binæ Albæ Dianæ Columbæ, de quibus Philaletha in suo Introitu Aperto *cap.* 2. tam obscurè tractavit. Scilicet cum ambo prædicta simul conjuncta super laminam ignitam avolent. De quibus duabus avibus simul conjunctis vide Senjorem *vol. 5. Theatr: pag. 206. Fabul. 3. figur.* 12. & cape intentionem. Quam materiam duplicem lacteam volatilem effectam, ut supra diximus, per duos subinde menses circulare poteris, & ab hypostasi separare, ac ita in illam quintam essentiam Lullianam fragrantissimi odoris ipsam deducere poteris, de qua vide Rupe-scissam *Lib. quintæ essentiæ cap. 5. Lullium Practica 5. Lib. de mater. vegetab.* Atque alium suum *tractat. Lib. quintæ essent. cap. 1. Distinction. 1. Riplæum in nona porta.* Sive Parisinum Elucidar. *Lib. 2. cap. 4.* in praxi dicti *cap. 4.* litt. D. & cæt. quamvis hæc circulatio non sit positivè necessaria, sed pro majori cautela, & lucro in projectione, ut facias consulo. Et tunc materiam verè Philosophicè paratam habebis, & secundum decoctionis opus in phiala, seu vase fixatorio tutè incipere poteris. Qaam phialam materiam continentem bene hermeticè sigillatam in Athanore nostro super scutellam cineres cribratos retinentem, adaptabis, ac suavissimè diù incessanter decoquas, donec, auxiliante Deo, ad optatum finem pervenias, De qua methodo vide Isaacc. *loc. cit. cap. 37.* Tum verò iterum colores se se variabiles ostendent quasi cauda pavonis, ac pulchriores quàm in præpararione vidisti. Primus color scilicet erit niger, sive rubro-niger obscurus, sicuti fuit quando in spiritu aceti primavice corpus solvisti, qui color

à Philoſophis caput corvi vocatur poſt 40. ſeu 50. circiter dies plus & minus apparens, quod putrefactionem eſſe quoque dixerunt. Hinc Paracelſus in ſuis Congeriis Chymiæ *cap. 8.* De capite primo corvino in præparatione materiæ quoque apparente (cum duo ſint capita corvina, primum nempe in dicta præparatione, ſecundum in ultima decoctione) inquit: Hæc eſt opinio Philoſophorum, ut cum ſuam materiam in ignem ſecretiorem poſuerint (ſcilicet in ſpiritu aceti noſtri, qui eſt ignis noſter ſecretus contra naturam:) calore hoc humido Phyſico circumquaque illam foverunt,& cum incipiat per corruptionem nigreſcere, putrefactionem ſemper eſſe dixerunt, & capita corvi nominârunt &c. ſecundus color eſſentialis eſt albus lucidus, & ideò marmor coruſcans luciditatis causâ, ſive terram ſtellatam eorum, tunc materiam illam nuncupârunt, inter quos, alii diverſi variabiles innumeri colores apparent, de quibus autem non eſt curandum, ut dicit Artephius, quia citò evaneſcunt. Tertius eſt rubeus, qui eſt terminus tui laboris, tum gaude, & gratias Deo ſubmiſſas age, quia jam Lapidem fixum habes.

Quòd autem duo ſint capita corvina, primum in præparatione, aliud in ultima decoctione, vide Anonym. De Maſſa ſolis & lunæ *vol. 5. Theatr. part. 1. pag. 436.* Ac ibidem *Lib. 2. pag. 462.* unde legitur in Arcano Hermeticæ Philoſophiæ *Canon. 64.* media ſive ſigna demonſtrativa ſunt colores, quorum tres præcipui notandi ſunt: Primus eſt niger, qui caput corvi à nigredine dicitur. Secundus albus. Tertius, & ultimus rubeus. Atque Alanus *pag. 36.* ſubjungit; quòd cùm materia in leni calore quadraginta dierum ſpatio ſteterit, deſuper comparere incipiat nigredo quædam inſtar picis, quæ caput corvi Philoſophorum eſt. De quo vide etiam Artephium in ſuo Libello ſecreto. Atque Arnoldum Villanovanum Diſpoſition. 8. ſui ſpeculi Alchemiæ, & *cap. 4.* ſui Theſaur. Theſauror. ſive Roſar. Philoſophor. & cæt.

At cum etiam in prima ſalis ſolutione, ut diximus, hæc obſcura nigredo appareat, non autem jam ut atramentum? inquit Arnoldus in ſua Practica, ut *vol. 3. Theatr. pag. 138.* quoque legitur. Et nota, quòd licet aliquando non totaliter ad oculum appareat in materia putrefacta nigredo, tamen curandum non eſt, & cæt. & *cap. 4.* ſui citat. Roſar. Philoſophor. ſive Theſaur. Theſauror. ſubjungit: quæ nigredo (Nota Bene.) eſt principium operis noſtri, quod eſt diſſolvere Lapidem noſtrum (nempe ſalem) quæquidem nigredo eſt caput corvi, & primum caput operis regiminis. (Quapropter, ut ſupra dictum eſt, etiam in prima ſolutione Lapidis ſalini noſtri hæc obſcuritas apparet, in qua obſcuritate remanet corpus nigro-rubrum, ſicuti ſanguis combuſtus longo tempore, qui eſt Laton ſubinde cum ſpiritu vini dealbandus) itaque Sendivogius in ſua *Epiſt. 52.* ait: alii volunt primum colorem rubrum, alii nigrum, alii obſcurum

cau-

tantùm & cæt. quæ tamen omnia juxta præcedentia diversis respectibus verificantur. Unde Raymundus Lullius *in 3. Distinctione Lib.* quintæ essentiæ ita concludit, dicens: Non arbitreris jam ipsam materiam tunc esse nigram sicut atramentum? sed erit sicuti in colore aquæ mali granati, qui color obscurus est principium digestionis, & finis alterationis, & cæt. Et quia sunt ergo duo capita corvina, sicut etiam alii colores in opere binis vicibus apparentes, scilicet tam in Lapidis salini præparatione, quàm in ultima decoctione, ita Micreris *vol. 5. Theatr. pag. 95.* scripsit: materia nostra bis denigratur, bis albescit, bis citrenescit, & bis rubescit, secundus autem rubor (scilicet ultimus in decoctione) est tingens. Et vide Isaacum *loc. cit. lib. 1. cap. 64.*

Addit inde Laurent. Ventur. *cap. 26.* Et hoc est, ut sit totum ut oleum nigrum, vel sanguis combustus rubro - obscurus. Hinc Greverius *pag. 36.* subjungit: primum signum in materia apparebit color obscurâ rubedine ferè nigricante laterem ostendens, quem neque nigrum, neque rubrum, neque brunum, sed mixtum quendam ex his omnibus cognosces, & cæt. & veritatem dixit ex Philosophis excerptam, ut reverâ sic est. Postmodum corpus hoc sive Latonem rubro - obscurum in præparatione post in aceto nostro solutionem peractam, cùm inde ipsum cum spiritu secundo dealbaveris, post multas imbibitiones ac evaporationes repetitas denique ad albedinem lucidam perveniet, quæ dicitur terra foliata, terra stellata, marmor coruscans, alumen, arsenicum, & cæt. Hinc Arnoldus in Octava Dispositione sui speculi Alchemiæ, ait: coquite, & assate ipsam, donec fiat marmor coruscans. Ut similia Artephius in suo Libello secreto. Lullius in sua *Theoricâ. cap. 23.* & *cap. 66.* atque *cap. 48.* & cæt. de hoc marmore coruscante in Latonis dealbatione apparente, scripserunt. Ut etiam Fridericus Gualdus in critica mortis in *Epist. pag. 113.* vel *118.* de hoc puncto tractat. Itaque Riplæus *in 3. porta*, inquit: terra nostra primo soluta (cum aceto) transit in aquam in colore nigro: quæ subinde in albedinem lucidam strictam iterum vertitur. Unde Gallinarius, & Laur. Ventur. *cap. 27.* concludunt: quòd materia hæc sæpiùs nigrescat, sæpiùs albescat, sæpiúsque citrenescat, rubescat, solvatur, coaguletur, ac sæpe ascendat & descendat & cæt. quâ de causâ ab antiquis Philosophis, atque Poëtis sub Prothei fabula caudæve pavonis nomine, iridísque cælestis, colores isti descripti fuêre: unde cum Horatio dici potest:

*Quo teneam nodo mutantem Prothea vultus,*
*Cui datur in varias se transmutare figuras, & cæt.*

Qui tam varii colores etiam in præparatione salis apparente (uti in ultima decoctione) ab aceto nostro causantur, quod acetum est aquila nostra, cum quo & per quod corpus ad volatilitatem disponitur.

Le-

Legitur enim in Cimbalo Aureo *vol. 3. Theatri pag. 781.* ſit pars una corporis, & novem ſpiritus (aceti videlicet) id eſt novem aquilæ, & æris pars decima. Sendivogius autem decem aſſignat aquilas. Alii 7. alii plus, & cæt. ſcilicet quòd pro una, verb. grat. libra ſalis, novem ſpiritûs aceti libris pro ejus radicali ſolutione, gradatim verò illud imbibendo, indigeamus, antequam inde cum ſecundo ſpiritu vini illud conjungere poſſimus, quapropter cum non ſit corpus ferè ad ſpiritualem naturam deductum, optimè mundatum, radicalitérque ſolutum, nunquam cum ſpiritu conjungeretur. Hinc videas ergo an revera 60. libras mercurii noſtri, ſcilicet ſpiritûs, pro opere noſtro paratas habere debeamus, ut ſupra ex Avicenna ad filium ſuum Aboalum *cap. 8.* demonſtravimus. Cum in prima tantùm radicali corporis ſolutione, decem ſpiritûs aceti libras ſaltem habere opus ſit, etenim in minori quantitate quàm cum una ſalis librâ opus incipere non poteris? & una Lib. ſalis vult decem libras ſpiritûs aceti præter ſpiritum vini poſtmodum æquè neceſſarium. Itaque Iſaaac. Holland. ſupra citat. *Lib. 1. cap. 30.* apertè dixit, quòd magnâ ſpiritûs copiâ pro hoc opere indigeamus, quâ de causâ non ſit opus pro pauperibus. Dicant ergo Chemicolæ, an unquam hoc audiverint? Unde legitur in tractat. Conſilii Conjugii de maſſa ſolis & lunæ *Lib. 1.* circa medium. Novem verò aquilæ ſunt novem partes aceti, cum quibus ſolem noſtrum (nempe corpus) ſolvimus, quia nulla alia res ſolem noſtrum ſolvere potest, niſi aquila noſtra, nec ulla alia aqua fit aurea (ſcilicet rubra) in ſolutione, niſi acetum noſtrum &c. De quo vide Iſaacc. Holland. *lib. 2. cap. 31.* & cum antedictis ſapienter combina.

Addit Philaletha in ſuo introitu aperto *cap. 7.* capiendam eſſe aquam iſtam toties acuatam (nempe (nota benè hoc ſophiſma) capiendam eſſe hanc, indicat, materiam toties cum aceto ſolutam) quot Philoſophi numerant aquilas, quæ acuatio fit per ſublimationem ſophicam: Eſt ergo ſingula ſublimatio noſtra (ſcilicet ſingula corporis cum aceto ſolutio) aquila una, ſeptimâque ſublimatione mercurium tuum (nimirùm ſal) ſic exaltabis, ſive diſſolves, & cæt. Ego autem tibi ſincerè dico, quòd, perquantùm expertus ſum, teneas cum Sendivogio, qui decem aſſignat aquilas. Quapropter ſeptem aceti partes ad 1. ſalis pro me non ſatis fuêre. De qua methodo vide quoque in turba Philoſophorum Moyſem *ſerm. 72.* Atque Iſaacc. Holland. *loc. citat. cap. 30.* ſubjungit enim Moſes in turba: Jungite primò novem partes de aceto; hæc etenim aquilæ habent arcus ad occidendum, ſive mortificandum corpus, extrahentes ejus rubram animam, quæ eſt tinctura fixa. Sive ſanguis leonis noſtri, ut addit Riplæus. Hoc eſt, ut ſuprà perlegiſti, quia ſpiritus aceti noſtri extrahit animam, ſeu tincturam à corpore, & tingitur ut ſanguis. Et hæ ſunt

sunt aquilæ senioris arcus habentes in figura apud Seniorem *vol. 5. Theatri* delineatæ, significantes, quòd ad sanguinem seu animam ex corpore fixo extrahendam ipsæ tantummodo potentiam habeant, ipsúmque corpus ritè solvendi potestatem, ut suprà in tractat. Consilii Conjugii de Massa solis & lunæ testatur: cum dicat: Nulla alia res solem nostrum solvere potest, nisi aquila nostra.

Nunc ergo intelliges, quid sint aquilæ senioris; & quid sint binæ Dianæ columbæ à Philaletha indicatæ. De quibus duabus columbis idem Senior in *Tabula 3. figur. 12.* alloquitur, & cæt. Quæ aquila nostra, seu acetum nostrum propter suam potentiam, aqua quoque metallica vocatur, de qua vide Riplæum in suo Oper. Vegetabil. *cap. 2.* & hanc veritatem invenies, ac aqua fortis etiam nuncupatur, & cæt.

Cave autem, ne materiam imbibendo pelagum facias conturbationis. Unde prima tantùm vice cum super sal acetum imponas, ut tres digitos supereminеat, infundere poteris, postmodum verò leniter, & gradatim, nec parùm, nec multùm illud imbibas. Etenim ait Riplæus in Prima Porta: quò minor fuerit pars spiritualis, eò facilior erit dissolutio, potiùs quàm si aqua nimia terram submergat, quòd totum opus destrueret: Animadverte igitur lutum figulorum, nec unquam facias ventrem nimis dilutum: donec suaviter, & non festinanter ad lactis consistentiam ipsam deducas, & cæt. Et hoc Riplæi documentum, non tantùm in prima cum aceto solutione intelligas, sed etiam subinde ad Latonem dealbandum cum secundo vini spiritu illum imbibendo, percipias. Et de hoc puncto vide etiam turbam Philosophorum *Sermon. 38.* Itaque Pythagoras in eadem turba inquit: Accipe Etheliam & fit more lactis, & fac corpus sicut coagulatum lac. Unde in *Part. 3. Lib. trium* verborum de Massa solis & lunæ erga finem legitur: signum est, post primam scilicet cum aceto præparationem, quod inde ut lac, & sicut lac coagulatum remaneat, quod est lac virginis nostrum.

Nunc ergo cum de materiæ præparatione sis satis, & abundanter edoctus, ad fixionem seu ultimam Lapidis decoctionem descendamus. Unde si cum lacte virgineo opus incipere volueris, sufficit, ut ex ipso, ut supra, præparato unciam unam cum dimidia ad summum in phialam imponas, cujus duæ superiores partes sint vacuæ, & statim os phialæ in summitate ejus colli Hermeticè sigillabis, ut docet Lullius in sua praxi *cap. 22.* Et si velis in pillulas, seu globulos, ut vult Philaletha in suo Introitu Apert. *cap. 16.* in vitrum materiam restrictam imponere, necesse est, ut illud lac per levissimam evaporationem restringas, ut in butyri consistentia remaneat, ex quo butyro subinde, ùt supra Laur. Ventur. *cap. 16.* te docuit, pillulas in numero quovis dispa-

ri ad ſolum pondus unius tantùm unciæ in phialam includas, modicô cum ſpiritu tamen primùm intùs infusô, ut pillulæ, ſeu globuli in medio natent, ne fortè vitro adhæreant, claude vas inde Hermeticè, & opus ſecundum decoctionis in nomine Domini incipe, ut ita Iſaaccus te docet.

Inquit enim Iſaaccus *loc. cit. Lib. 1. cap. 113.* vitrum inde admodum ſolidè Hermeticè clauſum fornaci noſtræ fixatoriæ impone, & ignem (lampadis videlicet) accende, ut ſit ſicut ſol in Martio ſplendens, ac die noctеque ſemper in hoc continuo leviſſimo calore retine, donec materiam tuam poſt 40. vel 50. dies nigreſcere videas. Tum ignem tuum exiguo gradu auge (ita ait Iſaaccus, ſed recollige, quæ ſupra diximus, & Iſaacci intentionem intelligas, qui calor enim eò diutiùs in æquali gradu perdurat, eô magis ut ſol naturaliter incaleſcit. De quo vide Guidonem de Montanor in Præloquio ſcalæ Philoſophorum, & videbis, quid de gradibus hujus ignis intelligat. Et vide *Epiſt. 9.* Michaël. Sendivog.) ac non multùm cave, ita ut paulò calidior eſſe, quàm antea percipiatur, (& ecce quòd intentionem Iſaacci ſimilem hîc eſſe comperies) ac retine ignem in eo calore, donec alium calorem videris, qui ſubrufè cinericius eſt, Tum ignem tuum etiamnum paululum auge, ac non nimium, ita ut ſol in Aprili ſplendet, atque ignem in eo calore retine, donec ſubviridem colorem cernes. Tunc adhuc ignem paululum auge (ſcilicet proſequere) donec videris colores quaſi caudam pavonis, quæ centum colores habet. Tum ignem auge (nempe iterum decoque) eo calore, qualis eſt ſolis in Junio, nec majori cave; & ignem iſtum non augebis, donec claram albedinem videris, ac Lapidem album quaſi perfectum eſſe credas. Colores autem, quos cernes, quaſi eſſent cauda pavonis, ſeſe ſæpe ex uno calore in alium mutabunt. Ac iſti colores omnes ſimul interibunt, ac ad extremum omnes quoque ſimul ad inſignem quendam clarum album colorem lucidum pervenient. Priùs quàm verò clarus, verúsque color ſplendidus veniat, multam inſignem albedinem conſpicies, ita ut tibi videatur veram ac ſtabilem eſſe albedinem, quam quærimus ad lunam, ſed vera albedo adhuc non erit; (hinc Laurent. Ventur. *cap. 27.* ait ſcias quòd oporteat Lapidem ad extremam albedinem perducere decoquendo, quia non omnis albedo tingit ad lunam) unde ne feſtines, & ne decipiaris cave. Vera autem albedo priùsquam veniat, videbis in circuitu ad vitri margines in materia Lapidis albi, quaſi eſſent perlæ orientales (itaque Riplæus in ſexta porta inquit: cum materia tua facta ſit candida, tunc ſpiritus cum corpore in decoctione ſimul congelabuntur: Tibi autem eſt adhuc ſtatuendus longus terminus, antequam talis congelatio tibi appareat in ſimilitudinem perlarum. Et idem Riplæus in concordantiis Raymund. & Guidon. de compoſitione Mercur. Alchem. ſubjungit: ſequere ergo, donec oculi piſcium inſtar perlarum appareant.

ant. Et vide Roger. Baccon. in ſuo ſpeculo Alchem. *cap. 6.* Atque Laurent. Ventur. *cap. 25.* dicentem : Et tunc ſimile erit Margaritis ſinceris ac nitidis in circuitu, &c. Hinc Poëta Philoſophus *Vol. 3. Theat.* in Arcano Philoſophor. *pag. 763. 783* cecinit:

*Sunt mihi, ſunt lacrymæ, ſed non eſt cauſa doloris.*

Et cum videas (ſequitur ibidem Iſaaccus) hoc ſignum, ſis certus ulteriùs eodem calore decoquendo perfectam albedinem ſe ſe manifeſtaturam. Cumque materiam inſtar nivis poſt longum tempus albam & lucidam eſſe videas, ac gemmæ ſplendorem habere, gaude, lapis enim albus perfectus eſt (unde de hoc puncto legitur in tractatu miſerula: & tunc erit albiſſima ad modum marmoris relucentis, & tunc tingit ad lunam) ſinas ſua ſponte refrigeſcere, ſume vitrum, ac ſi probare velis ad album, vas confringe, & cæt. (Sed non conſulo; habeas adhuc patientiam, & expecta rubrum, ſi majus lucrum habere cupias: & ultra ſcias, quòd antequam cum Lapide ipſo albo projectionem faceres, multis vicibus iterum, ut in præparatione feciſti, neceſſe foret illum ſuo ſpiritu ſolvere, & congelare, donec flueret cera, ac inde per biduum argento puriſſimo in igne fuſionis ſpecificare, ſeu colligare deberes, & in continuo fluxu unâ cum argento in igne retinere, & cæt. atque iterum ſubinde mercurio vulgi colligare, & cæt. Unde ut rubrum Lapidem, decoctionem proſequendo expectes, conſulo. Sed fac quod velis:) Si autem opus tuum (ſequitur Iſaacc.) ad rubrum perficere velis, ne tangas vitrum, ſed ulteriùs coque, ac ignem iterum leviſſimum regas eundem, quo Lapidem album percoxiſti, donec videris materiam colorem cinericium adipiſci. (Nam unum eſt vas, unica fornax, unica ſemper decoctio continuata, unus ignis ſemper æqualis tam ad album, quam ad rubrum ſucceſſivè peragendus, ut idem Iſaac. *Lib. 2. cap. 13.* ſubjungit:) Tum ignem tuum auge paululum tantùm ſcilicet gradulum unum (ſed cave, & mentem ſuam intelligas, quia jam ex ipſomet Iſaacc. *Lib. 2. cap. 13.* audiviſti, quòd unus ſit ignis ſemper æqualis tam ad album, quàm ad rubrum ſucceſſivè regendus, ut ita Artephius quoque in ſuo Libell. ſecret. & cæt. omnes teſtantur. Quia ignis continuatus, quamvis leviſſimus & æqualis, ex ſe naturaliter ſemper magis, magisque incaleſcit, ut ſupra probavimus) donec colorem ſubrubrum cernas. Tum retine ignem in eodem gradu, & paulatim color rubeſcere incipiet, atque paulatim altior fiet, ac denique ultra magis, magisque rubebit, adeò ut materia tua tam rubra ſit evaſura, ut nunquam talis rubedo conſpecta fuerit in orbe. Tum gratias age Deo, nam Lapis tuus ad rubrum perfectus eſt. Unde Job *cap. 41.* tum cor ejus indurabitur tanquam Lapis, & ſtringetur ſicuti metallum, & cæt. ſed frangibile.

De qua prædicta Lapidis decoctione vide etiam Lullium in ſua Practica *cap. 22.* de quarta operatione, & cæt. Quæ præſcripta ultima Lapidis rubedo eſt reverâ rubro - obſcura lucens ſicuti ſunt granatæ ferè Bohemicæ, & ſi plus ſuper ignem retineas, plus rubeſcet, & cum plus rubeſcat, magis tinget, itaque ſi adhuc per menſem in igne ipſum retinueris, bene erit, quia quo magis ſit coctum, magis erit rubrum, & quo magis ſit rubeum, magis valet. Quare quamvis Baſilius Valentinus in ſuis Aphoriſmis *Vol. 4. Theatr. in fine pag. 329.* dicat, quòd ſi poſt albedinem ad rubedinem Lapidem perducere cupias, per 70. dies circiter ignem continuare debeas, donec lapis in rubinum pellucidum ponderoſum vertatur? quod eſt veriſſimum; tamen fac ut ſupra te docui, & adhuc patientiam habeas, coque iterum per menſem, & non errabis. Nam verum eſt, quòd ego prima vice poſt 70. circiter dies, poſt albedinem, illam rubedinem viderim. Sed ultra 90. retinui, & tamen non fui contentus, quia non tam magnam, uti ſperabam, projectionem vidi. Ac de toto hoc prædicto regimine vide etiam Laur. Ventur. *in fin. cap. 23. & cæt. &c.*

Ex prædictis ergo evidentiſſimè patet, quòd tota difficultas atque temporis prolixitas, totúsque labor in materiæ præparatione conſiſtat, quamvis aliæ dari poſſint præparationis viæ, per quantùm ait Iſaaccus *loc. citat. Lib. 1. cap. 16.* Ac Philaletha in ſuo Introitu Aperto dicat *cap. 19.* quòd opus noſtrum in principio variari poſſit, ac in fine unicum regimen, unicáque continuata decoctio in unico vaſe, unicóque furno peragenda, &c. quas alias breviores vias, ignorantiam meam ego fateor, comprehendere nequeo, cum nil penitus de aliis brevioribus in præparatione viis Philoſophi ſcripſerint. Niſi fortè ſit illa à Gebro indicata in ſuo Proceſſu *Vol. 4. Theatr. pag. 322.* ſcilicet poſt ſalis depurationem illud cum vitro contuſo, ſeu corticibus ovorum calcinatis, vel tartaro noſtro triturato commiſcere, & cum ſpiritu Philoſophico impaſtare, ac per ſublimationem mediam ſalis ſubſtantiam ſeparare, de quo tamen valdè dubito, cum ſit difficile ac periculoſum opus. Vel etiam fortaſſe ſal hoc, ut dictum eſt, prædictis rebus impaſtatum per retortam more aquæ fortis, ſpiritum ſalis purum extrahere, quòd etiam non credo. Cum Iſaaccus ipſe *lib. 1: cap. 77.* dicat: quòd Patres noſtri antequam aquæfortis artem poſteri inveniſſent, quia ipſi illam non noverunt, ad materiam communi methodô parandam diù deſudaverint. Recentiores autem poſt aquæfortis inventionem, multum in præparatione materiæ opus abbreviaverint, & cæt. Unde ſuppono, quòd hic Iſaaccus indicare potiùs voluerit, quòd poſt aque fortis inventionem, multi recentiores oculos aperientes, acetum noſtrum ſeu aquam fortem noſtram inventârint, quod reverâ antiqui non habuerunt, ſed per viam ſiccam ſpiritum acidulum ex remoto ſubjecto per re-

tor-

tortam lapidem extraxerunt, & pro lapidis noſtri ſalini primâ ſolutione illo ſpiritu uſi fuerunt. Non autem quòd hâc eâdem arte more aquæ fortis fortaſſe ad ſpiritum ſalis noſtri fixi alchalici, ſive mediam ſalis ſubſtantiam puriſſimam extrahendam moderni uſi fuerint? ut unus Adeptus mihi notus ita ſuppoſuit, & fruſtrà probavit? & multò minus, quòd Iſaaccus de aquaforti communi intelligat, ut fortè ſimplices Chemicolæ putant, pro opere noſtro videlicet, quæ nullô modô huic operi inſervit, imò procul dubio totum opus deſtrueret? Ac etiam ut ſupra docet Geber per ſublimationem vulgarem an ſit poſſibile, neſcio: dico bene, quod mihi videtur valdè difficile. Nam ſublimatio noſtra eſt longè alia. Unde de ſublimatione vulgari vide, quid dícat Philaletha in ſuo Introitu Aperto *cap. 25.* ſublimatio enim noſtra nîl aliud eſt, quàm rem nobilitare, atque ipſam per extremam depurationem ad ſublimem gradum exaltare.

Hinc Iſaaccus *Lib. 2. cap. 100.* de ſublimatione loquendo, inquit: quòd poſt varias in aceto noſtro ſolutiones (quod acetum eſt aqua fortis noſtra) terra ſubtilizetur, & quando perfectè à ſuis fæcibus ſit mundata, ſoluta, & volatilizata, tunc terra illa noſtra argentum vivum ſublimatum vocatur. Et ecce ſophica ſublimatio.

Addit Riplæus in octava porta: ſublimatio noſtra eſt corpus in aërem per aquam noſtram elevare, hoc eſt, leniter modô noſtrô in aquam lacteam ſublimare (ſcilicet nobilitare, ſive ad nobiliorem gradum ſublimare) quæ noſtrum parit infantem, qui ſic in aëre naſci debet, quousque in aquam ſuam revertatur ſpermaticam, & infans (ſcilicet corpus fixum) omninò ſpirituale ſit factum, & anima cum corpore incorporetur. Itaque hanc ſublimationem tribus de cauſis facimus. Prima eſt: ut corpus fiat ſpirituale: Secunda: ut ſpiritus fiat corporalis & in corpore figatur, & cum ipſo corpore in unum fiat conſubſtantialis: Tertia, ut corpus ab originali immunditie bene purgetur, & cæt. & hucúsque Riplæus.

Unde Philoſophus Bella Ripa: de ſublimatione addit: ſublimate corpus non ſublimatione vulgari, quam intendunt ignorantes, credentes, quòd ſublimare apud nos ſit, corpus ſuperius igne ſicco violenter aſcendere, ut ipſi faciunt: ſublimatio autem Philoſophica, eſt corpus ſubtilizare, depurare, volatilizare, & cæt. Hoc eſt, ut Lullius in ſuo Codicillo *pag. 69.* ſubjungit: ita corpora noſtra ſublimantur, ſcilicet alterantur, depurantur, & ad naturam germinis ſpermaticalis reducuntur.

Unde dicit Beat. Albertus Magnus in Lib. de mineralibus: Noſtrum ſublimare non eſt vi ignis violenter aſcendere? ſed eſt de re vili & immunda puriſſimam & ſubtilem efficere, ac de re fixa volatilem facere: Exempl. grat.

ut dicere ſolemus : talis ſimplex ſacerdos ſublimatus eſt in Epiſcopum, hoc eſt, exaltatus: ſic corpora noſtra dicimus ſublimata, id eſt exaltata, ac in nobiliorem naturam reddita. Et vide Arnoldum in ſuo Roſario Philolophorum ſeu Theſauro Theſauror. *cap. 30.* Atque Iſaaccum *loc. cit. cap. 100. & cæt.*

At quid ſit hæc noſtra ſublimatio, diſtillatio, aſcenſio, volatilizatio & cæt. in unico vaſe omnia peragenda, vide Efferravium Monachum Philoſophum *Vol. 3. Theat. pag. 148. 149.* ubi incipit: de effectibus principiorum, & cæt.

Hinc addit Joan. Chortolaſſeus in arca arcani paulò poſt principium: Tot operationes prædictæ usque ad compoſitionem nîl aliud ſunt quàm materiæ præparatio, depuratio videlicet, ſubtilizatio, ſolutio, & cæt. multa, quæ dicuntur ſublimatio, ſcilicet corporis in primam ſpermaticam materiam reductio. Et Philoſophi propter imperitos ex iſta prima actione unico regimine unicoque vaſe peragenda, diverſa capita de prædictis conſtituerunt, quæ omnia nîl aliud ſunt in fundamento, niſi corporis purificatio, & in ſal mirabile metallorum ſperma illud reducendi ſolutio, quæ eſt unica ſophorum vera ſublimatio, quod ſal poſt extremam ſuam mundationem, pulchritudine, puritate, virtute, ac excellentiâ ſuâ longè aurum & argentum vulgi ſuperat, & cum hoc ſal ita ſublimatum, ſcilicet extremè depuratum ſuo ſpiritui conjunctum fuerit, tunc ſpiritus ut corpus ſolvat eſt occupatus, & illud in aquæ ſubtilitatem ingreditur: poſt hæc terra ipſa aſcendendo & deſcendendo in aquam viciſſim agere incipit, ac in craſſitiem redigere, atque figere conatur, ut inde ignem permanenter ſuſtinere poſſit. Nam magna pars Magiſterii noſtri conſiſtit in radicali corporis in oleum ſeu aquam Philoſophicam ſolutione, ejusque ſumma purificatione, quæ eſt laborioſa, ac tædioſa diuturna præparatio, quam Philoſophi ſublimationem vocârunt, & cæt. Et ita Joa. Chortolaſſeus in arca arcani *Vol. 6. Theatr.* paulò poſt principium ſui tractatûs, ubi totam ferè materiæ præparationem in Epilogo ita clarè deſcripſit. &c.

Unde in fine cum *Iſaia cap. 30, 21.* ſua verba hîc appropriando, concludo, quòd hæc ſit vera, recta, & unica via, ambulate in ea, & nè declinetis, neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram. Quapropter iam ſatis & abundanter audiviſti ex omnibus Philoſophis, tam antiquis, quàm modernis, tam Græcis, quàm Arabibus, quàm Latinis, & Germanis, Gallísque, &c. ubique in omnibus, & per omnia congruentibus ſuprà citatis, quòd nulla alia materia, niſi hæc unica ad Lapidem noſtrum conficiendum detur ſub ſole, neque aliam viam invenerint Philoſophi, neque inveniri poterit in ſæculum ſæculi, nullum aliud Chymiſtarum Opus, nullúmque regimen ſit verum, aquæ eorum nullæ, operationes nullæ. Verùm enim verò hoc Opus in præparatione materiæ eſt valdè tædioſum, & nimis prolixum. Poſt autem præparationem nullam indè curam habebis, nullum

cæ-

tædium, nullùmque laborem, nam tunc absque periculo etiam pueri hoc Opus regere, & perficere possunt, ùt Philalet. in suo Introi. *cap.7. Laur. Vent. cap. 27. Isaacc. lib. 2. cap. 3. & cæt.* testantur. Sufficit tantummodò, nè lampas extinguatur, attendere. Et quamvis Laurent. Ventur. *cap. 21.* erga finem, dicat, quòd absque Lychnio Asbestino incombustibili, scilicet ex Lapide Amiantho filato confecto, opus hoc perfici nequeat; dico, quòd quamvis hoc ego prima vice non habuerim, tamen gratia Dei opus perfeci: verum est, quòd si illud habere poteris, erit commodiùs, & securiùs; quia in capite nunquam carbonem generat sicuti Lychnium ex Gossipio conflatum, ex quo sæpè sæpiùs demendum est, ut flamma sit semper æqualis, sicuti benè attendere debes, aliàs certè operam ludis, quâ de causâ dixit Laur. Ventur. quòd absque illo fieri non possit, propter periculum transcuraginis artificis, qui tunc diu noctùque debet esse vigilans, Lychniúmque sæpè in capite mundando, ut flamma non deficiat, ac æqualiter per totum decoctionis tempus ardendo perduret. Undè necessariò aliquem fidelem servum habere debes, aliás esset impossibile, quòd semper per biennium tu solus diu noctúque ibi attendere possis, & hæc est difficultas à Laurent. Ventur. allata, &c.

# Caput Tertium.

## *De ultima inceratione, seu multiplicatione, specificatione, sive metallica conjunctione, quæ fermentatio quoque corporalis vocatur. Ac de ultima projectione, cæterísque aliis adhuc occultis documentis, & cæt.*

POstquàm ergò Nutu Dei ad ad optatum finem Rubri Lapidis tui perveneris, cùm Lapis ille, seu massa arida sit frangibilis nullum habens ingressum, necesse est, ut iterum ac iterum primo cum aceto nostro distillato multis vicibus solvas illam, & congeles, donec fusibilis fiat, ac inde eôdem modô cum spiritu vini iterum solvere, & congelare poteris, ùt in præparatione salis feciſti, donec super laminam ignitam absque fumo fluat, ut cera maneat in igne, laminam tingat, & nihil avolet. Unde Isaaccus loc. cit. *cap. 50.* inquit: Scies mi fili pro magno secreto in hac arte medicinam tuam tam ad album, quàm ad rubrũ perfectam, iterum pluries in eodem spiritu dissolvere, iterúmque evaporando congelare debes. Nam cùm lapis sit perfectus, facilè millies subtilior erit, quàm antea, cúm in suo spiritu solveretur, sæpéque congelaretur, & hoc multis vicibus repetendo. Nullæ enim partes crassæ insunt, nec fæces, neque siccitas, quæ iterum seperantur, & per solutionem in aceto ritè materia illa arida purificatur, & subtilizatur. Itáque nullæ remanent partes, quæ liquefactionem, penetrabi-

bilitatem, extenſionem, atque ingreſſum impedire poſſint, & cæt. & ulteriùs addit: ſume ergo tuam medicinam perfectam, eámque in acri aceto (puta ſemper Philoſophico) diſtillato reſolvas, ac iterum leniter evaporando congela, ac reſolve, iterúmque congela (hebdomadatim videlicet, ut ſupra ex Lullio, Avicenna, Arnoldo & cæt. perlegiſti) toties in aceto recenti (primô impoſitô ſemper evaporatô) donec fuſibilis ut cera fiat (ſicuti probare poteris particulam ſuper laminam ignitam imponendo, an absque fumo fluat, & tota remaneat, extendatur, & laminam cupream tingat, ut omnes docent, & ſi hoc ſignum non habueris, iterum ſolve & congela ut ſupra, donec & cæt.) Inde ſequitur Iſaaccus, atque ſcias hoc eſſe maximum in arte ſecretum: partes enim mediæ aceti noſtri tantæ ſunt virtutis, ut ſit incredibile magnæ ſuæ ſubtilitatis causâ; quare Lapidem millies ſubtiliorem reddunt, ac penetrabiliorem, quàm antea fuit, & efficiunt, & cæt.

Et ita primò multiplicabis tuum Lapidem in qualitate, virtute, ac etiam in quantitate, quapropter omni vice poſt aceti evaporationem partes aceti ſubtiliores in lapide figentur, & ſimul concreſcent. Et hæc eſt prima noſtra ſpiritualis multiplicatio. Hoc autem acetum ne credas jam, quod ſit commune? ſed noſtrum occultiſſimum Philoſophicum, quamvis, quia Iſaaccus, & cæteri nîl aliud loquantur, quàm ſimpliciter de aceto, Pſeudo-Chymici commune eſſe credant? ut apertè ſubinde idem Iſaaccus *loc. cit. Lib. 2. cap. 101.* declarat.

Deinde idem Iſaaccus *Lib. 2. cap. 74.* ſubjungit: Ac quomodo poſtea denuò in aceto diſtillato ſolvatur, ut adhuc fæces ab eo removeantur, quas in albedine interiori habebat, & quas initiô in præparatione à ſe dimittere noluit, quamdiu rubrum internum ejus foras non fuit inverſum: ſcies enim res omnes duplices habere fæces, à quibus omnino ſeparandæ ſunt, ac rectificandæ, & ita maximam inde mirámque projectionem faciet (itaque ego prima vice magnam non vidi projectionem, quia fortè non ſatis in hac multiplicatione maſſam à fæcibus mundavi, & nimis citò poſt rubedinem ex igne phialam extraxi, unde hanc Iſaacci doctrinam ſume, & quæ ſupra te docui, memoriæ commenda) Etenim ars noſtra nîl aliud eſt, quàm ſummoperè, tam in præparatione, quàm in hac ultima multiplicatione, ſive inceratione materiam depurare, ſubtilizare, & ad extremum ſublimationis, nempe ſublimitatis gradum illam deducere, ut ait Geber.

Quapropter addit Iſaaccus *Lib. 2. cap. 87.* oleum incluſum ejus in interioribus eſt, ut in ovo vitellus, verùm cum rubram projectionem facere velimus, ignis ſive ſulphur rubrum, aut oleum, ſive anima vel fermentum, atque tinctura, quæ omnia ſunt idem & unum, internè latens, puriſſimè foris ponenda eſt, atque corpus externum, ſive terra alba, quæ eſt ſicut ovi albu-

men

men intus revolvenda, atque ita hoc ipsum projectionem ad rubrum faciet, sicut priùs ad album tantummodo faciebat, cum lapis fuerit albus. Antea enim erat sal metallorum in manifesto, & semen lunæ, atque sic una pars centum faciebat ad lunam sive ad album. At cum ignis, anima, aut oleum occultum rubrum internum foris in manifesto positum sit, quod est semen auri, ac album intus revolutum & occultatum sit, tum est oleum solificum metallorum, & unam in mille ad rubrum facit vel ad solem per continuatam tantummodo, primò, decoctionem, secundò hoc fit subtilizationum, digestionum, ac depurationum causâ per repetitas solutiones & coagulationes aceto nostro peractarum. Etenim quamvis hæc sit eadem materia, tamen illud rubrum internum externè positum, & vice versa album externum intus revolutum per artificium prædictum, mirabilia efficit. Unde Job *cap. 28.* Et tunc non dabitur aurum obrizum pro ea; nec appendetur argentum in comparatione ejus; neque conferetur tinctis Indiæ coloribus. Nec adæquabitur ei aurum. Propterea legitur in Lib. de Alchemia, sive de magni Lapidis compositione *cap. 40. Vol. 3. Theatr. pag. 37.* granum enim istius lapidis centum generat grana, ac in ejus multiplicatione mille, per repetitas imbibitiones ipsius spiritui suo eôdem modô, sicuti in principio in præparatione feciſti.

Hinc Lullius in sua Practica *cap. 31.* atque in *cap. ultim.* secundæ partis sui testamenti, inquit: multiplicatio nostra nîl aliud est, quàm iterum solvere & congelare, ut in præparatione feciſti. Ac de proportione vide Philaletham in suo Introitu Aperto *cap. 32.* sive Parisinum in suo Elucidario, &c. De qua proportione addit Isaaccus *lib. 1. cap, 38.* cum Lapis tuus sit fixus jam perfectus, & absolutus, pro tribus partibus tui lapidis fixi unam spiritûs partem omni vice capias, & illum imbibendo ac triturando simul commisce, ac in solito hoc



vase nostro fixatorio ad suaviter evaporandum reponas, atque una illa pars spiritûs cum lapide figetur, & ita ex aqua terram facies: Etenim meministi eorum, quæ antea te docui: scilicet, cum fixum quid volatile efficere velis, pro una parte fixi tres partes volatilis sumas? (scilicet gradatim in præparatione in corpore spiritum figere, donec summa volatilis superet summam fixi) atque ita major pars spiritûs volatilis minorem fixam partem attrahit, solvit, & sublimat, & ad suam spiritualem naturam illud fixum inde convertit, & ex terra aquam feciſti? Et è contrario nunc ut ex aqua terram facias, pro tribus lapidis fixi partibus una spiritûs volatilis est sumenda, & ita tres partes fixæ unam volatilem apud se retinebunt, & ipsam simul figent, ac statim se se invicem in fundo complectentur. Et sicuti in præparatione summa volatilis superavit fixam & secum traxit in aërem, & ita sublimavit illam. Nunc summa fixi volatilem superabit partem, & secum figet in terram,

De qua methodo vide etiam Fridericum Gualdum in Critica mortis in ſua *Epiſtola pag. 118. 119.* Et hoc regimen iterum toties repetere debes imbibendo, multisque vicibus incerando, hebdomadatim evaporando, leviſſimo calore exſiccando, triturando, & cæt. ut ſupra in ſalis præparatione feciſti, donec fluat ut butyrum, & laminam cupream ignitam tingat, ut ſupra dictum eſt, &c.

Item ſubinde addit Iſaaccus ibidem: quærat verò filius meus cum jam ſpiritus ille mortuus ſit, & in ipſo corpore fixus, ac unâ ſecum corporificatus, & ad ſuum perfectum colorem ſive album ſive rubrum ſit perductus, an ſuperfundatur magna mercurii ſeu ſpiritûs prædicti quantitas ad lapidem inceran-dum, ac fuſilem, ſubtilémque ipſum efficiendum ad opus ritè multiplicationis hujus abſolvendum? Reſpondeo interdum 10. vel 12. vel etiam plus ſpiritûs partes ſuper unam lapidis albi partem funduntur ad album. Super autem lapidem rubrum quandóque 20. ad 30. vel plus partes ſpiritûs ſuper unam pulveris rubri partem triturati ad rubrum infunduntur, non autem unicâ vice ſimul, ſed gradatim in doſi convenienti repetendo & cæt.

Quapropter non figitur in corpore niſi trigeſima pars ſpiritûs ſubtilior metallina, & reliquum in evaporatione veluti aquæ fontis inſipidæ evaneſcit, ut ait Lullius. Unde legitur in Clangore Buccinæ, ubi incipit: ſequitur operis inceptio, ex Calid. aqua noſtra, inquiens, ideſt mercurius noſter non plus ponderis adjicit, vel corpori dat, ac in qualibet imbibitione ibi figitur, niſi quantùm de ſubtiliori humiditate figibili metallina in ſe habet, quia humiditas aquæ ſuperflua tranſit, & metallina remanet, & cæt. (ut in praxi videbis & obſtupeſces.) Hinc ergo conſidera, an Riplæus, & Avicenna ſupra citati veritatem dixerint, nec ne? quòd ſaltem 60. libras mercurii, ſcilicet ſpiritûs pro opere noſtro habere debeas? & quòd ad iſtam ſpiritûs copiam obtinendam ſex mille libris mineræ noſtræ aureæ primò ſumendæ, indigeas? quæ veriſſima documenta Chymiaſtris fabulæ eſſe videntur, verósque ſophos temerè deridere ſtolidi præſumunt.

In iſta verò ultima inceratione, ut pluries in longum proſequendo, lapidémque plurimis vicibus ſolvendo & congelando magis multiplicare poſſis, hâc utere methodo ab ipſo edocta Iſaacco *Lib. 1. cap. 69.* octo nempe lapidis abſoluti triturati partes, ac unam ſpiritûs omnivice ſumendo. Ita ipſum lapidem multis imbibendo vicibus & congelando, diúque ita proſequendo lapidem tuum magis magisque ſubtilem efficies, & conſequenter magis ipſum multiplicabis. Aliàs cum majori ſpiritûs doſi illum imbibendo nimis citò perficies, citiúsque flueret, nec ipſum tunc ampliùs multiplicare poteris. Si autem leniter illum imbibendo hâc utaris doſi, cum omni vice pars ſpiritûs ſub-

ſubtilior in ipſo figatur, lapis tuus magis ita gradatim concreſcet, & naturaliter magis multiplicabitur, & ſubtilior erit ac perfectior.

De qua peragenda multiplicatione legitur in Conſilio Conjugii, de Maſſa ſolis & lunæ erga finem primæ partis: tertia clavis, & ultima eſt, totius aquæ ſui generis ſtudiô reſervatæ nova imbibitio, quæ aqua jam olei, aëris, mercurii, & cæt. quoque nomen habet, (ut ſupra inter nomina multa huic ſpiritui à Philoſophis impoſita, ex Lullio, Riplæo, & cæt. demonſtravimus, quòd oleum lunæ, aër, aqua, ignis, vas, & cæt. multa, quoque vocetur) contritione longâ triturando ſuper dicto lapide repetenda. Quia aſſatio, congelatio, imbibitio, inceratio, ſolutio, & cæt. tam in præparatione, quàm in multiplicatione ſemper cum eodem ſpiritu, ſive oleo, ſeu aëre, vel mercurio noſtro, nec cum alio fit, & cæt.

Caveas ergo, ne decipiaris, cum audias Philoſophos dicentes: incerabis lapidem tuum, ſive diſſolves corpus aureum, cæterorúmve metallorum cum mercurio, ſpiritu vitrioli, oleo lunæ, vel ſolis, oleo ſulphuris, aqua lunari, vel ſolari, aëre, mercurio albo vel rubro, & cæt. quoniam ut dicitur quoque in Roſario omnia unum & idem ſunt: ſcilicet omnia fluida ſpiritum ſignificant tam aceti, qui vocatur aqua rubra, quàm vini, qui dicitur aqua alba. Et omnia ſolida, pro corpore Phyſico, auro & metallo noſtro ſemper intelligas, ut ſupra ſatis probavimus.

De qua ergo neceſſaria multiplicatione vi ſpiritûs ſemper peragenda, quamvis ubique abundanter ſimilia documenta inveniantur, tamen pauciſſimi illam intelligunt, itaque ut bene ipſam percipias, nunc eam clariori ſermone explicabo, nam ſine ipſa nihil efficies, quâ de causâ rogo, ne mireris, ſi quandóque, & ſæpè in aliis ſophorum paſſibus etiam ad textum clariorem reddendum pro tua majori ac faciliori intelligentia aliqua tantùm ſynonima adjunxerim. Quia ſicuti de hac multiplicatione, niſi clariori ſermone hanc tibi explicarem, certè non intelligeres. Cujus methodus demonſtratur à Lullio erga finem primi libri ſui Teſtam. Noviſſ. Regi Carolo dicati. A Guidone de Montanor in ſcala Philoſophorum in fine Recapitulationis, ſeu Epilogationis totius operis. Atque clariùs in Bibliotheca Chemic. Curioſ. Jo. Jacob. Mangeti *Tom. 2. pag. 113.* ex tractatulo quodam, poſt Roſarium: ubi incipit: Revivificatio, & cæt. ac ubique videbis omnes ita, ut inferiùs te docebo, in unum convenire. Nihilominus cum pro te fortè inexperto ſint documenta nimis obſcura, nunc ſincerè illa enucleabo. Unde Attende:

Duplex eſt multiplicatio: prima ſpiritualis, ſecunda corporalis: De prima ſpirituali omnes Philoſophi unanimi voce concludunt, quamvis à pauciſſimis intelligantur, quòd nîl aliud ſit niſi lapidem abſolutum multis vicibus ſuo

ſpiritu incerare, ſcilicet imbibere, ſæpè ſolvendo & congelando, donec ut cera fuſibilis fiat.

Inquit enim Artephius Arabs in ſuo Libello ſecreto: ſi velis medicinam tuam multiplicare: oportet illud rubrum (ecce caſus? ſi tibi non explicarem, quid ſit illud rubrum, tu certè neſcires? quâ de causâ ergo pluribus in paſſibus ſynonyma adjunxi) denuo in novam aquam noſtram diſſolutivam ſive albam ſive rubram reſolvere, & ſimul conjungere (& eôdem ſcilicet modô ut in præparatione feciſti) multis vicibus repetitis ſolvendo & congelando, donec fluat ut cera. Et quantò magis ita opus tuum reiterabis, tantò magis excellentiùs, ſubtiliùs, ac penetrabiliùs fiet, & ſic pluries repetendo medicinam tuam in quantitate, virtute, & qualitate ferè in infinitum multiplicabilem ad tuum beneplacitum reddere poteris, & cæt. Et cum dixerit: *Oportet illud rubrum in aquam diſſolutivam diſſolvere*: Lapidem ſcilicet rubrum abſolutum primò in aceto noſtro multis vicibus diſſolvere, dicere voluit: Etenim aqua noſtra diſſolutiva eſt ſpiritus aceti. Alia verò ſcilicet ſpiritus vini, non eſt aqua diſſolutiva, ſed mercurialis albificativa, & cum inde ſubjungat: *Sive albam, ſive rubram*, unam & aliam ſignificare voluit: primò autem, ut aqua rubra utamur: nempè aceto, nam ſupra audiviſti, quòd aceti ſpiritus ab operatione ſua, aqua rubra vocetur, & ſpiritus vini aqua alba dicatur.

Itaque conſiderare debes, quòd *illud rubrum*, ſcilicet lapis rubeus inde ſatis decoctus, maximè aridus, ſiccus, ſitiens, ac frangibilis remanere debeat? & in illo ſtatu nullum in metallis habere poſſit ingreſſum? quapropter, ut ibidem addit Artephius: ſiccum non intrat, & mortuum non vivificat, unde neceſſariò opus eſt ipſum per aquam noſtram revivificare, quæ aqua eſt ſicut ſpiritus ſeu anima in corpore humano, quæ vitam dat corpori. Et ita illud rubrum fuſibile ac penetrabile reddere, ut in aliis corporibus imperfectis ſuum ſubinde habeat ingreſſum: Hinc ut ſuprà ex Iſaacco perlegiſti, plus ſpiritu pro lapide rubro, quàm albo indiges, quia lapis albus non tamdiu in decoctione perſiſtit, & conſequenter non tam aridus fiet.

Unde repetit Lullius in Elucidatione Teſtamenti *cap. 6.* multiplicatio noſtra nſl aliud eſt, quàm operis noſtri primordialis, ut in compoſitione, ſeu præparatione, reiteratio, &c. ſcilicet iterum ſolvere & congelare, ut in primo, ſeu antecedenti præparationis opere feciſti & cæt.

In qua multiplicatione colores non ampliùs variantur, ſed in propria ſua rubedine lapis permanet, ut idem Iſaaccus *Lib. 1. cap. 75.* teſtatur, etenim cum tunc ad ultimam perfectionem ſit redactus, nullam patitur mutationem, ſicut patet in auro.

Hinc Clangor Buccinæ ultra medium, ſimiliter de hac multiplicatione ita confir-

confirmat, ubi incipit: via alia practicæ: aliqui sic faciunt cum terra, & cæt. ubi inquit Author: Et scias, quantumcunque plus lapis solvitur ac anima ejus cum spiritu non fixo, ideſt aquâ suâ, & congelatur, tanto plus tinctura multiplicatur. Et ulteriùs ubi de multiplicatione loquitur, addit: Augmentum lapidis est ipsam tincturam sæpè sæpiùs solvere & congelare cum mercurio nostro, scilicet spiritu non fixo, & cum ipso pluries imbibere, & exsiccare, & cæt. Et vide Guidonem de Montanor in scala Philosophorum in undecimo gradu de multiplicatione. Atque vide idæam perfectam Patr. Joann. Collesson *Vol. 6. Theat. pag. 150.* sive Rythm. Germanic. ibidem *pag. 513.* erga finem voluminis.

Et hæc est unica lapidis nostri vera primariáque spiritualis multiplicatio. Hinc Isaaccus *Lib. 1. cap. 124.* ita concludit: In lapide, inquiens, nostro nulla alia est multiplicatio, quàm ut frequenter ipsum solvendo & congelando subtilissimum, ac fusibilem, ut cera, illum efficias. Nulla enim alia multiplicatio reperitur in arte, quàm eô pactô ipsum extremè subtilem ac penetrantem efficere; & qui alias multiplicationis vias quærit, aut aliter putat, artem nostram non intelligit, & cæt. Et ita Isaaccus.

Primâ hâc ergo verâ multiplicatione peractâ, necesse est Lapidem tuum Aurô vulgi ad Rubrum, & cum Argento ad Album specificare, habilitare, seu colligare: quæ specificatio, fermentationem quoque metallicam seu corporalem Philosophi vocârunt, quamvis revera talis non sit, ac impropriè ità nuncupata, quia verum fermentum est suum proprium sulphur vivum. Itáque duplicem esse fermentationem nonnulli scripsêre, unam quidem, & veram, spiritualem, aliam verò corporalem, ùt ait Zaecarius erga finem 2. Partis sui opusculi, & cæt. Propterea Isaaccus *Lib. 1. cap. 136.* inquit: Hanc fermentationem Philosophi propriè conjunctionem vocârunt, atque hoc est opus illud Mariæ Prophetissæ & cæt. trium dierum. At istud fermentare (Nota) stolidi non intelligunt, & putant, quòd fermentum corporis crudi (scilicet auri) ad Opus Lapidis, cùm in opere existat, sit adducendum: sunt autem capita insana, verbáque Philosophorum non intelligunt, & cæt. &c. Nam Lapidi fermentum hoc metallicum, non addimus nisi in fine operis absoluti, vel ante multiplicationem, ùt vult Philaletha, vel post, quod est meliùs, quia cum lapis sit fusibilis, faciliùs cum eo commiscetur. Et propriè conjunctio, colligatio, seu specificatio vocatur. De qua vide etiam ipsum Isaaccum *Lib. 1. cap. ultimo*, & hanc veritatem concipies, ut etiam clariùs explicatum vide Paracelsum in suis Congeriis Chymiæ *cap. 7.* Atque Patr. Joann. Collesson in sua idæa perfecta citata *Vol. 6. Theatr. pag. 151.* vel etiam Riplæum *cap. de Fermentation. in sua nona porta, vel in suis Axiomatibus &c.* Verúm etiam, ut diximus, ante multiplicationem lapi-

dem ſtatim ex phiala extractum, auro vulgi ſpecificare, ſeu corporaliter fermentare poteris, ut Philaletha in ſuo Introitu Aperto *cap. 31.* docet, & cæteri, ac inde cum ſpiritu aceti, ſeu mercurio noſtro, ut ſuprá, ſolvere & congelare, & cæt. Meliùs autem poſt multiplicationem fermentatio metallica quadrat, ut ſupra dictum eſt.

Unde inquit ſubinde Iſaaccus *loc. cit. cap. 132.* recipe hujus lapidis multiplicati drachmam unam, & cum 20. drachmis auri puriſſimi vulgiter, quatérve cæmentati ita commiſcebis (alii verò cum 10. partibus auri, unam lapidis miſcuerunt, ut Paracelſus, Parmenides, & cæt. ſi verò aurum eſſet in majori quantitate, melius eſſe puto) ſume ſcilicet 20. illas auri drachmas, & pone in crucibulo mundo ad liquandas, cúmque liquatum fuerit, drachmam illam pulveris tui lapidis rubri ſuperjice, ac pulvis ille ſe cum auro ipſo continuò permiſcebit & unum corpus fiet, tunc refrigeſcere ſinas, ac exime. Tunc optimum habeas crucibulum mundum, quod in furno venti impone, ac ei crucibulo aurum indas, in quo drachmam illam pulveris tui lapidis projeciſti, ac miſcuiſti, liquefacito, atque ita liquatum tres dies ac noctes in continuo fluxu retine, ut omne in una ſtet liquefactione (& hoc eſt opus Triduanum Mariæ Prophetiſſæ) Sine poſtea refrigeſcere ac exime. (Tunc ipſum cum mercurio vulgi iterum corporaliter multiplicare poteris, ut inferiùs docebimus, quamvis hic Iſaaccus nihil dicat, ac ſubinde facere, ut ita docet ipſe Iſaaccus videlicet) Tum (ſequitur Iſaacc.) mille partes argenti puriſſimi ſumas, ac in crucibulo liquefacito. Tum hujus materiæ prædictæ, quæ unâ cum auro per triduum in furno venti ſtetit, partem unam accipe, ac ſuper illas mille partes argenti liquatas projice, & unâ cum eo fluere permittas, deinde trium aut quatuor Orationum Dominicarum ſpatio ſinas, ac poſtmodum fac ut crucibulum frigeſcat, exime materiam, & aurum puriſſimum invenies; ſed adhuc fortè frangibile. Unde ut idem Iſaaccus ulteriùs *cap. 134.* ſubjungit: Argentum hoc in aurum transmutatum fortaſſe prima vice erit frangibile; Itaque ſi frangibile illud reperias, una pars illa lapidis nimis efficax fuit, ampliùs argenti poſtulat, iſtas igitur mille partes in aurum mutatas denuò liquabis, & plus argenti adde, tantùm ut malleabile juxtâ naturam auri deinde remaneat. Etenim forſitan una pars illa lapidis facilè bis, aut ter mille argenti partes in aurum purum convertet, ſecundùm quòd tuum lapidem exaltâſti, & in multiplicatione ſubtilizâſti. Unde experientia te docebit, & cæt.

Ego autem, ut verum fatear, hâc methodô prima vice non multum habui, quia fortè non ritè, ſicuti novitius, ipſum lapidem multiplicavi; ſed tamen non tam ordinariam projectionem feci, per quam non fuiſſem abundanter de meis tam diuturnis laboribus ſatisfactus, non autem ſicuti ſperabam.

Alia verò vice aliâ quoque methodo utar, ſcilicet dupliciter multiplicabo lapidem meum, Deo permittente, hoc eſt, primo ſpiritualiter ut ſupra dictum eſt, ſecundo corporaliter cum mercurio vulgi, ut inferiùs te quoque docebo.

Jam ergo audiviſti, quòd primò neceſſe ſit lapidem auro vulgi conjungere, colligare, ſeu ſpecificare, vel ut multi quoque impropriè ſcripſerunt, fermentare. Unde cave, ne primo lapidem tuum ante prædictam auream conjunctionem ſive fermentationem cum imperfecto metallo conjungas; aliâs in projectione procul dubio metallum quoque imperfectum, cum quo medicinam primò ſpecificaſti, obtinebis, & de hoc puncto vide Laurent Ventur. *cap. 32.* Atque etiam meum hoc ſumas conſilium, ut antequam ſcilicet projectiones facias, metalla impura purifices, ſi majus lucrum in proportione habere cupias, aliàs certè parum auri, & multas ſcorias habebis, quare lapis in metallis cum puriori tantum eorum ſubſtantia juxta ſuam puriſſimam naturam conjungitur, ac impuritates reſpuit. De qua metalla impura præparandi methodo vide Joann. Barchuſen, & cæt. Atque Iſaaccum Holland. *Lib. 1. cap. 44.* vel ad hunc novum evitandum laborem, ſemper ſuper argentum, vel argentum vivum vulgare projicias, & ita ſcorias non habebis, ad rubrum & ad album ſuper jovem projice. Si autem medicinam tuam, uti conſulo, quoque ſubinde corporaliter multiplicare velis; poſtquàm, ut ait Geber, fixum lapidem tuum cum modis ſublimationis, ſcilicet exaltationis ſæpiùs ſolvendo & congelando, ut ſupra, ſpiritualiter multiplicaveris, quoque fluat & alteret in complemento ſolifico ſeu lunifico certo, ut Laurent. Ventura *cap. 32.* ipſum Gebrum de hoc puncto ſapienter explicat. Et poſtquam, ut ſupra docuit Iſaacus *cap. 132.* cum auro vulgi conjunxeris, ac per triduum in furno venti in continuo fluxu unâ cum auro ſteterit, ac ambo ſimul in fixam maſſam deduxeris, deinde frigefactâ materiâ fixâ frangibili, pulveriza illam, & ita procedas:

Projicias unam partem tui lapidis, ut ſupra ſpiritualiter multiplicati, auróque vulgi conjuncti ſuper 100. partes mercurii vulgaris, & tibi remanebit pulvis cinericius in pondere & quantitate multiplicatus, & erit tota medicina, cujus iterum partem unam ſuper alias 200. mercurii vulgi partes projicias, & cadet iterum in pulverem, ac erit quoque medicina. De qua denuò projicias unam partem ſupra 400. argenti vivi vulgi partes, & iterum fortè cadet in cinerem; unde hanc projectionem ſuper argentum vivum vulgare, ut ſupra ſemper doſim duplicando repetes, donec ampliùs non cadat in pulverem, ſed ut maſſa dura frangibilis remaneat; quam ſubinde triturabis in ſolito hoc



vaſe noſtro vitreo fixatorio, ac iterum ſuo ſpiritu multis vicibus ſolve & congela toties, donec iterum fluat, ac in fine in eodem vaſe exſicca, fac pulverem, & ſerva diligenter in loco ſicco, non autem

tem humido, quia in loco humido ſtatim in oleum ſolveretur. Quem inde pulverem ſuper argentum, ut ſupra docuit Iſaaccus, tutè projicere poteris, vel ſuper alia quæcunque metalla impura antea verò præparata, & ita miram projectionem videbis, ut certè credo, quamvis adhuc non probaverim, quia usque dum unica tantùm vice opus in modica quantitate confeci. Sed ita Lullius in *parte 1.* ſui Teſtamenti docet, inquiens, quòd ita procedendo, cùm illam frangibilem maſſam, ut ſupra iterum cum mercurio vulgi multiplicatam dividas, unámque partem ad uſum ſervando, nunquam in vita tua multiplicatio ceſſabit. De qua corporali ſecundâ multiplicatione prædictâ, vide quoque ipſum Lullium in Compendio animæ transmut. *parte 2.* Atque tract. Joann. de Rupe-ſciſſa in *Lib. lucis cap. ultimo ſcilic. cap. 11.* & cæt.

Ac de projectione vide Riplæum in ſua 12. Porta. Guidonem de Montanor in ſcala Philoſophorum *cap. ultimo.* Hortulanum in ſua praxi *Vol. 4. Theatr. pag. 918.* Iſaacc. *Lib. 1. cap. 85.* ubi iterum videbis, quid ſit opus triduanum, & quomodo intelligatur, in quo multi ſunt decepti, credentes, quòd opus integrè in tribus diebus perfici poſſit. Heu! ſimplicitas? utinam in tribus annis ipſum perficere poſſemus? quod nîl aliud eſt, quàm opus ſpecificationis ſeu conjunctionis, ut ſupra dictum eſt, per triduum in crucibulo in continuo fluxu unâ cum auro vulgi retinendum. Pro cujus confirmatione vide Rogerium Bacconem in ſuo ſpeculo *cap. 7.* Atque Avicennam *cap. 8.* Sive Patr. Joann. Colleſſon in ſua Idæa Perfecta *Tom. 6. Theatr.* de praxi, *pag. 150.* & cæt.

Nunc ergo jam benè intelliges, quid ſit verum ac unicum opus Philoſophicum, & quare tam pauci hujus ſacræ ſcientiæ poſſeſſores inveniantur in orbe? cum ſit verè verum chaos, myſteriúmque absque perito magiſtro incomprehenſibile, ac labyrinthus, nodúsque ſophicus inextricabilis; & ultra etiam, quòd non ſit opus pro pauperibus, ſanè comprehendiſti. Quare legitur in Triumpho Hermetico *pag. 83.* ex Gebro, quòd quamvis materia remota in ſe non excedat pretium & pauperum facultates, tamen ad ſtatum proximum illam reducere, non ordinarias requirat expenſas? ut Geber *cap. 5.* ſuæ ſumm. perfection. ita quoque conteſtatur. Itaque Avicenna *cap. 8.* in Inſtructione ad filium ſuum Aboalum, ut ſuprà diximus, ſcripſit: qnòd non conveniat hoc magiſterium niſi divitiis repletis, quia 60. libræ argenti vivi noſtri (ſcilicet ſpiritûs mercurialis) ad minimum, ut pro integro opere ſufficiant, habendæ ſint. Ut ſanè ex Iſaacco *Lib. 1. cap. 30.* bene comprehenditur, cum dicat, quòd magnâ copiâ ſpiritûs pro opere noſtro indigeamus. Et pro iſtis 60. libris ſpiritûs vix ſufficiunt 60. centenaria materiæ remotæ, ut bene ita explicat, intelligit, & teſtatur Riplæus in ſua medulla Philoſophiæ ultra me-

dium,

dium, ipsum citando Avicennam, cum quo perfectè convenit, quia ex 60. centenariis materiæ remotæ non plus quam 60. libræ mercurii nostri extrahi possunt: dicens, quòd 60. pondera de nostra minera aurea, & argentea ab initio habenda sint, ut per totam vitam artificis sufficiant. Et unum pondus, quamvis ab aliquibus pro 25. libris intelligatur, & computetur, reverâ ex 100. libris constat, ut in Italia præsertim ferè ubique ita intelligitur. Et ego, nutu altissimi, sicuti expertus in hac arte, dico, quòd ipse Riplæus 60. centenaria intellexerit, quia ex mille libris materiæ remotæ non nisi libræ 10. spiritûs, ut supra diximus, extrahuntur, ergo ex sex millibus libris, 60. tantùm libras mercurii vivi nostri habere poteris, ut supra dixit Avicenna. Et ex tartaro deinde suo vix 6. libras corporis impuri obtinebis. Certè Chemicolæ non tantùm me, sed etiam temere Avicennam, Riplæúmque deridebunt? quia hanc scientiam non magis intelligunt, quàm ego nauticam. Sed sic est, & credas experto: Nec Riplæus, & Avicenna, ut diximus, fuerunt stulti, sicut ipsi: Et nullus Philosophorum hoc detexit mysterium, nisi Riplæus, & Avicenna, quamvis ex Isaacco quoque benè concipi possit, cum dicat *Lib. 1. cap. 30. in suo citat. oper. mineral.* quòd magnâ copiâ spiritûs, magnáque quantitate materiæ remotæ ab initio indigeamus, & cæt. licet quantitatem non explicet, &c. Hinc legitur in lib. de Magni Lapidis Compositione, seu de Alchemia *Vol. 3. Theat. cap. 1.* Non accedat ad hanc artem avarus, sed generosus, qui ne sumptibus parcat, neque expensas recuset, & sit sufficienter locuples. Ac ibidem *Tom. 3. Theatri, pag. 144.* Ex Efferrario monacho ad quendam Pontificem scribente, similiter sequentia verba notantur: Est autem, inquiens, præfatum artificium valdè prolixum, maximè laborioſum, & non parum sumptuosum. Pseudo-Chymici verò, ignorantes, cæterique satrapæ moderni de hac re penitus indocti Philosophos, artémque derident, putantes (quia nonnulli dixerunt, quòd opus hoc paucis indigeat expensis) quòd cum decé florenis lapis noster perfici possit? causam verò quare alii Philosophi hoc scripserint, jam suprà declaravimus, & inde certè si aliquis in domo propria abundanter hanc haberet materiam, sicuti quisquis potest ipsam in bonis suis in copia habere, tunc aliæ expensæ leviſſimæ forent? & ultra censendum est, quòd pro divitibus centum aurei Veneti nihil sunt? sed pro pauperibus est capitale? Philosophi autem, ut ait Riplæus, blandis verbis simplices deludunt. Sed sapientes satis docent. Unde pro prædictis derisoribus, ignarisque sophistis cum Salomone *Prov. cap. 14.* dicam: quærit derisor sapientiam, & non invenit. Quia, ut addit Propheta *Psal. 92.* vir insipiens hæc non intelligit, & stultus non cognoscit, & cæt. sapientes autem veríque Hermetis filii hoc benè sciunt, ac Adepti me benè intelligunt, & veritatem me scripsisse testabuntur. Imò fortè mihi erunt irati? subjungit inde Ar-

 nol-

nold.in ſuo Teſtament. *Part. 2.* & apertis ita loquitur verbis: quòd quilibet, quamvis ad hanc occultiſſimam perveniat ſcientiam, tales ſumptus ſuſtinere non poſſit, niſi multis ſit divitiis repletus, ut idem Arnoldus in ſuo Theſauro Theſaurorum, ſive Roſario Philoſophor. *cap. 5.* atque in Recapitulatione, ſimilia confirmat. Quamvis in Roſario *pag. 170.* ipſe quoque dicat: quòd hoc opus magnas non requirat expenſas? (ſcilicet cum materia in propria domo absque emptione retineatur, ut multos ubique novi hujus materiæ copiam, quamvis pauperes, in domo propria poſſidentes;) Hinc alii dixerunt, quòd cum 50. florenis opus perfici queat. Sed opus eſt omnia legere, ac ſedulò relegere, multísque vicibus perlegere, omnésque revolvere Authores, & combinare ad cabalas eorum percipiendas? & tunc viderent ignari, quòd ſophi non fuerint mendaces, neque contradictores, quamvis tales inexpertis eſſe videantur.

Nunc ergo quoque intelliges, quâ de causâ Philoſophi ſub vitrioli quoque nomine Sal noſtrum, ſive vitriolum noſtrum azoqueum occultaverint? dicentes in hoc Ænigmate, cum quo Chemiſtas deluſerunt multos: Viſitabis Interiora Terræ, Reperies Ibi Occultum Lapidem, Univerſalémque Medicinam: & ſimilia, & cæt. Cujus primæ Ænigmatis hujus omnes dictionum, ſeu verborum litteræ ſimul recollectæ VITRIOLUM componunt: In quo primo indicare voluerunt, quòd interiora terræ noſtræ viſitandò, ibi tantùm occultum Sapientum Lapidem, ſeu Salem, in Tartaro noſtro, ſeu Terra nigra noſtra, reperies, cum quo tantummodò medicina univerſalis conficitur, nec ex alia fiat re, neque alibi inveniatur. Ut ità intellexit de ſuo vitriolo Baſilius.

Secundò demonſtrare ſtatuerunt, quòd ſicuti ex anima puriſſima vitrioli vulgaris Fatuorum (ùt illud vocavit Riplæus) plumbum, ac mars in verum cuprum tranſmutari poſſint, quia ſemen æris vivum in ſe continet: Ità ex anima puriſſima vitrioli azoquei Sapientum, plumbum, cuprum, &c. in aurum quoque transmutari queant, quia verum, vivúmque auri ſemen ſecum retinet.

Tertiò notificare putârunt, quòd ſicuti in vitrioli vulgaris purificatione in tot repetitis ſolutionibus & coagulationibus ſemper in filtro æquè fæces reperiantur albæ, ac parùm interioris ſubſtantiæ puriſſimæ, fixæque remaneant ex ipſo: Itaque in depuratione aurei vitrioli noſtri in tot repetendis ſolutionibus & coagulationibus per ignem & aquam peragendis valdè copioſæ fæces ſimiliter albæ in filtro quoque relinquuntur. Ut Arnoldus in ſuo Theſauro Theſauror. *cap. 8.* atque Philaletha in ſuo Introitu Aperto ſimiliter *cap. 8.* confirmant, quòd fæces albæ copioſæ in filtro diu in corporis purificatione remaneant inutiles, & parum puræ corporis ſubſtantiæ inde reſtet ex ipſo. Quæ fæces albæ ſunt illa terra damnata nulliúsque valoris ab Artephio in ſuo Libello ſecreto ex Azinabam ibi citato deſcripta, (ubi ſi Joann. Pontanus perlegiſſet,

talia non ſcripſiſſet abſurda) ac ab Iſaacco Hollando in ſuo præcitato opere minerali *Lib. 1. cap. 129.* & ibidem *Lib. 2. cap. 12.* apertè indicata, & cæt. Et ſine hac extrema depuratione, (contra Pontanicam falſiſſimam opinionem) nec vitriolum fatuorum plumbum & martem in cuprum transmutare poſſet; neque vitriolum ſapientum cuprum & plumbum in aurum perficere valeret. Hinc Paracelſus in ſuis Congeriis Chymiæ *cap. 11.* ait: Eſt igitur materia ſinè debita præparatione reſpectu lapidis, non niſi res impura à natura ſemiperfecta; quam artifex multis repetitis depurationibus perficere debet, ut inde ſuo dilecto ſole vulgi inſeparabiliter conjungi puriſſimè queat, ut addit Riplæus, quia aurum ſicuti puriſſimum eſt, non permittit, ut ſecum res impura uniri poſſit? unde venerabilis Pater Modeſtus à S. Joanne Euangeliſta Ordinis Carmelitarum Diſcalceatorum Provinciæ Auſtriacæ S. Leopoldi, Bohemus, Author valdè præclarus, in ſua Elucidatione litterali morali ac Anagogica in Threnos Jeremiæ Prophetæ, *Tom. 2. in cap. 2. ſermon. 30. pag. 449.* in fine paginæ, inquit: Per mortis pulverem mortalis homo fit immortalis: interea pulvis reverti debet in pulverem, cum ex pulvere puriſſimo Adam plasmatus fuerit: Et ita in vera Alchymia cinis in cinerem puriſſimum incinerari opus eſt. Eſt itaque ſalutaris hujus pulveris recogitatio, cum probatiſſima teſtetur Alchymia, qua plumbum prodigioſô naturæ beneficiô ita in aurum puriſſimum convertitur, &c. Quid mirum ergo! ſi noſtrum terreum mortale corpus intus & extra tenebris involutum micantem immortalis animæ Lucem tam potenter impediat, antequam cum Deo ſuo vero puriſſimóque immortali ſole dilecto dignè inſeparabiliter uniri poſſit? unde neceſſariò poſt mortem anima laqueis ſcoriisque ſoluta quaſi per ignem, ut ait Apoſt. ad *Cor. 1. 3.* pluries tranſire debet, antequàm perfectè ac omnibus inquinamentis ſit depurata, ut dignè cum ſuo puriſſimo principio conjungi queat. Quod ſicuti puriſſimum eſt, non permittit, ut ab anima impura amplecti poſſit? Homo enim eſt ſicuti aurum in ſua minera multis fætulentis terreis involutum. Itaque ait Div. Auguſtinus in *Pſal. 61.* Patiatur aurum fornacem, ut à ſordibus purgatum inde veniat ad Lucem. Ita conſequenter poſt mortem anima á ſordibus ſuis per ignem purgata inde ibit ad Lucem. Hinc ſanctè dixit venerabilis vir ille Thomas à Kempis *Lib. 1. cap. 22.* ex *Pſal. 65. 12.* quòd oporteat per ignem & aquam tranſire, antequam ad refrigerium veniamus. Unde ſanè comprehendere poſſumus, quantum antea pati debeat, donec illa innumeris inquinata peccatis ſe ſe ab iis impuritatibus extricare poſſit.

Sicuti ab exemplo lapidis noſtri hanc veritatem ocularitèr vidimus: imò quantùm nobis deeſt, quousque puriſſima anima ad ſummam divinam puritatem accedere valeat, & in ſole ſecum æternaliter perſiſtere queat. Itaque

*Paul. ad Cor. cap. 3. verſ. 11.* inquit: Unicum Fundamentum Principale eſt Chriſtus, ſi quis autem ſuper hunc lapidem fundamentalem ædificaverit, aurum, argentum, lapidémque pretioſum & cæt. poſſidebit, quæ omnia per ignem manifeſtantur, & manifeſtabuntur, quia in igne opus quale ſit, ignis probabit. Et ipſe homo ita quoque per ignem antea perfectè depuratus, ſalvus erit. Aliàs anima impura cum ſole æterno cæleſti minimè uniri poteſt. Sicuti lapis noſter in ſua prima natura impurus nunquam cum ſole metallico terreno conjungi valet, niſi priùs igne bene purgetur, & per ignem & aquam ſpiritualizetur, atque in aërem exaltetur. Etenim nullum corpus, niſi igne ſubtilizetur, aſcendere valet, neque in altum ſublimari, nec ullus ſpiritus in altum ſine ſaltem ignis calore avolare poteſt. Itaque ergo ſi ad ſummam tanti magiſterii perfectionem pervenire cupias, talis eſto, qualem Lapidem noſtrum eſſe deceat, ut noviſti. Lapis enim Salinus noſter fæcibus onuſtus imperfectus eſt, & ad ſummam perfectionem per ignem & aquam deducitur. Tu peccatis plenus, fætidúsque, immundus & imperfectus es: Purga te lacrimis, & igne pœnitentiæ. Sublima te virtutibus, exalta animam ſpiritualibus exercitiis, ut corpus tuum divino ſpiritu mediante per animam coloretur exaltatam. Lachrimis repetitis corpus tuum putridum dealba, ut illud per lachrimas & ſuſpiria revivificatum, incorruptibile, atque immortale ex cineribus, ſcoriisque purgatum unâ cum ſpiritu inſeparabiliter inde conjunctum æternæ gloriæ ſplendore, ac rubeo immutabili fulgore illuſtrare valeas. Tum enim nullam fore ampliùs mutationem. Tum Deus ſummus opifex corpus tuum unâ cum anima & ſpiritu calore ſuo figet, ut ita poſt illam beatam verámque æternam immutabilem, immortalémque fixionem nunquam à ſe invicem ampliùs ſeparari poſſint, ac ſimul in ſæcula in eodem ſtabili ſplendore permanere queant, quoniam (ſicut in lapide noſtro) hæc immortalis gloria, ex occulto animæ & ſpiritûs in corpus glorificatum ab omnibus fæculentiis per aquam & ignem extremè depuratum, redundabit, cum autem dives ſis meritis apud Deum? ſi verò meritis fueris pauper, non obtinebis gloriam in cælis. Sicuti quoque cùm pietate, ſcientiâ, pecuniisque careas, non habebis hanc gloriam in terris. Nam ut *2. Cor. 1. verſ. 12.* gloria hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ.

Etenim quoties ego antequam hoc Benedictum Divinum opus incipere potuiſſem meæ deplorabilis bonorum confiſcationis causâ, tamdiu absque modo plorans, tempore, loco, commodisque carens; Deum Benigniſſimum rogando exclamavi, *ut Pſal. 30. 11.* Infirmata eſt in paupertate virtus mea. Unde:

*Quid juvat aſpectus, ſi non conceditur uſus?*

Pau-

Pauperes inveni volentes, ſed fruſtra, quoniam auro carentes. Ac divites rari, qui ſint ſophis verè credentes; cum undique hanc ſacram ſcientiam à fumivendulis diffamatam ipſi videntes, ſophis veris fidem quoque præſtare recuſent, qui derei veritate dubitantes, ſtudia præ mundanis deliciis amittentes tam maximum non curant arcanum, nec ſcire appetunt, neque perquirunt, ut ait D. Thomas, & ſi perquirant ſicuti de hac re nîl penitus intelligentes, niſi audiant metalla nota, mineralia diverſa, vaſa peregrina, & ingenioſa, laboratoria magnifica, & cæt. non credunt: Heu! deploranda cæcitas? Itaque nebulones ignorantiam ſcientes cum mille dolis illos ubique deludunt, & meritò, quia non ſtudent, aliàs ſaltem non eſſent decepti, cùm aliquod verum artis hujus principium ſaltem intellexiſſent? & principibus non eſt fidendum, ut *Pſal. 145. 3.* niſi vel vitam, vel ſaltem libertatem perdere velimus. Hinc hæc ſacra rariſſima Theoſophia, ut plurimum inter paucos pauperes in orbe ſepulta ſervatur. Etenim, ut *Iſai. cap. 28. verſ. 19.* Cum vexatio det intellectum: pauperes verè ſtudent, ſtudium verò divitésque recuſant. At quamvis ignari, omnibus chari, ut *Prov. cap. 14.* Et pauperes ſilent, quia timent: unde ut idem *Iſai. cap. 11.* in ſilentio, & ſpe erit fortitudo, & ſecuritas veſtra. Itaque: paupertate nîl graviùs reperitur in orbe:

*Dives ubique placet, pauper ubique jacet.*

Tu autem es Domine, qui reſtitues hæreditatem meam mihi. *Pſal. 15. 5.* &c. Et ecce hic omnia occultiſſima ſophorum myſteria de mirabili tam quæſito Philoſophorum lapide tibi benigno lectori, omnibúsque ſtudioſis fideliter absque ulla invidia gratis revelavimus, arcanáque noſtra in ſapientum pectoris penetralibus tamdiù recondita apertis verbis propalavimus, quæ ſi ego prædicta, poſt tot ſæcula amore proximi motus ante mortem, non patefeciſſem, usque ad diem noviſſimum omnibus occulta, ignotáque manſiſſent. Gratias ergo ſubmiſſas Deo noſtro Benigniſſimo referas, qui mihi ſincero corde dotato hanc Lucem Clementiſſimè tribuere dignatus eſt, ut ita ſubinde tibi, aliísque dignis ante meum obitum hanc ſublimem ſcientiam revelare potuiſſem, aliàs ſemper manſiſſet in chaote ſepulta, cum nemo ante me nec principia propalare voluerit.

Ecce igitur vera & unica LUX HERMETICA CLARIFICATA è tenebris chaotis ſapientum emerſa. Ecce quadratura circuli hactenus ignota, à me tantummodo apertè propalata, ecce CIRCULUS QUADRATUS SAPIENTUM quem Zimon in Turba *Sermon. 41.* ita deſcripſit: ſignifico, inquiens, poſteris, quòd rotundum verum quadratum ex quatuor elementis & ex una re conficiatur. Et Arisleus in Roſario, ait: fac de quadrangulo circulum rotundum. Hoc eſt, ut ſupra Zimon: quia per quadrangulum quatuor ele-

menta intelliguntur in uno circulo æqualiter incluſa ; unde vertere quadrangulum in rotundum, ac in ipſo illa per rotam Philoſophicam circulariter includere, nîl aliud eſt quàm elementa æqualiter ſine diſcrepantia ſimul colligare,adeò ut unum non ſuperet aliud: itaque cum elementa ſint æqualiter ſine diſcrimine promiſcuè,indiviſibiliter, ac proportionatè colligata, unum quid incorruptibile ac inexterminabile generatur ex ipſis,ut in perpetuum durabile maneat, quod ne que igne comburitur,nec aquâ corrumpitur,nec aëre contaminatur, nec terrâ deſtruitur,neque tempore diſſolvitur : Hinc Iſaacc. Holland. in ſuo *cit. oper. mineral. Lib. 1. cap. 130. in fine cap.* concludit, dicens: cum lapis perfectus ſit, eſt omnino rotundus inſtar circuli, tamen quatuor elementa perfectè inſunt, ſed ſibi invicem contraria non ſunt, itaque quadratus rotundus. Atque Riplæus ergà finem primæ portæ ſubjungit: Nam hoc pactô ad verum temperamentum perducitur lapis,quando per rotam Philoſophicam ex quatuor contrariis naturis, una componitur, ſcilicet ex quadrangulo elementorum fit circulus rotundus absque diſcrimine, & cæt.

Hic ergo quadrangulus elementorum amicabili ſocietate conjunctus eſt quadrangulus in circulo, & circulus in quadrangulo principio & fine carente æternitatis ſymbolo, ſeu typo, mathematicis ignotus ,Hermeticísque familiaris, de quo ſubjungit Riplæus in Epiſt. ad Regem Eduardum quartum : oportet quatuor elementa conjungere, ut inter illa nulla ſit repugnantia, & ex quadrangulo rotundam conficere figuram, ſi mel dulciſſimum ex noſtro alveari guſtare velis. Item legitur in Roſario ex Compilatione Toletani: verte quadrangulum in rotundum,& habebis magiſterium. Unde concludo cum Sendivogio *Epiſt. 23.* Et ecce hic habes, ut in titulo promiſi , veram quadraturam circuli, & CIRCULUM QUADRATUM, LUCEMQUE HERMETICAM tamdiu extinctam, & obſcuratam, nunc à me CLARIFICATAM, magísque luculentam coram omnibus expoſitam, quam nos diuturnô ſtudiô, magiſtríque auxiliô invenimus, propriísque oculis vidimus, manibúsque propriis pertractavimus, unavice usquedum labore proprio confecimus, teſtibus viventibus monſtravimus,ut ita ſincerè proteſtamur; ac ante mortem ſtudioſis propalare decrevimus: de qua ſit honor, gloria ac immortalis gratiarum actio ſacroſanctæ almæ Trinitati,ac individuæ Unitati per ſempiterna ſæcula ſæculorum, Amen : Amen.

*Vale.*

# F I N I S.

Adhuc

# Adhuc in Xenium ſubjungam

## *Alias Concordantias ſeu 36. Annotationes ex variis collectas Philoſophis, ut ſtudioſi tyrones cum præcedentibus collationare poſſint ad hanc unicam prædictam veritatem confirmandam, cum verborum ſeu terminorum obſcuriorum declaratione per ſynonima adjuncta illuſtratas, lucidiúsque explicatas.*

1. THeobaldus *Vol. 1. Theatr. Part. 1. pag. 127.* ex Gebro: Non poſſumus cuncta in uno monſtrare volumine, cum Liber Librum aperiat, & Sermo Sermonem explicet: ſapiens ergo artifex in noſtris ſtudeat voluminibus, noſtram diſperſam opinionem colligendo, quam in diverſis locis propoſuimus, ne malignis ſeu ignaris publicetur arcanum.

2. In Tractatu de Philoſophia Chemica *Vol. 1. Theatr. pag. 437.* Menſtruum vegetabile, quod cælum aut clavis Philoſophica vocatur, alterum eſt reſolutivum, alterum verò reſolubile: Reſolutivum eſt cæleſtis quidam ſpiritus volatilis; reſolubile corpus terreſtre fixum, & in ſal mirabile exaltatum. Cæleſte reſolutivum eſt eſſentia quinta, ſive aqua ardens perfectè rectificata. Terreſtre autem reſolubile, eſt vapor potentialis metallicus, qui etiam in quocunque corpore metallico (exſiccatus) exiſtit, & eſt ſulphur incombuſtibile argento vivo commixtum. Et corpus hoc reſolvitur, putrefitque virtute ſpiritus cæleſtis. (Spiritus eſt menſtruum reſolutivum. Corpus verò menſtruum reſolubile fætens, & ambo in unico chaote noſtro reperiuntur: Ex quibus lapis conficitur, qui ex rore cæli & pinguedine terræ eſt compoſitus.)

3. Annotata quædam ex Nicolao Flammello in ſuo Fonte Chemico, *Vol. 1. Theatr. pag. 750.* Notandum eſt utique quintam eſſentiam cæleſtem eſſe nobis in hac arte præcipuè neceſſariam. Et mercurium iſtum reperiri potiſſimùm eô locô, in quo ſol ſuo magno calore multos flores, fructúsque producit, nam poſt flores fructus ſequuntur.

4. Ex aliis quibusdam Annotationibus ejusdem Nicolai Flammelli *Vol. 1. Theatr. pag. 757.* ex Roſario: aqua permanens, ſive vinum ardens, & cæt. dicitur aqua corporis ſuo mercurio ſoluti, ideſt quando corpus per ſpiritum in mercurium redactum eſt (nempe in aquam Philoſophicam, ſeu in primum ſperma naturale deductum) Item: ſpiritus aqua permanens eſſe non poteſt abſque ſuo corpore ſecum ſoluto, cum quo conjuncta eſt. Item: ſolum cum ardente vino (puta ſemper Philoſophico) elixir perfectum complere poteris.

Item

5. Item ulteriùs ibidem, ex Villanovano: quod corpus dissolvit à spiritu est, quod verò spiritum coagulat à corpore est. Idem: Spiritus dissolvit, corpus verò coagulat. Idem: quantùm corpus solvitur, tantùm spiritus coagulatur: quod si corpus non solveretur, neque spiritus inspissaretur, nec figeretur cum ipso. Idem: solutio corporis fit cum coagulatione spiritûs, & coagulatio spiritûs fit cum solutione corporis: tunc miscetur corpus cum spiritu, & fit unum cum eo, nec unquam inde separantur non magis quam aqua mixta aquæ. Et tunc est aqua permanens.

6. Idem ulteriùs *pag. 767.* ex Clangore Buccinæ: Dissolvere, est corpus in naturam spiritûs convertere. Coagulare, est spiritum corporalem efficere, (id est in ipso corpore figere) solutio facit corpus fixum volatile, coagulatio è contra facit spiritum volatilem fixum. Spiritus non coagulatur nisi mediante córpore, quod in illo est dissolutum. Et corpus non solvitur nisi mediante spiritu cum quo est impastatum.

7. Joann. Franciscus Picus Mirandulæ Princeps Celeberrimus, tractat. de auro, *Lib. 3. cap. 1.* inquit: scriptum est in Græcorum monumentis, Diocletianum Cæsarem, cum Ægyptios inhumanè crudelitérque afflixisset, Ægyptii semper iterum contra Cæsarem potentiores magis magísque rebellârunt, quia artem hanc aurum conficiendi multi illorum callebant (ac ex ipsis reverâ nos per traditionem habemus) unde Cæsar super hoc monitus, jussit inde Libros omnes Chymicæ hujus scientiæ per totum Ægyptiacum Regnum summâ cum diligentiâ perquiri, omniáque scripta quoque comburi, & cæt. De qua Historica relatione, vide etiam Suidam in decima elementi collectanea, dictione *Chkmeia.* Atque Orosium *Lib. 7. cap. 16.*

8. Discipulus Joann. Chortolassei in suo Magisterio occultæ naturæ in fine tractatûs, Bibliot. Chem. Curios. Manget. relatus, ait: Nemo Philosophorum satis mirari potest, quòd DEUS Omnipotens hanc rem cælestem veram & unicam metallorum scaturiginem tam in orbe frustrà à multis quæsitam, in tam vili à natura præparato subjecto collocaverit, ut inter millena hominum millia, vix unus crederet, si illud nominarem, Hinc M. Georgius Phædro in sua Jatrochemia *pag. 185.* subjungit: quæ tamen materia adeò communis & familiaris nobis est, ut si eam nominarem, risui & ludibrio me exponerem &c. & pro nihilo habuerunt multi terram desiderabilem, ut *Psal. 105. 24.* quamvis terra nostra sit auro pretiosior. Scilic. sal Materiæ hujus.

9. Laurent. Ventur. *cap. 6.* unica est materia, ut omnes confirmant Philosophi, & illud in ventre suo, quod quærimus occultum, non videtur, nec scitur nisi à solis sapientibus, (scilicet Sal Centrale) Unde subjungit: Idem

Laur.




Laur. Ventur. *cap.* 7. In cujus figura Ezechiel vidit Rotam in Rota, & ſpiritum vitæ, qui erat in medio Rotarum.

10. Idem Laurent. Ventur. *cap.* 28. Materia proxima ſive corpus mercuriale noſtrum à ſordibus per ignem congruum bene purgatum, tunc eſt corpus perpetuum Philoſophorum, (ergo cum dicant Philoſophi, recipe corpus perfectum & cum mercurio amalgama, & cæt. non intellexerunt aurum, & mercurium vulgi, ſed corpus & ſpiritum Philoſophicum?) quod antea fuit imperfectum, (fæculentiis plenum) & tunc poſt depurationem eſt corpus ſolare, & lunare ſophorum, tinctura alba & rubra, atque aurum & argentum eorum: De quo dicit Malveſcindus: Et hoc aurum eſt ſulphur Philoſophorum occultum in argento vivo ipſorum, & eſt verum fermentum utriusque tincturæ albæ & rubræ (& non aurum vulgi)

11. Idem Laurent. Ventur. *ibid. cap.* 28. *citat.* ſicut & Alphidius cap. De natura Salis: ſpiritus non commiſcetur, nec figitur cum ſuo corpore ſeu ſale, niſi maximo cum ingenio, quod non pervenit ad artificem duræ cervicis, & per hunc modum fit, ut ſit tinctura fixa ſimul, ſcilicet per corporis ſpiritúsque mixtionem, & hoc eſt fermentum, & ſulphur tingens non comburens.

12. Idem Laur. Ventur. *cap.* 28. & iſte ſol, ſive aurum Philoſophorum, qui eſt in argento vivo eorum, non vulgi, primò promit albedinem, ideò aurum album vocatur: eſt autem in eo radix rubedinis intrinſeca occulta, quemadmodum minium in ceruſſa, & cæt. (Et ulteriùs ſuper illa verba Gebri dicentis; quòd vel totum compoſitum avolabit, vel totum manebit in igne, ſubjungit.) Si ſol (nempe ſal) cum mercurio, id eſt cum ſpiritu, non aſcendiſſet, non potuiſſet ſimul cum ſpiritu volare, nec cum eo permiſceri, nec mercurius per ſolem noſtrum, ſive corpus prædictum, figi poſſet. Cum autem ſimul aſcendant, ac permiſceantur, & ſimul ſublimentur (ſcilicet elevantur) unum denique ab altero ſeparari non poterit, & ita aut totum recedit, aut totum manebit in igne, (nempe, ut ſupra dictum eſt, cum corpus in præparatione volatile ſit factum, ſuper laminam cupream ignitam paululum probando unâ cum ſpiritu avolat, & ſunt illæ Dianæ columbæ à Philaleth. in ſuo Introitu Aperto *cap.* 2. deſcriptæ. Ac in fine in ultimo decoctionis opere poſt multiplicationem cum materia fluat ut cera, iterum ſuper lamina ignita probanda eſt, an ſimul fixa tota remaneat, ut ſupra ex Gebro declaravimus. Et

ita dixit Geber, quòd vel totum compoſitum avolet, vel totum remaneat in igne, ſupra à Laur. Ventur. ſimiliter hoc documentum allatum. Et ibidem ſequitur) & unum recipere poterit dominium ſuper alterum, & è converſo. Si ergo ſpiritus (in præparatione) in majori quantitate (in corpore congelatus) vincit, corpus fixum volabit cum eo. Si autem corpus (in ultima multiplicatione) ſuperabit ſpiritum volatilem, figetur ſpiritus cum eo. Itaque in fine fixum ſuperans volatile perficit opus, & cæt. (Unde vide Iſaacc. Holland. in ſuo oper. mineral. *lib. 1. cap. 36. & cap. 38.* & cum prædict. combina) Hinc addit Ros Aurificus *cap. 5.* cum corpus fixum per ſpiritum volatilem volatile ſit effectum atque dealbatum, ſuper lamina cuprea vel argentea ignita, an totum avolet, probandum eſt, & cum hoc ſignum habeas, columbas noſtras intelliges; cum autem in fine decoctionis totum maneat in igne, tunc eſt Bufo noſter, & fixum lapidem habes.

13. Author de Alchemia, ſeu de Magni Lapidis Compoſitione *Tom. 3. Theatri cap. 24. pag. 23.* Iſta, ait, aqua ex duabus aquis confecta (ſcilicet ex ſpiritu volatili, & corpore fixo ſecum ſoluto) eſt aurum noſtrum, argentum, æs, plumbum, & ſericum noſtrum, oleum & butyrum noſtrum & cæt. In ipſa eſt fugiens & fixum, tingens & tinctum, album & rubrum, mas & fæmina compoſitione inſeparabili ſimul conjuncta, & cæt. (Itaque dicitur, quòd Draco caput ſuum comedat cum cauda ſua, vel è converſo, ſive quòd duo ſint Dracones, & unus devoret alium, & quòd etiam unus ſit alatus, alius alis carens, ſophi dixerunt: quare ſicuti Sal per ſpiritum ſolvitur. & ſpiritum devorans, & è converſo ſpiritus Sal corrodens & ex ipſo imprægnatur, ita ut ſupra hoc ſcripſerunt ſapientes, ut in Clangore Buccinæ & cæt. legitur: quòd lucidiùs inde à Seniore *Vol. 5. Theatri pag. 233.* ut ſupra dixi, explicatur.

14. Idem Author de Magni Lapidis Compoſitione *Lib. 2. loc. cit. pag. 69. cap. 14.* ſic eſt perfecta operatio Lapidis ex vegetabilibus, & animalibus generati. Nec obſtat, quòd aliquod vegetabile & animale (ita metaphoricè dictum) aptum ſit huic operationi Lapidis noſtri benedicti, quia illud non intelligitur, in quantum eſt in illa natura ſua (apparenter) vegetabili & animali; (quamvis tale non ſit, nam certus eſt in hac operatione, ſi eſſet verè aliquod vegetabile animale poſitivè ſubjectum, illô modô aptum eſſet) nam in illo ſuo primo ſtatu, in quo reperitur, quamdiu in illa maneret natura, certè aptum non eſſet, ſed intelligitur, cum inde per artificium noſtrum ſit alteratum, ac in aliam naturam mineralem mutetur (videlicet in Sal fixum incombuſtibile, fuſile, ac penetrabile) & tunc fit aptum, & ſic non obſtat: Ex his concluditur ergo, quòd vegetabile & animale in operatione Lapidis Philoſophici in mineralе convertitur & mutatur (ſicuti verb. grat. ex herba fit vitrum. Quamvis

vis materia noſtra longè ſit alia, quamvis in primo aſpectu animalis & vegetabilis apparet? quòd ſi aliquô modô talis non apparet, non toties Philoſophi dixiſſent, quòd materia eorum ex animalibus, & vegetabilibus procedat? iſta verò cognitio pro nobis tantùm eſt reſervata, & pro illis, qui materiam norunt, ut ait Paracelſus in ſuis Congeriis Chymiæ *cap. 7.*) ergo lapis noſter eſt mineralis, quamvis ex vegetabilibus & animalibus metaphoricè procreari dicatur, & ex ipſis proveniat. Et ſic patet, quòd ſemper unus tantùm ſit lapis, & unum opus, videlicet minerale, quamvis ex tribus naturis originem ſumere videatur, & cæt. Unde vide, *Vol. 5. Theatri* ex Dialogo Scholaſtico, Theodorum, *pag. 899.* & combina. Et vide Chriſtophor. Pariſin. in ſuo Elucidar. *Lib. 2. cap. 1.* & hoc myſterium intelliges.

15. Idem Authot prædictus *cap. 40. ibidem*: unde ſemper intelligendum eſt de uno lapide, quamvis animalis, vegetabilis, & mineralis dicatur (& de hoc puncto vide *Vol. 4. Theatr. pag. 563.* Lullium ex Elucidatione ſui Teſtament. *cap. 1.* Ac in eodem *Vol. 4. dicti Theatr. Aphoriſm. Baſilian. pag. 327.* Atque Paracelſus: in ſuis ſupracitatis Congeriis Chymiæ *cap. 7.*) qui fit ex vegetabilibus & animalibus. (Mediantibus videlicet, non autem ullô modô ex ipſis, ſed quomodò, qualiter, & ex quibus rebus, hoc nos tantummodò intelligimus.) Et ulteriùs idem Author ibidem *lib. 1. cap. 40. citat.* De ultima incoratione ſeu lapidis multiplicatione, ſubjungit: & ſcias, quòd quantumcúmque plus ſolvatur cum ſuo ſpiritu non fixo, & iterum congelatur, (ſcilicet ſuaviter evaporatur) tantò magis multiplicatur non ſolùm in quantitate, ſed etiam in virtute, tinctura, & ſubtilitate, & cæt. (Quia ſemper in qualibet incoratione pars aliqua ſpiritûs figitur in ipſo lapide & creſcit.)

16. Idem Author ibidem *lib. 2. cap. 6. vol. 3. Theatr. citat. pag. 56.* De natura iſtius ſpiritûs ſive aquæ noſtræ: Philoſophi volunt, quòd fiat aqua ardens ſimplex (ex vino noſtro extracta) & præmittatur ſine compoſitione aliarum rerum; deinde calcinetur tartarus, (vini noſtri) & ſal dicti tartari cum iſta aqua prædicta ad ſimilitudinem paſtæ imbibendo impaſtetur, & cum iſta aqua ardente ſola comburatur argentum vivum, ſcilicet corpus prædictum (quia hæc aqua eſt ignis noſter) & hoc corpus ſolvatur in aquam oleaginoſam, & poſtea de iſtis duabus aquis (ſcilicet ex ſpiritu ſolvente, & corpore ſoluto) fiat compoſitum, ſeu matrimonium, quod eſt elixir noſtrum, &c.

17. Idem Author ibidem *lib. 2. cap. 10. pag. 63.* Fac ergo ex vegetabili aquam vitæ ardentem rectificatam, ſed ſicuti perfectio lapidis in virtute ſuæ terræ conſiſtit (nempè ſalis) quæ nutrix ejus eſt, & fermentum, teſte Hermete dicente: Nutrix ejus terra eſt: ſine quo ſuo proprio fermento ſpiritus nullô

modò perfectè determinatur, & cæt. (ſcilicet, ut ſupra dixit: extrahe ex tartaro ſuo calcinato hanc ſalinam terram, & aquâ ſuâ commiſce, & cæt.

18. Georgius Riplæus in in Præfatione ante 12. ſuas Portas: de materia Lapidis: Eſt humiditas radicalis vegetabilis metallorum in ſua natura unctuoſa, & arbor Hermetis vocatur. Hermetis igitur arbor in cineres comburitur, & ita ex ipſis cineribus acquiritur noſtrum argentum vivum, (ſal videlicet) noſtrum ſulphur incremabile, pura Phyſicorum tinctura, ſulphur naturæ, noſtrúmque corpus Phyſicum animatum videlicet, & hic eſt vapor potentialis incremabilis & coagulabilis metallorum (cum quo natura metalla generat) tum ſolve illud cum ſuo vegetabili menſtruo diſſolutivo, ſive aqua rubra Philoſophica (nempe aceto noſtro) donec habeas inde ex eo oleum lucidum incombuſtibile. Et tunc erit illud menſtruum conſpicuum Philoſophophorum, ex ſolvente & ſoluto, volatili & fixo compoſitum, &c.

19. Idem Riplæus *cap. 17.* de modo decimo tertio. De ſaturno. Paſtetur terra (ſcilicet ſal ſeu corpus) cum dimidia parte aquæ (nempe ſpiritûs) donec exhauſerit eam, & figatur aqua iſta cum terra ſua (quia ſpiritus in ſuo corpore figitur) Etenim idem Riplæus in ſua Clavi Aureæ Portæ paulò poſt principium addit: quare ſciant artifices, quòd impoſſibile ſit ex ſolo corpore ſine ſpiritu medicinam perficere (quia ſubjungit Artephius in ſuo Libello ſecreto, corpus eſt ſiccum, & ita non intrat, niſi priùs aquæ noſtræ virtute in fluidum oleum ſolvatur, revivificetur, & in primum ſperma reducatur) ut etiam impoſſibile eſt ex ſolo ſpiritu medicinam componere, & elixir noſtrum procreare, quia ſpiritus ſine corpore nunquam congelaretur, & corpus ſine ſpiritu de ſuamet natura nunquam reſolveretur, nec putrefieret; & absque ſpermate & putrefactione nullus naſcitur, & nullum germen gignitur (addit Alexander) & de hoc puncto legitur in Rythmis Germanicis *Vol. 6. Theatr. pag. 511.* Aqua & terra noſtra ſimul conjuncta ſunt metallorum ſemen in ſubſtantia, quorum neutrum aliquid præſtat ſine alterius opera. Unde ſal noſtrum per ſe in primum ſuum ſperma ſolvi nequit, nec putrefieri poteſt, cum ſit de ſua natura incorruptibile, atque incremabile. Ideóque idem Riplæus in quarta ſua porta cum exemplo quercûs, quæ cum aliquando ſit in humido, & aliquando in ſicco, denique putreſcit, hoc artificium nos docet: hoc eſt, cum ſal hoc ſæpe in calore exſiccemus, ſæpéque ſuo ſpiritu humectemus, ita etiam illud ut quercus putreſcit, & in aqua ſua multiplicatur, ut addit Morienus. Hinc in principio ſui citati diſcurſus in ſua Clavi Aureæ Portæ, dixit Riplæus, (ſermonem illum unicum Anonymi ſuper turbam citando, ut *Vol. 5. Theatr. pag. 52.*) quòd quicquid veritatis, ubi omnes Philoſophi conveniunt, in hac arte extet, ſit jungere humidum cum ſic-

ſicco, ſcilicet ſpiritum cum corpore. Et ratio eſt, ſubjungit Bernhard. Trevi-ſan. in ſua *Epiſt. ad Thom.* de Bononia, quia quantumcúnque corpus fuerit per ſe præparatum, propriâ virtute, ſine ſpiritu, fluxibilitatem acquirere non po-teſt, & nunquam putrefieret: nec poteſt ſpiritus per ſe qualitercúnque præpa-ratus in ſua natura perfectè alterari, & figi ſine corporis intermediatione. Unde ſubjungit inde Riplæus ibidem; conjunctio prædicta corporis & ſpiritûs, humi-di & ſicci, volatilis & fixi, maris & fæminæ, agentis & patientis videlicet, in hoc opere eſt neceſſaria, &c.

20. Idem Riplæus in Præfatione ſuæ Pupillæ Alchemiæ: mercurius noſter & ſulphur noſtrum (ſcilicet corpus & ſpiritus, quia corpus dicitur ſulphur, & ſpiritus mercurius vocatur, ut ſupra probatum eſt) ambo abſcondita ſunt in centro materiæ prædictæ, inter aquam Phlegmaticam (nempe inter aquam no-ſtram ſpiritualem, quæ ſemper aliquid de phlegmate retinet) & inter craſſi-tiem terreſtrem, (ſcilicet inter corpus craſſitie combuſtibili involutum) & ſi-ne magna artificis induſtria & praxi obtineri nequit. Ac illæ duæ partes phleg-maticæ (in ſpiritu reſidentes, ac aduſtibiles in corpore latentes) nobis prodeſ-ſe non poſſunt, exceptâ ſolummodo illorum puriſſimâ mediâ ſubſtantiâ.

21. Idem Riplæus in Lib. Terra Terræ: Aurum & Argentum noſtra non ſunt mineralia, ex quibus vaſa pro divitibus fiunt; ſed ſunt ſpermatica ex quodam ſubjecto Philoſophis notô, extracta, in quo ſubjecto ſunt ſol & luna noſtra, ſulphur, & mercurius noſter, aqua & terra noſtra, & cæt. & hæ ſunt aurum & argentum Philoſophorum; & ulterius addit: De qua aqua craſſa fit mentio in ſa-cra ſcriptura pluribus in locis, & legitur à ſacerdotibus in altari.

22. Theſaurus Philoſophiæ *Tom. 3. Theatri pag. 164.* putrefactio noſtra nil aliud eſt, niſi ſæpe aſſare, terere, imbibere, evaporare, & iterum & cæt. quoús-que corpus & ſpiritus Philoſophicè commiſceantur, & unum fiant, nec aliô modô putrefactio noſtra intelligitur. Itaque Riplæus in quinta ſua porta, ut ſupra dictum eſt, cum exemplo quercus hanc putrefactionem nos docuit: ſci-licet ſæpe humectando, ſæpéque exſiccando, & cæt,

23. Iſaaccus Hollandus in ſuo opere minerali *lib. 1. cap. 70.* lapis noſter rubeus, cum in multiplicatione ad ſummum gradum ſit ſubtilizatus, & exalta-tus, non invenitur vitrum, ut ipſum ultra ſubtilizando retinere poſſit, unde caveas, ne nimium citò ipſum tam ſubtilem efficias, aliàs cum extremè ſit ſub-tilizatus, penetrat vitrum, & evaneſcit: tum autem ipſum ſuper vitrum liqua-tum projiciendo, mutabit illud in perfectum Carbunculum: Unde conſilio e-jusdem utere Iſaacci, *lib. 1.* ſui oper. mineral. *cap. 69.* docentis, ut ſupra dictum eſt: ſcilicet ut tardius quàm poteris lapidem tuum ſuaviter multipli-cando perficias. De quibus etiam Carbunculis, & cæt. ita conficiendis Her-

mes teſtatur, & vide Harmoniam Chemicam *Vol. 4. Theatr. cap. 19. pag. 788.* Atque Clangorem Buccinæ ſub calce libri. Vel Gerardum Dorneum in artificio ſupernaturali *cap. 16. & cap. 17.* Et ſic eodem modô cum lapide albo Adamantes, & cæt. cum ſis ingenioſus quoque conficere poteris. Perlas quoque parvulas trituratas, ac in lacte virgineo noſtro ſolutas, inde in formula ſeu modello argenteo deaurato perlæ paſtam impoſitam, ſuavitérque decoctam ad tuum beneplacitum perlas magnas componere poteris. Hoc verè non adhuc feci, itaque niſi Theoreticè te docere poſſum. Hoc tantum addo, quòd anno 1731. cum ego tunc temporis fueram Viennæ, aliquem novi Adeptum, (cum inter nos ſigna habeamus) accidentaliter ibi perventum, qui nil aliud faciebat, niſi adamantes, quos pluribus mercatoribus adhuc viventibus coram me vili pretio vendidit, & finxit ſe quoque mercatorem eſſe Indianum, quia linguam Indianam inter quoque alias callebat; hanc verò Adamantes conficiendi methodum ignoro, quia ille me docere noluit. Nec aurum dixit unquam impoſterum ampliùs facere velle, quia olim ab aliquo Aurifabro proditus, atque alicui Magno Principi mihi bene noto paucis ante annis defuncto, detectus, Princeps ille per biennium clauſum ipſum retinuit, ac inde maxima cum difficultate liberatus, quia ipſe aſtutus ſemper conſtantiſſimè aſſeruit, quòd illum modicum projectionis pulverem ipſi aliquis Indianus donaverit, aliàs quòd ipſe nîl unquam de hac arte intellexerit, ac utinam verè ſciviſſet, ut tanto Principi cum arcani hujus participatione inſervire valeret, cum verè eſſet ſcientia Rege digna, & cæt. dixit, quia negare non poterat Aurifabri causâ proditoris teſtantis. Ideóque ut impoſterum tutè vivere queat, & cum ſuis etiam Adamantibus majus habeat lucrum, aurum reliquit, nec adhuc ampliùs ipſum vidi, quia ambo hinc inde ſæpe vagamur. Et ita ipſe, ut *Pſal. 118. verſ. 161.* dicere potuit: Principes perſecuti ſunt me gratis.

24. Idem Iſaacc. *loc. citat. cap. 104.* de calcinatione tartari nigri noſtri. Veteres, inquit, fornacem quandam reperiſſe ſcias, in qua commodum eſſet corpus calcinare, aut reverberare, ut naturam ſalis adipiſceretur, (ſcilicet ad ſalem ex cineribus ipſius tartari calcinati extrahendum) ac ea fornax reverberatoria vocatur. Præterea vaſa ex luto cocto non vitreata, quæ ad id apta ſunt, ut in iis corpus (ſcilicet tartarus, benè verò trituratus) calcinari, & in cinerem videlicet reduci, atque ſal inde erutum leniter reverberari poſſit, & cæt. (Et ulterius erga finem capituli ſubjungit) etenim neceſſe eſt, ut materia lapidis eam naturam in calcinatione acquirat (ſcilicet in ſal reducatur, ut ex Lullio & Geber in Dialogo Joan. Braccheſchi Brixiani *Vol. 1. Biblioth. Chem. Curioſ. Jo. Jacob. Manget. pag. 914.* lucidiùs legitur.) Nam aliàs converti non poſſet in aquam, ſive oleum Philoſophorum, niſi naturam ſalis haberet, ut in aëre

aëre frigido & humido ſolveretur, & in calida ſiccitate congelaretur, & cæt. Etenim addit Geber: quicquid in humiditate ſolvitur, de natura ſalis eſt: materia prima proximáque metallorum in humiditate ſolvitur, ergo? & cæt.

25. Alanus *Vol. 3. Theatr. pag. 727. 728.* In noſtro magiſterio nîl præter ſolutionem corporis in aquam ſeu oleum Philoſophicum neceſſarium eſt; niſi enim nucleus corporis puriſſimus elevetur, & in ſperma reducatur, fruſtra omnem laborem ſumpſeris, Corpus ſiquidem per ſe ſolum efficit nihil, niſi debitè radicaliter fuerit ſolutum: ſolvi verò aliter nequit, quàm cum ſuo mercurio, ſcilicet ſpiritu. (Quia eſt aqua ſui generis) &c.

26. Aros in Turba Philoſophorum: Excelſum hoc eſt: Lapidem non eſſe Lapidem, apud idiotas incredibile: quis enim credit Lapidem aquam, & aquam Lapidem fieri poſſe, cum nîl ſit diverſius? attamen reverâ ita eſt, & cæt. (ſcilicet cum ſit ſal, eſt lapis, vel ſimile, cum ſit autem ſolutum, eſt aqua Philoſophica. Itaque menſtruum reſolubile vocatur. Et ſpiritus cum quo ſolvitur, menſtruum reſolutivum nuncupatur. Sicuti quoque cum dicat: quis crederet aquam lapidem fieri poſſe: de ſpiritu volatili, qui ſimiliter, ac mirabiliter in corpore fixo unâ ſecum figitur, & in igne permanet, intelligi poteſt.)

27. Harmonia Chemica *Vol. 4. Theatr. pag. 727.* ex Roſario *pag. 173.* ſuccus lunariæ, aquavitæ, quinta eſſentia, vinum aduſtum, aqua ardens, ſpiritus nitri, urina, mercurius, menſtruum vegetabile, & cæt. idem ſunt, ſcilicet ſpiritus vini Philoſophici, quod vinum pauciſſimis notum eſt, & ſine illo nihil fit in hac arte, &c. Duos autem habemus ſpiritus, ſcilicet ſpiritum vini Philoſophici, & ſpiritum aceti noſtri, de quibus vide *Tom. 1. Theat. Annotation.* Nicolai Flammelli ex ſcala Philoſophorum *pag. 765.* ſive *Vol. 5.* dicti Theatri, in tractat. Micreris in fine *pag. 99.* qui ambo ſpiritus ſunt ignes noſtri occultiſſimi, ſcilicet naturalis, & contra naturam, à Riplæo in ſua medulla profundè explicati, nempe quòd ſpiritus vini pro igne naturali, & ſpiritus aceti pro contra naturam ſumantur, qui ſpiritus aceti metaphoricè & cabaliſticè à Philoſophis more ſolito pluribus quoque nominibus appellatur. Dicitur enim aqua prima, aqua fortis, ſuccus Raphani, aqua maligranati, aqua rubra, mercurius rubeus, ſpiritus vitrioli, ſanguis, & cæt. de quibus aliquibus nominibus prædictis ipſi impoſitis vide præcitatas Annotationes Nicolai Flammelli *Vol. 1. Theat. Chem.* prædicti ex Gebro *pag. 761. & cæt. in oper. ſupr. citat. &c.*

28. Libavius in ſuo tractat. de mercur. *pag. 67.* (Not. Ben.) mercurius extractus è quibuscunque corporibus metallicis, vel mineralibus omnibus cujuscunque generis ſint, & cæt. & poſtea in opere Philoſophico adhibitus, prorſus inutilis eſt, &c. (Et tamen Chemicolæ nîl aliud quærunt. Unde cum *Sap. cap. 3. 11.* dici poteſt: vacua eſt ſpes illorum, & labores ſine fructu, ac inutilia opera eorum,) &c.

29. In

29. In Tractatu Mer fugi dum bibit (titulus verè curiosus, verùm secundùm meam opinionem nîl aliud Author indicare voluit, nisi quod fortasse: *In imbibitione pelagum vitavi, sed gradatim nec parum nec multum corpus humectavi*, ut Lullius, Arnoldus, Avicenna, & cæt. ne imbibendo fiat pelagus conturbationis, monent. Sèd sit quomodocúnque) Inquit, sal hoc est materia proxima metallorum, & Philosophorum, & cæt. &c. (Unde esset temeraria fatuitas, ac stolida pertinacia omnibus generaliter ita congruentibus contradicere,) &c.

30. In fine Tractatûs, cujus titulus est: Pisces Zodiaci inferioris: legitur: Hoc sal finis est nostræ hyemis, & principium veris, seu operis nostri, quod Geber vocat ipsum lapidem artis: & de hoc sale Physico in formam lapidis albi apparente, addit Com. Bernhardus Trevisan. cape salem tuum ita calcinatum, & bene purificatum, quod est sicuti lapis, & est prima basis operis Philosophici, & suo spiritu solve, conjunge, & iterum exsicca, ut fiat Lapis, & cæt.

31. Quòd contemplatio astrorum, sive ortus, cæleſtiúmque signorum cursus, aut planetarum aspectus, vel anni tempora, aut dies, horásque observare, non sint omnino necessaria, ut simplices sibi stolidè imaginantur, ad hoc opus incipiendum, cum hujus lapidis nostri procreatio sit omnino, sicuti aliarum rerum omnium, quas natura producit, naturalis. Ita vide Petrum Bon. Ferrariens. in sua Margarita Novella *pag. 18.* sive lib. trium verborum *pag. 48.* Libavium de mercurio Philosophico *pag. 65. & 66.* Gebrum *lib. 1. cap. 11.* Laurent. Ventur. *cap. 13. & cæt.* Et cùm dicant Philosophi, quòd sole in ariete existente, ac luna in tauro commorante, & cæt. opus incipere debeamus, per hoc significare voluerunt, quòd calor in principio salis præparationis, ut sol est in ariete levis esse debeat, ut Guido de Montanor in præloquio scalæ Philosophorum ita testatur, &c. & cæt. &c.

32. Petrus de Silento *pag. 3.* quod autem dixi, unum in specie, & duo in numero, tria sunt, scilicet anima, spiritus, & corpus. (Unum in specie est chaos, seu primum remotum subjectum: Duo in numero, sunt spiritus & corpus, sulphur & mercurius, sol & luna nostra à chaote separata: & tria, quia corpus animam habet.) Et ulterius addit: materia remota est vilis, sed lapis, scilicet sal, est pretiosius aurô. Igitur hæc est una res in sua natura verè vilis, sed suum sal pretiosum nimis. (Qua de causâ non est reverâ opus pro pauperibus.) &c.

33. Pater Joan. Colleſſon Ordin. S. Benedicti, in sua Idæa perfecta *Tom. 6. Theatr.* de praxi, *pag. 150. num. 15.* de multiplicatione Lapidis: Non autem tam profundum, & molestum Herculeum laborem, sicut ab initio, in hac multiplicatione repetere cogimur. Philosophus enim cum ad albedinem, vel rube-

rubedinem perfectam denique perveniat, opus ſuum facilè multiplicabit in qualitate, & quantitate usque ad infinitum, ſi cum nova aqua noſtra illud aliquoties diſſolvat & coagulet, & ſimul figat, donec lapis fuſibilis ut cera fiat, eôdem tamen artificiô, quo uſus fuit ab initio in materiæ præparatione, ſcilicet ſolvendo, & congelando, &c.

34. Quid ſit opus Triduanum, & quomodò intelligatur, idem Pat. Joa. Colleſſon ibidem explicat, & cum ſupra citatis Iſaacc. Holland. *Lib. 1. oper. mineral. cap. 85.* Avicenna *cap. 8.* Atque Rogerio Baccone in ſuo ſpeculo Alchem. *cap. 7.* congruenter convenit. Et non jam, ut ſtolidi putant, quòd in tribus diebus, vel tribus menſibus opus noſtrum ab initio usque ad finem perfici poſſit? quod utinam ſi per triennium tantùm perduraret, &c. multi enim ad opus abbreviandum hoc ſal in crucibulo fundere probârunt ad mediam ipſius ſubſtantiam ita fortè extrahendam, ſed fruſtra; quamvis aliquis hoc ſcripſerit, &c.

35. In tractatu de ſecretiſſimo antiquorum ſophorum arcano *Vol. 4. Theatri pag. 562.* ex Rogerio Baccone: porrò terra cum aqua ſua in lento calore imbibatur, ac ſubinde leniter ſenſim exſiccetur, & hoc repetendo, donec terra ſufficienter à ſuperflua terreſtreitate mundata ſit, ac ad albedinem perfectam ſit deducta ( quæ nominatur inde terra alba foliata, ſulphur natura laton dealbatus, & corpus perfectum, aliáque nomina ſynonyma, ut ſupra notâſti, quæ ut memoriam ipſorum vocabulorum conſerves, huic addo ) & ſequitur Author prædictus: Et ibi facta eſt nova ſolis & lunæ conjunctio, & reſuſcitatio mortui corporis, ac vivi ſpiritûs mortificatio, & cæt. ( quia corpus fixum radicaliter ita per ſuum ſpiritum à ſcoriis liberatum, & reſolutum fit volatile & vivum, & ſpiritus vivus in ipſo corpore eôdem tempore figitur, & ibi moritur: Hinc Philaletha in ſuo Introitu Aperto dixit: occide vivum & vivifica mortuum, nam aurum tuum ( ſcilicet corpus ) ſi noſtrô menſtruô miſcueris, vivum fiet, & in iſta corporis vivificatione ſpiritus vivus morietur, & cæt. qui Philaletha per aurum corpus Phyſicum intellexit, quod eſt aurum noſtrum, ut ſupra probatum eſt, &c.

36. Hinc Joann. de Laſnioro *Vol. 4. Theatr. pag. 580.* ita de prædicto Philalethæ, ſophorúmque omnium auro, concludit: Philoſophi, inquiens, dicunt, quòd aurum ſit fermentum rubedinis, & argentum (Nota) ſit fermentum albedinis: ſed intellige verba Philoſophorum ita loquentium: aurum, dicunt, & argentum noſtrum non ſunt communia vulgi: imò aurum noſtrum continet in ſe duo, ſcilicet aurum occultum, quod eſt anima corporis noſtri rubra Hermaphroditi, ſulphur nempè, tinctura & auri fermentum rubedinis artis noſtræ. (Et albedo ſalis externa eſt argentum noſtrum, ac fermentum albedinis.)

nis.) Et ſimul cohabitant, & ſimul oriuntur, & cæt. ut Geber, & Lullius, cæterique omnes ſupra citat. conteſtantur, ut in Dialogo Joann. Bracceſchi, in Bibliot. Chem. Curioſ. Jo. Jacob. Manget. *Tom. 1. pag. 914. 915.* ex ipſis ibi citat. lucidiſſimè concipimus. Et vide Laur. Ventur. *cap. 25. & cap. 29.* Seniorem *Vol. 5. Theatr. pag. 210.* Arnoldum *Vol. 3. Theatr.* in ſuo perfecto Magiſterio *pag. 141.* Diſcipul. Jo. Chortolaſſ. *Vol. 2.* Bibliot. Curioſ. Manget. prædict. *pag. 261.* Paracelſ. in ſuis Congeriis Chym. *cap. 9.* & cæt. &c.

## *De uſu hujus univerſalis medicinæ ad omnes infirmitates expellendas, ac diu ſanitatem conſervandam, vitámque robuſtam prolongandam juxta Philoſophorum doctrinas. Qui primò volunt, quòd corpus patientis purgari debeat, vel cum aliquo proprio conſueto medicamento, vel cum leni clyſterio, ſecundùm complexionem, infirmitatem, ac neceſſitatem medico notam, & cæt.*

INde jubent, quòd quantitas valdè exigua ſumi debeat, quoniam virtus, ejusque occulta potentia magna eſt, & quòd nunquam per ſe detur, ſed alicui liquori appropriato commiſceatur, ut in corpore ſe extendere & circuire poſſit, ad pondus unius grani, vel parum plus, ſecundùm ætatem, ac ſumentis complexionem. Ego, nutu DEI, ſaniſſimus ac fortiſſimæ naturæ, donec habui, unum ſumpſi granum pro quolibet trimeſtri in ſpiritu vini Philoſophici ſolutum. Sed nunc eâ careo, quia parum, ut dixi, de illa prima vice ſervavi. Spero autem in DEUM, ſi mors antè non me decipit, hâc ſecundâ vice, DEO permittente, ſatis donec vivam pro me & amicis habere. De quâ methodo illam ſumendi, vide ludum puerorum ſub calce libr. Atque Guilielmum Pariſienſem cap. de effectibus hujus lapidis. Sendivogium, Clangor. Buccin. Lullium, & cæt. erga finem eorum tractatuum, & cæt.

Marcus item Eugenius Bonnaccina Medicus & Philoſophus Mediolanenſis in ſuo Compendiolo de Præparatione auri potabilis in fine ſcripſit.

### *Ad Ægritudines Capitis.*

Propinetur cum Aqua Majoranæ diſtillata, vel Betonicæ, Salviæ, Peoniæ, Stecados, Roris marini & ſimilibus, & cæt.

### *Ad Ægritudines Oculorum.*

Accipiatur in aqua Euphragiæ, Fæniculi, vel Aniſi, & cæt.

### *Ad Ægritudines Thoracis.*

Sumatur in Aqua Iſopi, ſeu Capilli Veneris, vel Veronicæ, Glyziricæ, tuſſillaginis, ænulæ, & cæt. *Ad Ægritudines Hepatis.*

Adminiſtretur in Aqua Hepaticæ ſeu Pimpinellæ, Cicoreæ, & cæt.

### *Ad Ægritudines Ventriculi.*

Uſurpetur in Aqua Abſintij, ſeu Mentæ, Fumiterræ, & cæt. *Ad*

*Ad Hydropiſin, & cæt.*

Impendatur cum ſero Caprino, in quo fuerit ſpica Nardi priùs in bona quantitate decocta.

*Ad Paraliſin, & Epilepſiam.*

Utatur cum Aqua primulæ veris, Peoniæ, aut Aquâ Tyriacali, & cæt.

*Ad Podagram ſive Chiragram.*

Detur in Aqua juæ arteticæ, Betonicæ & cæt.

*In Febribus.*

Bibatur cum Aquis cordialibus Meliſſæ, Roſarum, Boraginis Bugloſſæ, & cæt. & ſic ſemper in aliis morbis alicui appropriato liquori commixta hæc medicina ſumatur, & cæt. Quoniam ſi quis fuerit infirmus infirmitate brevi, ſtatim ſanabitur, ut multi mei adhuc amici in Ungaria, Viennæque viventes mirabiliter ſanati, teſtantur. Si verò per annum vel plus fuerit antiquô morbô deſtructus, tunc certè non ſubitò, nec prima vice ſanus fieri poteſt? tamen verò perfectam inde repetendo ſuam recuperabit ſalutem, & renovabitur ut aquilæ juventus ſua, ut Geber, & *Pſal. 102. 5.* & multiplicabuntur per eam dies ſui, & addentur ſibi anni vitæ, ut *Prov. cap. 9.* unde vide quoque Guidonem de Montanor in ſcala Philoſophorum in fine Epilogi ſeu recapitulationis totius operis. Vel in fine Roſarii ex Compilatione Toletani. Sive Arnoldum in fine ſui Roſarii Philoſophorum. Atque Harmoniam Chemicam *Vol. 4. Theatricap. 19. pag. 287.* Dyoniſ. Zaccar. in fine ſui opuſculi. Paracelſ. in ſuis Conger. Chym. *cap. 11.* Richard. Anglic. in ſuo Corrector. *cap. 14.* & cæt. ſub calce libri eorum, ſive tractat. mirabilia de hac cæleſti medicina univerſali ſcribentes, ſedulò perlegas, & obſtupeſces. Hinc non eſt mirum, quòd ferè omnes tanto cum ſtudio, anxietate, laboribus, diſpendiisque excedentibus, innumerisque experimentis hanc artem, quamvis fruſtra per tot ſæcula requirant? cum non tantùm de perfecta diuturna continuata ſalute, vitæque prolongatione virtute Divina hujus medicinæ à ſummo cæleſti opifice miſericorditer impertita, tractetur, verùm etiam de auri abundantia cenſeatur. Itaque Virgilius in tertio Æneid. ſapientiſſimè cecinit: *Quid non mortalia pectora cogis, auri ſacra fames?* Quid enim deſiderabilius in orbe? unde reverâ:

*Succina ceu paleas, ceu vis magnetica ferrum,*
*Sic animos pariter ſpes opulenta trahit.*

Item de hujus medicinæ uſu in ſuo proprio ſpiritu diſſolutæ, ut ego feci, vide Sendivogium *Epiſt. 37.* Ac de ſuis mirabilibus effectibus vide quoque Laurent. Ventur. *cap. 31.* Michaëlem Schotum de natura ſolis & lunæ noſtræ *pag. 20.* Atque Raymundum Lullium lib. de quinta eſſentia diſtinction. *1. pag. 21. & cæt.*

Quis ergo non diligeret talia? quæ ſanum, longævum, ditiſſimum, venerabi-

rabilem, & ſanctum reddunt hominem illam poſſidentem, atque conſervant? ne mireris ergo, ſi per 30. annorum temporis ſpatium in hoc ſtudio inceſſanter ego deſudaverim: quapropter cum olim in mea juventute Carnajolæ Familiæ Marſcianæ feudo prope mortem fuerim infirmus, ac ſalute à medicis deſperatus, accidentaliter unus Eremita in civitate urbis veteris 9. milliaria Italica à feudo prædicto diſtante, comparuit Adeptus, & cum ille Eremita ſæpè ſæpiùs ad notiſſimum medicum Rentium tunc in prædicta urbis veteris civitate actualem medicinæ profeſſorem acceſſiſſet, ac de mea incurabili infirmitate notitiam habuiſſet, poſtquàm mirabilia in prædicta civitate coram præfato celeberrimo Medicinæ Doctore Rentio operatus fuerit, medicum ut ad me ipſum miſiſſet, rogavit: qui ſtatim Carnajolam verſus illum commiſit, ubi perventus, in octiduo me perfectè ſanavit, uti Carnajolenſes omnes bene ſciunt; ac inde alias quoque ſtupendas curas effecit. Poſtmodum cum mecum de hac tunc mihi ignota ſcientia tractare incepiſſet, ego tunc temporis juvenis ac incredulus potius ipſum deridebam. Ille autem ſicuti me amabat, projectionem auream ſuper plumbum mihi oſtendit, quam, ego ſummè miratus, ipſum ut me benignè docere dignaretur, rogavi, ſed ſicuti tunc nimis juvenis eram, in tanta ſcientia me inſtruere renuit. At hoc ſublime ſtudium tantùm interim inciperem, perſuaſit; donec ipſe rediturus eſſet: unde cum poſt paucos dies Eremita diſcedere voluerit, totis viribus hoc ſtudium incepi, & poſt tot diſcrimina rerum, gratia DEI ad ſcopum feliciter perveni, ut ex prædictis meis lucidis documentis ſanè concipere poteris, nec ampliùs inde de illo ſemper benedicto Eremita notitiam habere potui.

Hæc ſunt ergo bona cæleſtia juſtè coram DEO & hominibus, non per uſuram, neque fraude acquiſita, ſed cum ſudore vultus per maximum ſpeciale DEI donum, poſt meam deplorabilem bonorum confiſcationem, mihi indigno famulo ſuo, peccatoríque maximo miſericorditer tributum, quod ſuo tempore, cum ſecunda vice, DEO permittente, opus jam inceptum perficere poſſim, veris amicis, & conſanguineis, ut perpetuas DEO noſtro benigniſſimo gratias mecum agere queant, participabo. Quare prima vice, ut dixi, parum habui, &c. Hinc ut dicitur in turba: Curvate dorſum patienter ad libros noſtros legendos, ac relegendos, in eisque ſtudioſè, ſedulóque vagemini, Deúmq; ut Salomon pro ſapientia, ac intelligentia precemini, quod enim quæritis, non eſt parvi pretii.

Faxit autem æternus DEUS, ut hoc Cæleſte donum illis tantummodo detur, qui in Divini Numinis gloriam, proximíque ſalutem, ac Eccleſiæ Chriſti Catholicæ utilitatem illô firmiter uti proponunt, indignísque verò celetur. Et quamvis hic arcanum hoc ſit lucidè detectum, atque deſcriptum, diſponat DEUS, ut indigni non intelligant, uti ſpero, ac humiliter rogo.

Benedictus igitur ſit ſemper DEUS noſter Omnipotens, ſumméque miſericors, qui ſuâ infinitâ clementiâ poſt meum deplorabile infortunium, tam impiè prodito, ac propter quod crudeliter confiſcato, tam maximum arcanum mihi indigno pauperi denudato, ſuâ ineffabili miſericordiâ, ac evidenti providentiâ benigniſſimè revelare dignatus eſt per tot ſæcula à tot hominibus me dignioribus, ſapientioribúsque fruſtra quæſitum, cui altiſſimo imperſcrutabili Divino judicio ſint ſemper æternæ laudes in ſæcula ſæculorum Amen. Amen. Stude ergo, ora, & labora. Quoniam opus hoc pretioſius eſt cunctis opibus: & omnia, quæ deſiderantur, huic comparari non valent: *Prov. cap. 3. 15.* Ac ibidem *verſ. ultim.* quia gloriam ſapientes poſſidebunt: Stultorum verò, ac inſipientium exaltatio, eſt ignominia.

F I N I S.

# *Errores Typographici Emendandi.*

Etenim Typographus multa verba, versúsque reliquit, aliáque, neſcio quare, verba addidit, præſertim pag. 74. lin. 9. ubi debet dicere: Non niſi una res: ipſe fecit: Non niſi Deus una res. Itaque hic omnia errata emendanda, jam emendata reperies.

*Primo erit Pagina. Secundo Linea. Tertio Errata. Quarto Emendata.*

Unde obſerva.

Pag. 5. lin. 32, *errat.* (ex Iſaia.) Et ipſe erit. *Emendat.* Et in ſpè erit.
Pag. 6. lin. 16. *errat.* cum in Hermetico. *Emendat.* cum in hoc Hermetico.
Pag. 8. lin. 2. (ſub luna in margine ex Hermet.) *errat.* probavit illud ventus. *Emendat.* portavit illud ventus.
Pag. 13. lin. 29. (Carmen) *errat.* Id tibi. *Emendat.* Is tibi.
Item ubicunque dicit repertibilis, vel repertibile. *Lege* reperibilis, vel reperibile.
Pag. 22. lin. 20. *errat.* Tunkero. *Emendat.* Junkero.
Pag. 25. lin. 4. *errat.* & Dohù. *Emendat.* & Bohù.
Pag. 28. lin. 9. *errat.* Reſpondes. *Emendat.* Reſpondeo.
Pag. 33. lin. 20. *errat.* eſt per inde. *Emendat.* eſt unum per idem.
Pag. 37. lin. 20. *errat.* in tenebris diviſus. *Emend.* è tenebris diviſus.
Pag. 38. lin. 4. errat (Not. B.) materia prima ſine forma. *Emend.* materia prima metaphoricè nuncupata, cum ſit verè primum rerum omnium ſubjectum, ac etiam quia non datur materia ſine forma, & cæt.
Pag. 49. lin. 10. *errat.* Salium omnium ens. *Emend.* Salium omnium primum ens.
Item pag. 49. lin. 12. *errat.* itaque congelatus. *Emend.* itaque Aër congelatus.
Pag. 52. lin. 8. *errat.* Et combuſtum. *Emend.* Es combuſtum.
Pag. 53. lin. 12. *errat.* primæ habitatæ. *Emend.* primæ habilitatæ.
Pag. 54. lin. 4. *errat.* nobis omnium virtutum. *Emend.* omnium virtutum, (& illud *nobis* non debet hic eſſe.)
Item pag. 54. lin. 11. *errat.* Gregorius Phædro. *Emend.* Georgius Phædro.
Pag. 55. lin. 31. *errat.* Et cæteris non credit. *Emend.* Et cæt. non credis.
Pag. 58. lin. 11. *errat.* Sal ejus obſervaverunt. *Emend.* Sal ejus occultaverunt.
Pag. 59. lin. 8. (Not. Ben.) *errat.* in duabus prædictis falsè ſuppoſita. *Emend.* in duabus prædictis, ſinè ulla diſcrepantia, quamvis ab inexpertis falsè, ſiniſtréque ſuppoſita, & cæt.

Pag. 64. lin. 27. *errat.* dicit Laccarius. *Emend.* dicit Zaccarius.
Pag. 67. lin. 8. *errat.* ſcripſit Lugenius. *Emend.* ſcripſit Eugenius.
Pag. 74. lin. 9. (Not. Ben.) *errat.* non niſi Deus una res. *Emend.* non niſi una res, (& *Deus* ibi non debet eſſe, & neſcio quare impoſuerit.
Item pag. 74. lin. 14. *errat.* ſive veræ naturæ. *Emend.* ſuæ veræ naturæ.
Pag. 87. lin. 3. *errat.* lucidè probavimus. *Emend.* probabimus.
Pag. 96. lin. 14. in princip. cap. 9. ubi dicit: Auro, argento, *errat.* Unde emendat: Auro, Argento vivo.
Pag. 97. lin. 21. (Not. Ben. *errat.* Aqua lactea & cæt. *Emend.* Aqua lactea, & cæt. Hæc autem aqua lactea ita metaphoricè vocatur, quia eſt ſal album ſolutum, aliàs eſt reverâ aqua citrino-rubra, clara, ſcilicet & lucida. Et ita quoque de Latone dealbato intelligitur, nempè clarificato, & cæt.
Pag. 104. lin. 22. *errat.* Philaletha Hermanus. *Emend.* Germanus.
Pag. 112. lin. ultim. *errat.* ex ipſis illô modo. *Emend.* ullô modô.
Pag. 115. lin. 11. *errat.* Amalgama cum Auro. *Emend.* Mercurium cum Auro.
Pag. 126. lin. 29. *errat.* nullum corpus tingere. *Emend.* corpus tingens.
Pag. 129. lin. 25. *errat.* nec alia habilitare queant. *Emend.* nec alia metalla habilitari queant.
Pag. 136. lin. 27. *errat.* ſupra te docuit. *Emend.* te docui.
Pag. 147. lin. 28. *errat.* (Not. Ben.) De quò vaſe præparatorio libello ſeceto. *Emend.* De quò vaſe præparatorio, inquit Artephius in ſuo Libello ſecreto.
Pag. 151. lin. 16. *errat.* & humiditas cellaris. *Emend.* eſt humiditas.
Pag. 158. lin. 24. *errat.* de quibus privatis. *Emend.* præfatis.
Pag. 159. lin. 17. *errat.* ſeu Laton noſter dealbat. *Emend.* Latonem noſtrum dealbat, ſcilicet clarificat. Et ibidem ulterius, *errat.* qui ſpiritus vini vocatus. *Emend.* vocatur.
Pag. 166. lin. 21. *errat.* Et corpus Phyſicum eorum. *Emend.* Eſt corpus.
Pag. 169. lin. 12. *errat.* cum corpore finitur. *Emend.* figitur.
Pag. 173. lin. 6. *errat.* & ferè fieri poſſit. *Emend.* & verè fieri poſſit.
Pag. 179. lin. 3. *errat.* de primarlo. *Emend.* de primario.
Pag. 181. lin. 17 *errat.* variatis roſibus. *Emend.* doſibus.
Pag. 182. lin. 3. *errat.* fuit Tulliana intentio. *Emend.* Lulliana.
Pag. 184. lin. 5. *errat.* etiam Tullius. *Emend.* Lullius.
Pag. 189. lin. 2. *errat.* Lib. verborum. *Emend.* Lib. trium verborum.
Pag. 190. lin. 1. *errat.* ad tract. Raynold. *Emend.* tract. ad Fratrem Raynold.
Item pag. 190. lin. 11. *errat.* ac mobiliſſima. *Emend.* ac molliſſima.
Pag. 200. lin. 14. *errat.* quare huic tam difficilis. *Emend.* quare huic operi.

Pag.

Pag. 210. lin. 13. *errat.* unica mercurio. *Emend.* unico mercurio.
Pag. 216. lin. penultim. *errat.* vitriolum mortuorum. *Emend.* vitriolum fatuorum.
Pag. 222. lin. 20. *errat.* quia ut notasti & filius noster. *Emend.* est filius.
Item pag. 222. lin. 24. (Not. Ben.) *errat.* considera bene quod ex omnibus pretiosis fructibus, prima metallorum materia. *Emend.* quod ex omnibus fructibus prima illorum materia amara sit & acerba, & ita quoque sal nostrum prima metallorum materia amarum est, & acerbum.
Pag. 223. lin. 2. *errat.* & qui terminus appellatur. *Emend.* & ovi terminus appellatur.
Pag. item 223. lin. 18. *errat.* etenim quo ad materiam. *Emend.* etenim quo ad materiam remotam.
Pag. 230. lin. 9. cap. 1. *errat.* ab aliis invidis nîl unquam. *Emend.* nîl unquam percepisses.
Pag. 232. lin. 16. *errat.* seu elixir nostrum. *Emend.* seu elixiris nostri.
Pag. 238. lin. 1. *errat.* ut Alanus in turba. *Emend.* ut Astanus, & ibidem ulteriùs lin. 27. *errat.* in formam lactis. *Emend.* in formam lactis; scilicet, ut diximus, olei citrino-rubri clari, lucidi.
Pag. 239. lin. 3. *errat.* Acolaum. *Emend.* Abolaum. Et ibid. ulteriùs lin. 8. *errat.* quia Chymiastris fabulæ esse videntur. *Emend.* quamvis Chymiastris fabulæ esse videantur.
Pag. 240. lin. 2. *errat.* materiam unde. *Emend.* funde. & ulteriùs ibid. lin. 32. *errat.* unicuique regimine. *Emend.* unicóque.
Item, pag. 240. lin. 17. (Not. B.) *errat.* vol. 5. Theat. pag. 21. *Emend.* pag. 214.
Item, pag. 240. lin. 26. (Not. B.) *errat.* opus in Phiala incipere poteris, & cæt. *Emend.* opus incipere poteris, & cæt. De hâc verò Latonis dealbatione, æquivocè sophi locuti sunt; quia vera Latonis dealbatio in ultima tantum decoctione post nigredinem per spiritum suum oritur in phiala
Pag. 243. lin. 4. *errat.* Latonem rubrum dealbando donec, & cæt. *Emend.* Latonem rubrum dealbando, nimirum clarificando, ut dictum est.
Item pag. 243. ulteriùs, lin. 6. *errat.* instar lactis veri coagulati. *Emend.* instar Lactis coagulati, sed non albi, ut supra dictum est, verum citrino-rubri remaneat. Et ulteriùs ibid. lin. 28. *errat.* nîl aliud est, quàm muliebre. *Emend.* quàm opus muliebre.
Pag. 250. lin. 5. *errat.* lib. 1. cap. 113. *Emend.* lib. 1. cap. 131. (ex Isaacco.)
Item pag. 250. lin. 16. *errat.* donec alium calorem. *Emend.* alium colorem, & ibidem ulteriùs, lin. 24. *errat.* ex uno calore in alium. *emend.* ex uno colore.

Pag.

Pag. 251. lin. 16. *errat.* donec flueret cera. *emend.* ut cera.
Pag. 263. lin. 11. *errat.* ſi majus lucrum in proportione. *emendat.* in projectione.
Pag. 269. lin. 8. *errat.* Nebulones ignorantiam ſcientes. *emend.* ignorantiam eorum ſcientes.
Pag. 273. lin. 7. *errat.* corpus perpetuum. *emend.* corpus perfectum.
Pag. 274. lin. 31. *errat.* nam certus eſt. *emend.* certum eſt. Et ibid. ulteriùs, lin. 32. *errat.* illô modô aptum eſſet. *emend.* ullô modô.
Pag. 275. lin. 2. *errat.* quamvis vegetabilis apparet. *emend.* appareat, & ibid. *errat.* ſi talis non apparet. *emend.* ſi talis non appareret.
Pag. 277. lin. 13. (Not. Ben.) *errat.* ſcilicet inter corpus craſſitie combuſtibili. *emend.* ſcilicet corpus inter craſſitiem combuſtibilem involutum.

